LIBRI SEX

ECCLESIASTICAE RHETORICAE

SIVE DE RATIONE CONCIONANDI

AVCTORE

R. P. M. F. LVDOVICO GRANATENSI

SACR. THEOL. PROFESS. MONACHO DOMINICANO

CVRANTE

IOH. BAPTISTA MVNNOZIO

VALENTINO DOCTORE THEOLOGO



VALENTIAE HEDETANORVM

IN OFFICINA VIDVAE IOSEPHI DE ORGA

CIↃIↃCCLXVIII

SVPERIORVM PERMISSV

F.R LVDOVICVS GRANATENSIS

EBORENSI ACADEMIAE

virtutum & litterarum altrici,

BONITATEM, ET DISCIPLINAM, ET SCIENTIAM



QVVM TE, O ALMA MATER, & egregia virtutum atque disciplinarum magistra, serenissimus cardinalis HENRICVS, dominus noster, e suis, ut ita dicam, visceribus genuerit, nutrierit, & ab ipsis incunabulis in istam aetatem & dignitatem provexerit; omnesque curas & cogitationes suas in TE una perficienda, cunctisque muneribus exornanda, positas & constitutas habeat: dignum profecto est, ut nos, qui omnia clementissimo principi debemus, & de tua TIBI felicitate gratulamur, numerisque omnibus absolutam cupimus, opera quoque nostra, qualiscumque ea sit, studia

tua, aliqua ſaltem ex parte, iuvare curemus. Quum igitur conatus tuos omnes in hoc unum praecipue compares, ut alumnos tuos CHRISTI Domini praecones egregios efficias, qui dominicam meſſem caeleſtis doctrinae fluentis irrigent: operae pretium me facturum putavi, ſi libellum hunc, qui de ratione concionandi agit, TIBI dicarem; quo huius officii rudes atque tirones ad illud commode praeſtandum inſtitueres. Quod eo libentius fecimus, quoniam D. Auguſtinus (a) bene dicendi artem, ſepoſito ad hoc idoneo tempore, in adoleſcentia diſcendam eſſe monet. Quam quidem eo facilius alumni tui aſſequentur, quo plenius a te dialecticis & philoſophicis diſciplinis inſtituti ſunt. Ab his enim fontibus eloquentiae laudem manare, parens ipſius eloquentiae Cicero in his libris, quos *de oratore* (b) inſcripſit, ſub perſona L. Craſsi luculenter probat. Vt igitur hanc bene dicendi facultatem traderemus, neceſſe fuit, praecepta aliquot ex rhetorum officinis colligere: ut huius quo-

(a) *Auguſt. lib. IV. de Doct. Chriſt. cap. 3.*

(b) *De Orat. lib. I. cap. 3. Orat. cap. 4.*

quoque artis disciplina, quemadmodum & ceterae, sacrae Theologiae, & divini verbi ministerio deserviret. De quattuor igitur praecipuis eloquentiae partibus, nempe, inventione, dispositione, eloquutione, atque omnium potissima pronuntiatione, quam etiam actionem vocant, in his libris differimus. Et quidem de pronuntiatione, si non meliora, quam alii, certe plura scripsimus: quod citra illius opem cetera omnia, quamlibet eximia, frigeant & langueant, atque adeo mortua sint. Quid enim tam acre aut magnificum esse potest, quod non iaceat, si id remissa aut languida voce & gestu pronuntiaveris? Inventioni autem, quae probandi & amplificandi materiam continet, tum communes locos, tum etiam privatos & singulares assignavimus. Communes autem locos, unde ad quaestiones omnes argumenta promuntur, dialectici in libris topicorum diligenter tradunt. De his igitur parcius loquuti sumus, quoniam eorum cognitio a dialecticis petenda est. De quibus breviter atque dilucide paucis antehac diebus scripsit in dialecticis institutionibus R.

P. Petrus a Fonſeca : qui etiam commodiſſimis exemplis , ex ſacris litteris deſumtis, quod ad noſtrum pertinet inſtitutum , praecepta artis illuſtravit. Ad cuius opuſculum ſtudioſum concionatorem remittimus. Ceterum de ſingularibus locis , qui a privatarum perſonarum & rerum circumſtantiis ſumuntur , qui peculiariter ad oratorem pertinent , & magnam vim ad probandum & amplificandum habent , copioſius ſcribendum eſſe duximus. Vt autem , quanta ſit circumſtantiarum vis ad res amplificandas, concionator intelligat , duo inſignia D. Chryſoſtomi exempla , quae properanti mihi , quum ad hunc circumſtantiarum locum veniſſem , exciderunt , hoc in loco attexere libuit. Is igitur illam Domini praedictionem , qua mulieris , caput ipſius ungentis, memoriam per totum orbem celebrandam eſſe dixit , ex omnibus circumſtantiis hoc modo amplificat : (a) „ in omnibus , *inquit*, „ eccleſiis memorari mulierem audimus. „ Sunt conſules , duces , viri , mulieres, no-

„ bi-

(a) *Homil. V. adverſ. Iudaeos, quae exſtat tom. I. pag. 629. ſeq. Oper. edit. cura Bern. de Montfaucon , Pariſ.* 1718.

„ biles ... in omnibus urbibus: & in quam-
„ cumque orbis partem deveneris, ſummo
„ cum ſilentio audies huius mulieris offi-
„ cium ... *Sunt* reginae, primariaeque fe-
„ minae, *quae* innumerabilia benefacta
„ contulerunt in eos, quibus imperabant:
„ quae ne de nomine quidem ulli notae ſunt.
„ Haec autem abiecta mulier, quae tantum
„ effudit unguentum, toto terrarum orbe
„ decantatur. Ne temporis quidem tam im-
„ menſa longitudo memoriam illius vel ex-
„ ſtinxit, vel exſtinguet unquam: idque
„ quum factum ipſum non eſſet inſigne;
„ quid enim magni erat, unguentum effun-
„ dere? neque perſona eſſet celebris; erat
„ enim mulier abiecta: neque multi teſtes
„ aderant; nam inter diſcipulos res eſt ge-
„ ſta: neque locus nobilis; neque enim hoc
„ fecit per theatrum tranſiens, ſed in domo,
„ decem dumtaxat hominibus praeſentibus.
„ Attamen neque perſonae vilitas, neque te-
„ ſtium paucitas, neque loci obſcuritas, ne-
„ que ulla res alia potuit illius abolere me-
„ moriam. Quin potius reginis omnibus
„ ac regibus univerſis celebrior eſt nunc

„ haec mulier : nec ulla aetas oblivioni tra-
„ didit, quod factum est. „ Hactenus Chry-
sostomus : qui in huiusmodi circumstantiis
excutiendis, ut frequentissimus, ita mirus ar-
tifex est. Sed commodissimum amplificatio-
nis huius exemplum exstat apud eumdem;
quo mundi conversionem, opera atque do-
ctrina Paulli perfectam, inter maxima mira-
cula computat : rem videlicet ex omnibus
circumstantiis amplificans, maximeque mi-
rabilem faciens. Sic igitur ait : (a) „ quo
„ modo, *inquit*, Paullus cum illa arte vilis-
„ sima tantam potuit inspirare virtutem (b),
„ quantam ipse rerum testatur effectus? Ho-
„ mo etenim ignobilis, abiectus, & circum-
„ foraneus, qui artem exercebat in pellibus,
„ in tantum virtute progressus est, ut vix
„ tri-

(a) *Homil. IV. de laud. Paulli Apost. Oper. cit. edit. tom. 2. pag. 494. seq.*

(b) *In locum verborum*: Quomodo, *inquit*, Paullus cum illa arte vilissima, *rectius diceretur*: Quomodo, *inquit*, Paullo Christus, &c. *Non enim de Paullo dicitur, quod tantam potuit inspirare virtutem; sed de Christo, ut praecedentia Chrysostomi verba evincunt, quae ita habent* : „ Vn-
„ de liquido patet, quoniam
„ Christus non fuerit magus,
„ non seductor, sed qui e con-
„ trario horum exstitit emen-
„ dator, & vere divina virtus,
„ nec ulli omnino superabilis:
„ idcirco & ipse cuncta vicit at-
„ que perdomuit, & Paullo,
„ tentoriorum opifici, tantam
„ potuit inspirare virtutem,
„ quantam ipse rerum testatur
„ effectus.

„ triginta annorum ſpatio, & Romanos, &
„ Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos,
„ & Scythas, & AEthiopes, & Sauromatas,
„ & Saracenos, & omne prorſus humanum
„ genus ſub iugum mitteret veritatis. Re-
„ ſponde igitur, unde iſte opifex vilis ac
„ publicus, ſtans in loco artis ſuae, ac ſcal-
„ pellum in manu gerens, ita & ipſe philo-
„ ſophatus ſit, & alios docuerit philoſopha-
„ ri, gentes ſcilicet, urbes, atque regiones,
„ maxime imperitus, nec vim in ſe ſermo-
„ nis oſtendens? Audi enim ipſum loquen-
„ tem: (a) *etſi imperitus ſermone, nec pecu-*
„ *nias poſsidens*: nam hoc quoque ipſe te-
„ ſtatur: (b) *uſque ad hanc*, inquit, *horam*
„ *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus,*
„ *& colaphis caedimur.* Et quid dico pecu-
„ nias, quum ille ſaepe ne neceſſarium qui-
„ dem haberet cibum, nec, quo ſe circum-
„ daret, indumentum? Quia vero nec de
„ profeſsione clarus fuerit, ipſius diſcipulus
„ oſtendit, dicens: (c) *quoniam manebat a-*
„ *pud Aquilam, & Priſcillam, propterea quod*

„ eiuſ-

(a) 2. *ad Corinth.* XI. 6.
(b) 1. *ad Corinth.* IV. 11.
(c) *Actor.* XVIII. 3.

„ *eiuſdem artis eſſent. Erant enim ſcenofa-*
„ *ctoriae artis.* Non igitur a proavis nobi-
„ lis, quippe qui tam vilis fuiſſe artis oſten-
„ ditur; non a patria, non a gente: tamen
„ progreſſus in medium, ac tantummodo
„ apparens, inimicorum cuncta turbavit,
„ univerſa confudit: & ſicut in ſtipulas, aut
„ in foenum ignis immiſſus, omnia daemo-
„ num opera conſumſit, atque in quod vo-
„ luit, omnia convertit ... At nobilis & e-
„ ruditus erat forte perſuaſor. Nec iſtud
„ quidem; nam hoc quoque ipſe confirma-
„ vit, dicens: (a) *& ego veni ad vos, non*
„ *in ſublimitate ſermonis aut ſapientiae, an-*
„ *nuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non*
„ *enim iudicavi, me ſcire aliquid inter vos, ni-*
„ *ſi Ieſum-Chriſtum & hunc crucifixum. Et*
„ *ſermo meus, & praedicatio mea non in*
„ *perſuaſibilibus* humanae *ſapientiae verbis.*
„ Sed cauſa nimirum ipſa praedicationis e-
„ rat idonea, quae ad ſe pertraheret audien-
„ tes. Accipe quid etiam ſuper hac re ipſe
„ pronuntiet. (b) *Quoniam*, inquit, *Iudaei ſi-*
„ *gna petunt, & Graeci ſapientiam quae-*
„ *runt:*

(a) 1. *ad Corinth. II.* 1.2.3.4. | (b) 1. *ad Corinth. I.* 22. 23.

„ *runt* : *nos autem praedicamus Chriſtum*
„ *crucifixum* ; *Iudaeis quidem ſcandalum*,
„ *gentibus autem ſtultitiam*. Sed ſecuritate
„ ac libertate, inquis, fruitus eſt. At omni-
„ no a periculis numquam reſpiravit: (a) &
„ *ego*, inquit, *in infirmitate & timore &*
„ *tremore multo fui apud vos* ... Quum igi-
„ tur praedicator imperitus, quum etiam
„ pauper eſſet, & prorſus ignobilis; & quod
„ praedicabatur, non modo commendatio-
„ ne ſui eſſet vacuum, verum etiam offen-
„ ſione pleniſsimum; & auditores ipſi in-
„ opes, imbecilles, atque omnino nulli; &
„ pericula tam crebra, tam varia, non do-
„ ctoribus ſolum, ſed etiam diſcipulis im-
„ minerent; & crucifixus eſſet, qui annun-
„ tiabatur adorandus : ... nonne lucidiſsime
„ claret, divina hoc & ineffabili quadam
„ virtute perfectum ? „ Hactenus Chryſo-
ſtomus. Quem eius locum, quoniam mire
amplificandi rationem, quae praecipua con-
cionatoris virtus eſt, & circumſtantiarum
uſum docet, hic adſcribere libuit : ut quem
ex eis commode tractatis fructum Eccleſia-

ſtes

(a) 1. *ad Corinth. II.* 3.

ſtes colligere poſſet, aperte monſtrarem. Accipe igitur, INCLYTA MATER, munuſculum hoc noſtrum, quo filios TVOS ad divini verbi miniſterium imbuas: in cuius pia & fideli tractatione, magna ſalutis humanae portio ſita eſt. Cuius rei periculum iam feciſti, dum multos filiorum TVORVM, magiſterii dignitate laureatos, per varia huius dioeceſis loca ſpargis, qui ſalutaris doctrinae ſemine eccleſiarum arva fecundant. Iam enim illud Eccleſiaſtici TIBI iure & merito convenit: (a) *aperta ſunt prata, & apparuerunt herbae virentes, & collecta ſunt foena de montibus.* Illud autem diligentiſsime curato, ut aſsiduis precibus a Deo contendas, ut parentem atque altorem TVVM quam diutiſsime ſervet incolumem, qui tam multa in TE munera contulit, & multa item collaturus eſt: ut tandem partibus omnibus integram & abſolutam, quum hinc ad ſuperos diſceſſerit, TE relinquat, videatque filios filiorum ſuorum, & eccleſiam ſuam, opera atque doctrina eorum, virtutibus cunctis egregie ornatam & ſtabilitam.

VALE. IOH.

(a) *Prov. XXVII. 25.*

IOH. BAPT. MVNNOZI

PRAEFATIO

QVOD plerisque accidere animadverto, ut, quum omnem prope aetatem in scholis ac libris contriverint, extrema demum senecta aut nihil sapere videantur; aut, si quid sapiant, orationis splendore illustrare cogitationes suas nesciant: id equidem in nostratium bene multis cum dolore video, fateri certe in hodierna litterarum luce propemodum erubesco. Atque, ut de umbraticis illis immedicabilibus taceam, ad delenda ingenia natis, qui eruditioni ac bonis libris bellum indixerunt; non possum non illorum accusare socordiam, qui, quantacumque demum scientia rerumque cognitione polleant, bene tamen dicendi arte destituti sunt. Nam quemadmodum eloquentia sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam civitatibus potest; ita & sapientia perparum e rei publicae commodis fuerit, sine eloquendi facultate (a). Neque vero sapiens omnino existimandus est, cui una de summis virtutibus, dicendi prudentia, atque ingenii lumen eloquentia desit. Quamobrem merito eam acutissimi philosophorum Stoici, virtutem ac sapientiam esse dixerunt (b). Aristoteles vero cum prudentia iungebat: qui enim eloquentiae verae dat operam, eum & prudentiae dare, inquit gravissime Tullius (c).

Sed

(a) Cic. *de Invent.* lib. I. cap. 1. Exstant in hanc sententiam elegantissima Ben. Ariae Montani carmina *Rhet.* lib. I. vers. 33. seqq.

Quid moror? exactis cumula virtutibus unum.
Sit sapiens, sit multa sciens, sit denique quidvis,
Desit at una illi facundia, cetera pictum
Iudico, & algentes umbras, vultusque tabellae
Affictos, sunt vana & nomina praedita nullo
Vivendi sensu, tenebrisque absconditus ignis.

(b) Apud Cic. *de Orat.* lib. III. cap. 18.

(c) In *Bruto*, sive *de claris Oratoribus*, cap. 6.

Sed haec missa faciamus, quae & per se sunt manifesta, & ab aliis uberrime demonstrata, nec desiderant orationem meam. Ad Rhetoricam potius accedamus, cuius originem & progressus primum indicare constitui, de evangelicae praedicationis initio atque oratoribus christianis, de eloquentia sacra eiusque scriptoribus, sin minus pro dignitate, pro epistolae certe modulo, deinceps loquuturus.

Atque, ut a rei definitione ordiamur, Rhetoricam esse artem bene dicendi, norunt omnes. Qui enim bene dicit, is Graecis *Rhetor* dicitur, unde Rhetoricae nomen derivatur. Huius vero artis inventor, si poëtis ac Diodoro credimus, Mercurius perhibetur. Hinc illa Horatii: (a)

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decorae
More palaestrae.

Verum nec poëtis adhibenda fides, qui fabulas ubique consectantur, nec Siculus ille sine iudicio legendus est (b). Constat enim, magnae illi Graeciae, ut ceterarum artium fere omnium, & Rhetoricae originem propagationemque deberi. Quis vero a prima inventoris gloria celebrari debeat, id quidem haud satis exploratum est.

Empedoclem Agrigentinum, Parmenidis auditorem, primum fuisse, qui moverit aliqua circa Rhetoricam, scribit Quinctilianus(c). Cuius sententiae fuerunt Aristoteles(d), Sextus Empyricus (e), ac Diogenes Laërtius, qui ut Zenonem Dialecticae, sic & Empedoclem Rhetoricae inventorem facit (f). Quam gloriam alii Coraci tribuunt, quod ni-

(a) *Odar.* lib. I. ode 9.

(b) Parum sibi constare videtur Diodorus Siculus, gravissimus ceteroqui auctor. Etenim *Biblioth.* lib. I. sec. 16. pag. 19. & sec. 43. pag. 53. artium & loquelae repertorem facit Mercurium; quum tamen lib. V. sec. 75. pag. 391. inde illi *Hermetis* nomen, quod *interpretem* sonat, obvenisse asserat, *quod singula, in mandatis tradita, dilucide interpretetur.* Additque: *Non quidem nominum & dictionum inventor hic fuit, sed integram & perspicuam eloquutionem impensius ceteris excoluit.*

(c) *Instit. Orat.* lib. III. cap. 1.

(d) In *Elench. Sophist.* cap. 34.

(e) *Adverf. Mathem.* lib. VII. sub init. pag. 139.

(f) Lib. VIII. cap. 2. num. 3. sec. 57.

nimirum is, eiuſque diſcipulus Tiſias, Cicerone teſte (a), artem & praecepta primi conſcripſerint. Nam quod de antiquiſsimo Pithei libro, quem, ab homine Epidaurio editum, legiſſe ſe memorat Pauſanias (b), parum vero ſimile videtur. „ Quis enim ſibi perſuadere poſsit, inquit Voſ-„ ſius (c), aetate Pauſaniae, qui ſub Hadriano caeſare vi-„ xit, exſtitiſſe in arte hac aliquid antiquius bello Troia-„ no, atque ipſis Herculis temporibus ?

Exceperunt priores illos Gorgias Leontinus, vir, ut Laërtius ait (d), in oratoria eximius, Sopylus (e), eiuſque filius Antiphon Rhamnuſius, Periclis, Socratis, ac Thucydidis praeceptor (f), „ qui primus, inquit Plutarchus (g), „ rhetoricum artificium tradidit, &, quod ſollers eſſet, „ Neſtor appellabatur (h). „ Rhetoricam deinde tractaverunt Lyſias, Iſaeus, & Theodorus Byzantius, qui artem ſcripſit ieiunam & aridam, meritoque a Platone (i) exagitatus eſt. Nec praetermittendus divinus ille Plato, qui, tametſi iuſtam artem minime tradiderit, Rhetoricae tamen naturam plane explicuit; & ſophiſtas praeterea inſectatus fuit, qui eloquentia abutebantur, rectumque egregiae artis uſum pervertebant (k). Huius aequalis fuit Iſocrates, Gorgiae auditor, „cuius praeſtantiſsimi fuerunt diſcipuli in „ omni ſtudiorum genere: eoque iam ſeniore, ... (tanti „ viri gloria motus, ut inquit Cicero (l),) pomeridianis „ ſcholis Ariſtoteles praecipere artem oratoriam coepit, ... „ ac plurimis eam libris complexus eſt (m). „ Quibus tantam ſibi gloriam comparavit, ut Rhetorum quoque, nedum Philoſophorum, princeps habeatur. Qui enim poſt Ariſtotelem de arte hac ſcripſerunt, Cicero, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Quinctilianus, hortos ſuos ex uberrimis illius fon-

(a) In *Bruto* cap. 12.
(b) In *Corinthiacis*, ſeu lib. II.
(c) Gerard. Ioh. Voſsius *de Rhetor. nat. & conſtitut.* cap. 9.
(d) Lib. VIII. cap. 2. ſec. 58.
(e) Confer. Philoſtrat. in *Antiphonte*.
(f) Apud Platon. in *Menexeno*.
(g) In *vitis Rhetorum*.
(h) Vid. Cic. in *Bruto* cap. 12. Quinctil. *inſtit.* lib. III. cap. 1.
(i) In *Phaedro*.
(k) In *Gorgia*.
(l) *Tuſculan. quaeſt.* lib. I. cap. 4.
(m) Quinctil. *inſtit.* lib. III. cap. 1.

fontibus irrigarunt (a).

Eodem tempore Theodectes fuit, & Anaximenes Lampſacenus, Alexandri Macedonis praeceptor (b), verus auctor, ut ego quidem cum Victorio (c) & aliis (d) ſentio, Rhetoricorum ad Alexandrum. Hos ſequutus elegans & ſuavis „ Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus, qui de Rhe„ torica diligenter ſcripſit. Atque hinc vel ſtudioſius Phi„ loſophi, quam Rhetores, praecipueque Stoicorum ac Pe„ ripateticorum principes. Fecit deinde velut propriam „ Hermagoras viam, quam plurimi ſunt ſequuti: cui ma„ xime par atque aemulus videtur Athenaeus fuiſſe. Multa „ poſt Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius, „ & Halicarnaſſeus Dionyſius (e). Praecipue tamen in ſe „ converterunt ſtudia Apollodorus Pergamenus, qui prae„ ceptor Apolloniae caeſaris Auguſti fuit; & Theodorus „ Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium; quem ſtudioſe „ audiſſe, quum in eam inſulam ſeceſsiſſet, dicitur Tibe„ rius caeſar. Hi diverſas opiniones tradiderunt, appella„ tique inde Apollodorei & Theodorei, ad morem certas „ in philoſophia ſectas ſequendi. Sed Apollodori praece„ pta magis ex diſcipulis cognoſcas; quorum diligentiſsi„ mus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Graece Atticus. „ Nam ipſius ſola videtur ars edita ad Matium, quia cete„ ras miſſa ad Domitium epiſtola non agnoſcit. Plura ſcri„ pſit Theodorus, cuius auditorem Hermagoram ſunt qui „ viderint (f).

Succeſſere iis Apſines, Phoebammo, Ariſtides technicus, Minucianus, & Hermogenes ſophiſta, cui primum locum poſt Ariſtotelem tribuunt quidam eruditi (g). Hunc ve-

---

(a) Henric. Valeſius *de Critica* lib. I. cap. 6.

(b) Suidas verbo *Anaximenes*.

(c) Praefat. in Ariſtot. Rhetor.

(d) Robortellus *variar. lect.* lib. XIV. cap. 2. Nunneſius in *not. in Phrynicum* pag. 56. Ger. Ioh. Voſsius *de hiſtor. Graecis* cap. 10. & *de Rhet. nat. & conſtit.* cap. 9. Menagius *obſervat. in Diog. Laert.* lib. II. ſect. 3. Capperoner. *in Quinctil.* lib. III. cap. 4.

(e) Pauca, ſed egregia, huius ad Rhetoricam pertinentia exſtant in Criticis & Rhetoricis.

(f) Quinctil. lib. III. cap. 1.

(g) Apud Graevium *Hiſtor. Biblioth.* ſect. 12.

vero Sopater, Syrianus, Marcellinus, Troilus, & Maximus Planudes, commentariis Graecis illuſtrarunt. Floruit & Aureliani imperatoris tempore Longinus, qui egregium *de ſublimi charactere* libellum conſcripſit. Atque hic poſtremus Graecorum eſt, qui cum primis Rhetoricae ſcriptoribus conferri poſsit. Qui enim poſt ipſum vixere, nihil attulerunt novi; ſed aut veteres commentati ſunt, aut ex illorum ſcriptis libellos ſuos contexuerunt. Quos inter celebriores exſtiterunt Alexander & Theo ſophiſtae, Demetrius Alexandrinus, Phalereus vulgo dictus, Ariſtides rhetor, & Aphtonius, XI. chriſtiani nominis ſaeculi ſcriptor, cuius Tzetzes mentionem facit (a).

Ac de Graecis hactenus. Ad Latinos veniamus, apud quos Rhetorica, perinde atque Grammatica, ſero, paulloque etiam difficilius recepta fuit (b). Primus enim, qui eam Romae tradidiſſe memoratur, eſt L. Plotius Gallus, extremis L. Craſsi temporibus, Cicerone etiam tum puero (c): quem M. Coelius, ut inflatum ac levem & ſordidum deriſit, atque ordearium rhetorem appellavit (d). De Rhetorica vero primus inter Romanos ſcripſit M. Cato Cenſorius, quaedam etiam M. Antonius inchoavit (e). Sequuti deinde minus celebres, quos inter L.Otacilius Pilitus, Cn. Pompeii in Rhetoricis praeceptor, fuit (f). Floruit deinceps eloquentiae parens Cicero, cuius de Rhetorica ſcripta & merita notiora ſunt, quam ut a me commemorari debeant. Quamquam non deſint, qui eum meliorem oratorem fuiſſe, quam rhetorem, arbitrentur (g). AEqualis Tullii fuit L. Cornificius, quem auctorem eſſe librorum ad Herennium, viri doctiſsimi (h) validiſsimis probarunt argumentis. Ad idem tempus referendus eſt Epidius, qui, inter ceteros, M. Antonium & Auguſtum docuit; itemque Sextus Clodius, de quibus mentionem facit Tranquil-

 lus.

(a) Ioh. Tzetzes *variar. hiſtor.* Chiliad. XI. verſ. 121. ſeqq. pag. 206.
(b) Suetonius *de clar. Rhet.* c. 1.
(c) Cic. ad Titinnium.
(d) Apud Suet. *de clar. Rhet.* c. 2.
(e) Quinct. lib. III. cap. 1.
(f) Apud Suet. loc. cit. cap. 3.
(g) Voſsius *de Nat. & conſtit. Rhet.* cap. 13.
(h) Eos videſis apud Voſſ. loc. cit.

lus (a). Aliqua etiam de hac materia ſcripſit Sterninius, non nulla Pater Gallio: accuratius vero priores Gallione Celſus, Laenas, Virginius, Plinius iunior, & Rutilius Lupus (b), qui quattuor iunioris Gorgiae libros in unum ſuum tranſtulit (c). Addi his meretur Viſellius, non negligens quidem auctor, ut inquit Quinctilianus (d). Excelluit vero praeter ceteros M.Fab. Quinctilianus, Plinii iunioris praeceptor (e), vir ſummus, acri iudicio praeditus, & eruditione etiam ſingulari: qui, poſt impetratam ſtudiis ſuis quietem, quae per XX. annos erudiendis iuvenibus impenderat (f), oratorias inſtitutiones compoſuit, uberrimas quidem illas, & numeris paene omnibus abſolutas (g). Nec praetereundus nobis eſt auctor dialogi *de cauſis corruptae eloquentiae*, qui Fabii, Tacitive, nomine circumfertur. Cuius ſcriptorem, quiſquis demum ille fuerit, tanto in honore habet Iuſtus Lipſius, ut conferre eum cum optimi ſaeculi & optimae notae ſcriptoribus nequaquam vereatur (h).

Scripſere praeterea de Rhetorica Aquila Romanus, Iulius Ruffinianus, Curius Fortunatianus, Marius Victorinus, Sulpicius Victor, Emporius, aliique non pauci, cum prioribus illis minime conferendi. Nam quemadmodum Graecis Rhetoribus finem impoſuit Longinus; ita Latinis Fabius Quinctilianus. „ Etenim, ut praeclare inquit noſter „ Vives (i), ſtudium artis oratoriae prorſum ſublatum cir„ citer Antoninorum tempora: quum iuriſconſulti, qui plu„ rimum valebant gratia apud principes, decreviſſent ipſi „ ſoli totum occupare ... *Tunc vero* declamari quoque eſt „ de-

(a) Sueton. *de clar. Rhet.* cap. 4. & 5. Alios Rhetores, quorum mentionem feciſſe Suetonium, Achillis Statii Mſſ. teſtantur, vid. apud Voſſ. loc. cit.

(b) Quinctil. lib. III. cap. 1.

(c) Quinctil. lib. IX. cap. 2.

(d) Loco cit.

(e) Plin. lib. II. epiſt. 14.

(f) Quinctil. in *prooem.* lib. I.

(g) Angelus Politianus praefat. in Quinct. inſtitutiones, *Quinctilianum vero*, inquit, *non nos quidem illum Ciceroni praetulerimus, ſed has certe eius oratorias inſtitutiones Rhetoricis Ciceronis libris pleniores uberioreſque eſſe exiſtimamus.*

(h) Legatur I. Lipſii praefatio in hunc dialogum.

(i) Ioh. Lud. Vives *de cauſ. corrupt. art.* lib. IV. oper. tom. I. pag. 400.

„ desitum & artem cognosci, quae nihil erat sine exerci-
„ tio profutura.

Sed de artis scriptoribus plura fortasse dicta sunt, quam ut praefationis angustiae pati videantur. Quae tamen speramus nec ingrata futura lectoribus, nec exiguae utilitatis. Multum enim interest eorum cognitio, qui in ea arte aut scientia, cui navamus operam, cum laude versati sunt. Quorum in pluribus ignoratio efficit, ut, quum bonas horas in libris inutilibus legendis collocarint, oleum & operam irreparabili prorsus damno perdiderint. Quod si hac nos disputatione assequeremur, ut praeclara Aristotelis, Tullii, Quinctiliani, Hermogenis, ac Longini de Rhetorica scripta, diurna nocturnaque manu versarent oratoriae sacrae studentes, abunde magnum laboris nostri praemium existimabimus.

Deveniamus iam ad evangelicam praedicationem, si prius tamen non nulla de concionandi origine, & concionibus Iudaeorum, praeter propositum breviter disputaverimus. Ac primus omnium, qui concionandi munus obiverit, Moses memoratur. Nam quum legis tabulas, Dei digito scriptas, in monte recepisset; populum, concione habita, de lege edocuit, atque ad bene beateque vivendum informavit (a). Isaiam (b) quoque, Ieremiam (c), Ezechielem (d) misit Deus, ut animum, illius beneficiorum immemorem, Israëlitis exprobrarent, ac Ierosolymitanae urbis eversionem vaticinarentur. Iudaei autem, trans Euphratem captivi, ad eumdem Ezechielem, verbum Domini audituri, convenerunt (e). Frequentiores apud Iudaeos conciones fuere, ex quo synagoga instituta fuit: cuius vestigia iam inde ab Elisei temporibus occurrunt (f). Etenim inter synagogarum ministros, publicus quidam erat, qui oraret publice, curaret de legis lectione, & conciones ad populum haberet (g); quique *Chasam*, hoc est, spe-

(a) Exod. XXXIV. 34.
(b) Isaiae VI. 9.
(c) Ierem. II. 1. 2.
(d) Ezech. II. 3.
(e) Ezech. XXXIII. 31.
(f) Elisei aetate religiosi quique viri ad illum die Sabbati, lectionis audiendae causa, conveniebant. 4. Reg. IV. 23.
(g) *Moses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Actor. XV. 21.

ſpeculator, inſpector, cuſtos, epiſcopus, appellabatur (a). Neque apud Iudaeos tantum, verum etiam apud Ethnicos, Graecos & Romanos, alioſque, conciones ſacrae, ſeu publici coetus, habebantur, in quibus populus de religione quiſque ſua inſtitueretur. Sed haec libenter praetermittimus, de quibus diſputare inſtituti noſtri ratio, & propoſita brevitas non ſinit. Eorum tamen cognitio cum per ſe utilis & iucunda eſt, tum a chriſtiani doctoris ſtudio nequaquam aliena: quum illud conſtet, plura, ad concionandi rationem ac ritus pertinentia, ex Hebraeorum & Gentium ritibus chriſtianos deſumſiſſe (b).

Vt vero eo, unde digreſsi ſumus, revertatur oratio noſtra, evangelicae praedicationis initium a communi omnium ſervatore Ieſu-Chriſto ducimus. Quem praecurrit eius nuntius ac teſtis, Iohannes Baptiſta, quo maiorem in natis mulierum excitatum fuiſſe neminem, Chriſtus ipſe teſtatur (c). Hic enim ille eſt, qui ante Dei ſpiritum intonavit, quam hominis vagiret in fletu (d); qui, dum ſexto menſe exſultavit in matris Eliſabethae utero, Chriſti in Virginis uterum adventum nuntiavit. Puerulus adhuc in deſerta conceſsit, quo in loco, perpetuis hymnis & orationibus vacans (e), in diem uſque oſtenſionis ſuae ad Iſraël (f) commoratus eſt. Altero autem & triceſsimo aetatis Chriſti anno, Spiritu Dei actus, venit in regionem Iordanis, praedicans baptiſmum poenitentiae (g) ac Meſsiae adventum: hunc vero veniſſe iam palam annuntians, atque in medio Iſraëlis eſſe, quem tot retro ſaecula exſpectarunt, qui vero ventilabro aream eſſet purgaturus, paleamque abſumturus igne ſempiterno (h). Quo in loco & alios plurimos, & Chriſtum etiam baptizavit (i): adeoque ſe Iudaeis baptiſmo, praedicatione, & inaudito vitae genene-

(a) Bernard. Lamy *App. Bibl.* lib. I. cap. 8.

(b) Id oſtendit Franc. Bernardin. Ferrarius *de ritu ſac. vet. eccleſiae concionum* variis locis.

(c) Matth. XI. 11.

(d) Chryſol. ſerm. LXXXVIII.

(e) Chryſoſtom. in Matth. homil. XXXVIII.

(f) Luc. I. 8.

(g) Luc. III. 3.

(h) Matth. III. 1. 12. Luc. III. 17.

(i) Matth. III. 6. 16. Marc. I. 4. 9.

nere commendavit, ut eum Meſsiam in lege promiſſum eſſe iudicarent. Quibus per legatos, num Chriſtus eſſet, ſciſcitantibus, vocem clamantis in deſerto eſſe ſe reſpondit, Chriſtum vero aut Eliam negavit (a).

Per idem tempus praedicandi ac docendi munus Chriſtus aggrediebatur. Quamquam omnia, quaecumque ad diem illum geſsit, pro tacita quadam ad omne virtutis & pietatis genus adhortatione haberi poſsint ac debeant. Siquidem & in mundum veniens, & naſcens, & cum hominibus vivens, humilitatis, paupertatis, caritatis, obedientiae, omnium denique virtutum, perfectiſsimum exemplum fuit. Verum hoc ille tempus deſtinaverat, ut populus, qui ambulabat in tenebris, videret lucem magnam, quae habitantibus in regione umbrae mortis oriretur (b). Poſt Iohannis baptiſmum, XL. dierum ieiunium, ac ſuperatum daemonem, e Galilaea Bethabaram redux, Baptiſtam iterum trans Iordanem, eiuſque diſcipulos, offendit; quorum non nulli (c), magiſtri teſtimonio (d) excitati, ad Chriſtum confugerunt. Hinc digreſſus, matre ac diſcipulis comitatus, Canam Galilaee (e) primum, tum Capharnaüm, pauciſque interiectis diebus, Ieroſolymas, feſtum Paſchatis celebraturus, contendit (f). Quo ubi pervenit, vendentes, nummularios, & negotiatores ſcutica e templo eiecit, plurimaque miracula edidit, quibus non pauci, ut illi crederent, adducti ſunt (g). Nicodemo vero, noctu ad illum venienti (h), baptiſmi & regenerationis dogma explicuit, ad eumque in aqua & Spiritu ſancto conferendum ad Iordanem fluvium remeavit. Quod ſacramentum magnae hominum undique confluentium vi, diſcipuli miniſtrabant, quum

(a) Iohan. I. 19. ſeqq.
(b) Matth. IV. 16.
(c) Andreas, eiuſque frater Petrus, & qui primo cum illis ad Ieſum venerat, quem alii Bartholomaeum, alii Iacobum Zebedaei putant: tum Philippus, ac Nathanaël.
(d) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Iohan. I. 29.
(e) Heic Chriſtus, ad nuptias cum matre ac diſcipulis invitatus, aquam in vinum tranſmutavit. Iohan. II. 1. ſeqq.
(f) Iohan. II. 13.
(g) Ibid. 23.
(h) Iohan. III. 1. ſeqq.

Ieſus interim ad praedicationem unice intentus eſſet (a). Poſt haec Galilaeam, deinceps Iudaeam, variaſque earum urbes ac pagos concurſavit, praedicandi, docendi & baptizandi munere, tum per ſe, tum per diſcipulos, defungens; bene de hominibus merendi ſtudium ubique locorum oſtendens, ac benevolentiam in eos ſingularem. „ Dei e-„ nim ſpiritu daemones eiiciebat, morbos corporum & a-„ nimorum depellebat, mortuos in vitam excitabat, & in-„ ſitum numen operibus admirandis indicabat (b).

Quibus permoti Iudaeorum & Gentilium plurimi, nempe qui libenter ſuſcipiebant vera (c), eum eſſe verum Meſſiam credidere, & chriſtianae religioni dederunt nomen. Horum duodecim elegit Chriſtus (d), quos, S. Spiritu repletos, ceteris praeeſſe, ſacrique depoſiti cuſtodes voluit, ut illis, ceu baſibus, totius eccleſiae aedificium, nullo umquam tempore ruiturum (e), inniteretur. Sunt autem Petrus, Andreas, Iohannes evangeliſta, Philippus, Iacobus maior, Bartholomaeus, Thomas, Matthaeus, Simon, Thaddaeus ſive Iudas, Iacobus minor, & Iudas Iſcariotes; in cuius locum, nam laqueo ſibi vitam eripuit (f), Matthias ſuffectus eſt (g). Hi vero *apoſtoli*, id eſt *miſſi* vocati ſunt: quippe quod eos Ieſus-Chriſtus poſt reſurrectionem in totum terrarum orbem miſerit, ut evangelium annuntiarent, ac baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti conferrent (h): cuius rei gratia, & Spiritu ſancto im-

ple-

(a) Ioh. IV. 2.

(b) Verba ſunt eloquentiſsimi Hier. Oſor. l. V. *de Sapient.* ſub finem.

(c) Ita loquitur Fl. Ioſephus, Iudaeus & ipſe, *Antiquit. Iudaic.* lib. XVIII. cap. 4. *Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque, tam de Iudaeis, quam de Gentibus, ſectatores habuit, &c.* quae talia ſunt, ut vix clarius de vero Meſsia Chriſto teſtimonium a chriſtiano homine exigeremus.

(d) Luc. VI. 13.

(e) Ita promiſsit Chriſtus Matth. XVI. 18. *Tu es*, inquit cum Petro, apoſtolorum principe, loquens, *Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam.* Et Matth. XXVIII. 19. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaeculi.*

(f) Matth. XXVII. 5.

(g) Actor. I. 26.

(h) Matth. XXVIII. 19.

pleti, & variarum linguarum cognitione, ac miracula patrandi virtute donati ſunt (a). Quibus ſuo merito adiungendus eſt, qui abundantius omnibus laboravit (b), magnus ille Gentium doctor Paullus, quem ſibi Chriſtus vas electionis adoptavit, ut portaret nomen eius coram gentibus, & populis, & filiis Iſraël (c).

Iam vero, quum Apoſtoli plura hominum millia (d) ad chriſtianam pietatem in Iudaea & Samaria traduxiſſent; per omnes ferme terrarum orbis provincias diſperſi, uberrimos ſane praedicationis fructus retulerunt. Id autem ſcriptura ſacra (e), id ex Iudaeis Ioſephus (f), id ex ethnicis Tacitus (g), & Plinius iunior (h), id ex veteribus chriſtianis quam plurimi (i) teſtati ſunt: e quibus unum dumtaxat Lactantium in medium proferemus. Is enim eo libro, quem de mortibus perſequutorum ſcripſit (k), ubi adnotaſſet, Chriſtum poſt reſurrectionem XL. diebus cum apoſtolis verſatum fuiſſe, quo eos pluribus ad chriſtianae religionis propagationem, eccleſiaeque ſtabilitatem neceſſariis documentis inſtitueret, „ inde, inquit, diſcipuli, qui tunc e-
„ rant undecim, adſumtis in locum Iudae proditoris Mat-
„ thia & Paullo, diſperſi ſunt per omnem terram ad evan-
„ gelium praedicandum, ſicut illis magiſter Dominus im-
„ peraverat, & per annos XXV. uſque ad principium Ne-
„ roniani imperii, per omnes provincias & civitates, eccle-
„ ſiae fundamenta miſerunt. Quumque iam Nero impera-
„ ret, Petrus Romam advenit; & editis quibuſdam mira-
„ culis, quae virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate,
„ faciebat, convertit multos ad iuſtitiam, Deoque tem-
„ plum fidele ac ſtabile collocavit. Qua re ad Neronem „ de-

(a) Actor. II. 1. ſeqq.
(b) 1. ad Corinth. XV. 10.
(c) Actor. IX. 15.
(d) Actor. II. 41. & IV. 4.
(e) Variis N. T. locis, praecipue in Actis Apoſtol. & Paulli epiſtolis.
(f) *Antiquit.* lib. XVIII. cap. 4. Ipſi etiam Pontifices & Phariſaei apud Matth. VII. 28. Luc. XIX. 47. Ioh. XI. 48.
(g) Annal. lib. XV. cap. 44.
(h) Lib. X. epiſt. 97.
(i) Eos videſis apud Ioh. Alb. Fabricium in opere, cui titulus: *ſalutaris lux evangelii*, &c. cap. 2. pag. 25. ſeqq.
(k) Cap. 2.

„ delata, quum animadverteret, non modo Romae, ſed „ ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cul- „ tu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetu- „ ſtate, tranſire, ut erat exſecrabilis ac nocens tyrannus, „ proſilivit ad excidendum caeleſte templum, delendam- „ que iuſtitiam, & primus omnium perſequutus Dei ſer- „ vos, Petrum cruci adfixit, & Paullum interfecit.

Haec tamen funeſta (a) I. clades, aliaeque ſub II. Domitiano, III. Traiano, IV. Hadriano, V. M.Aurelio Antonino, VI. Severo, VII. Maximino, VIII. Decio, IX. Valeriano ac X. Diocletiano & Maximiano imperatoribus, quibus chriſtiani per annos circiter trecentos vexati ſunt, tantum abeſt ut evangelicae doctrinae propagationi obfuerint, ut, crudelitate etiam tyrannorum, martyrumque ſanguine, maiora in dies incrementa ceperit. „ Magis *enim* praeconium „ (evangelii) creſcebat (inquit Matthaeus Camariota (b),) „ quam quaecumque humanarum rerum habentur in ho- „ nore apud homines, tantoque plures id ſectabantur, & „ accipiebant, & venerabantur, quo plures contumeliae „ excogitabantur adverſus ſectatores, quoque graviora „ quotidie exquirebantur genera ſuppliciorum.„ Vt veriſ- ſime dixerit Tertullianus (c), religionis chriſtianae ſemen eſſe ſanguinem chriſtianorum: & Prudentius: (d)

Nec furor quiſquam ſine laude noſtrum
Ceſsit, aut clari vacuus cruoris:
Martyrum ſemper numerus ſub omni
Grandine crevit.

Tantum vero, tam difficile planeque divinum evangelicae propagationis opus, praeter Paullum, ac duodecim illos, quos ſupra memoravimus, viri etiam apoſtolici aureo illo naſcentis eccleſiae ſaeculo perfecerunt. Horum non nullos Apoſtolus commendat in epiſtola ad Romanos

(a) Accidit circa A.C.64.aut 66. II.A.93. III.104. IV.125. V. 151. VI. 197. VII. 235. VIII.250. IX. 257. X. ab A. 303. quae fere per decennium duravit. Atque hae ſunt praecipuae perſequutiones chriſtianorum primis eccleſiae ſaeculis.

(b) *De fato adverſ. Geniſtum Pletonem* lib. II.

(c) In *Apolloget.* cap. ult.

(d) Periſtephan. hymn.IV. (in quibuſdam edit. VII.) a verſ. 85.

nos (a): quibus adiungendi sunt Linus, Cletus, & Clemens Romanus, Petri successores, tum etiam Simeon, Ignatius, Polycarpus, Papias, ceteri, qui, tametsi ad saeculum II. referantur, ab Apostolis tamen instituti & initiati fuere. Quorum ea fuit tota cura & studium, ut evangelium praedicarent, miraculis confirmarent, atque Infideles, Iudaeos, cathecumenos, pro sua quemque conditione, erudirent. Eadem docendi ratio saeculo II. & III. obtinuit: nisi quod maiori apparatu doctrina sacra tradita fuit in scholis, praesertim Alexandrina, a Marco evangelista instituta (b), cui Pantaenus praefuit, tantaeque prudentiae & eruditionis, tam in scripturis divinis, quam in saeculari litteratura, fuit, ut in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis legatis, a Demetrio, Alexandriae episcopo, ad praedicandum Christi evangelium mitteretur (c). Eamdem, post Pantaenum magistrum, scholam tenuit Clemens Alexandrinus, qui discipulum habuit Origenem Adamantium (d), virum eruditissimum, in omnibus disciplinis apprime versatum, acri iudicio praeditum, atque inter optimae notae criticos referendum (e). Singularis etiam pietatis fuit; adeo ut vel laicus ipse Clementi in schola Alexandrina successerit (f), atque ab Alexandro Ierosolymitano, & Theodisto Caesarienfi, episcopis, rogatus fuerit, ut publice in ecclesia differeret, & divinas scripturas, tametsi sacris nondum initiatus, exponeret (g). Quod erat illis temporibus non laicis modo (h), verum etiam presbyteris (i) interdictum. Tantam porro Origenes dicendi copiam, assidua concionandi exercitatione, adeptus fuerat, ut publice, magna omnium

(a) Cap. XV. a vers. 3. ad 16.

(b) Euseb. *Hist.* lib. II. cap. 15. 16. 23.

(c) Hieronymus *de Script. Eccles.* cap. 36.

(d) Hoc testatur ipse Clemens Stromat. lib. I.

(e) Confer. Henr. Valesius *de Critica* lib. I. cap. 23.

(f) Hieron. *de Script.* cap. 36.

(g) Euseb. *Hist.* lib. VI. cap. 19.

(h) Concilium Carthag. IV. can. 98. Trullanum cap. 64. Vid. Ferrarius *de rit. sacr. vet. eccles. concion.* lib. II. cap. 12.

(i) Confer. idem Ferrar. lib. II. cap. 9. ubi varia concil. decreta, & PP. testimonia adducit.

mnium admiratione, diceret ex tempore; &, quae ita funderet, a notariis etiam excipi pateretur (a).

Atque hic primus christianorum oratorum apud Graecos fuit: quem paullo post, medio scilicet saeculo III. nobilis Latinus excepit, Caecilius Cyprianus. Rhetoricam Carthagine, patria sua, cum laude docuit; eumque Deus eloquentiae & profanae eruditionis, seu AEgypti opibus, ut inquit Augustinus (b), onerari voluit, quo ad ecclesiae fidem propugnandam instructior accederet. Laudat in eo Lactantius (c) ornatum in eloquendo, facilitatem in explicando, & in persuadendo vim: quibus si modestiam, gravitatem, pietatem, & invictum pectus addidisset, aliquam, tametsi imperfectam, sanctissimi & eloquentissimi viri speciem haberemus. Floruit & sub Diocletiano Arnobius, Siccae in Numidia, Africae provincia, oratoriae artis professor, eruditione magis, quam aspero, quo utitur, stilo commendandus. Eius auditor fuit Lactantius Firmianus, qui dicendi quoque artem Nicomediae professus est. Homo sui temporis doctissimus, Tullianae eloquentiae fluvius, lacteus ac melitissimus orator Hieronymo (d) audit; ut suo quodam iure christiani Ciceronis nomen adeptus fuerit (e).

Devenimus iam ad IV. saeculum, quo demum ecclesiae Christi, post acerbissimas impiorum principum vexationes, pacem diu expetitam concesit Magnus Constantinus (f). Imperator certe maximus & felicissimus, qui & christianis favit, & cathecumenis accenseri voluit, & ab Eusebio Nicomediensi tandem baptizatus est. Vna eius latina oratio ad sanctorum coetum *de Christi adventu & divinitate* hodieque supereſt ex pluribus, quas scripsit, quarumque magnam partem recitavit (g). Sub eodem Constantino vixit Athanasius (h), magnus ille christianorum causae adversus Arium

(a) Euseb. *Hist.* lib. VI. cap. 36.

(b) De *doctr. christ.* lib. II. cap. 40.

(c) *Divin. instit.* lib. V. cap. 1.

(d) Epist. 13. ad Paullin. *de instit. Monachi.*

(e) Vixerunt Arnobius & Lactantius usque ad initia IV. saeculi.

(f) Romanum imperium tenuit ad anno 306. ad 337.

(g) Confer. Euseb. lib. IV. *de vita Constantini*, cap. 29. & 32.

(h) Decesit vero sub Valente anno 373.

Arium haereſiarcam patronus : quem qui laudat , virtutem ipſam laudare , inquit Nazianzenus (a). Singularis moderationis & iudicii in diſputando fuit , atque a ſumma ſcripturarum eruditione , dictionis perſpicuitate , ſuavitate , vi & copia , praecipue commendatur. Per idem tempus plurima opera , pia magis , quam docta (b) , ſcripſit Ephraemius , Syrorum doctor & propheta dictus. Ad tantam vero pietatis & doctrinae exiſtimationem pervenit , ut eius ſcripta in quibuſdam eccleſiis , poſt Scripturarum lectionem , publice recitarentur. Enituit vero , praeter ceteros, iudicio, doctrina & eloquentia, Baſilius Magnus Cappadox, qui , auctore Photio (c) , Platone , Demoſthene aliiſque oratoribus illuſtribus haud inferior habendus eſt : immo , ſi Eraſmo credimus , Graecis oratoribus longe praeſtat , vitiiſque eorum caret. Amicum & contubernalem habuit Gregorium Nazianzenum , ob acumen , quo de rebus divinis philoſophatur , *Theologum* cognominatum. Tantum vero in oratoriae artis ſtudio profecit Nazianzenus , ut Lybanius ſophiſta , ſub cuius inſtitutione Rhetoricam Athenis didicerat , a diſcipulis rogatus , quis illi dignus videretur , qui eius cathedram poſt mortem ſuſciperet , Gregorius , inquit , ille , niſi chriſtianus eſſet (d). Quod verum profecto eſſe , eius orationes , non minus piae ac eruditae, quam eloquentes , luculentiſsime probant. Ceſsit iis Graecis eloquentia Latinus Ambroſius , Mediolanenſis antiſtes, Graeci tamen ſermonis cognitione , varia doctrina , pietate , gravitate , miraque iucunditate celeberrimus : ut non immerito *melliflui doctoris* cognomen fuerit aſſequutus. Frequentiſsime ad populum concionabatur : neque enim ullum diem dominicum abire ſermone vacuum permittebat (e). Eloquentiſsimi Baſilii frater fuit eloquens & ipſe Gregorius , epiſcopus Nyſſenus , multa doctrina praeditus , neç vul-

(a) In Orat. *de laudibus Athanaſii* , quae ita incipit : *Athanaſium laudans , virtutem laudabo. Idem enim eſt , illum dicere , quod virtutem laudibus efferre.*

(b) Bellarm. *de Scriptor. eccleſ.* ad annum 365.

(c) Bibliothecae cod. CXLI.

(d) Apud Iohan. Anglum in *praefat. hiſtor. Eccleſ.*

(e) Auguſtinus in *Confeſſ.* cap. 6.

vulgari eruditione. Ex Rhetoricae profeſſore ad epiſcopi munus evocatus, operam ſuam in fidelibus erudiendis, refutandiſque haereticis, Eunomio praeſertim captioſiſsimo, feliciter poſuit; plurimaque opera, pura, libere fluenti, plenaque animi oratione ſcripſit.

Extremo iam ſaeculo IV. & V. ineunte floruit Gaudentius, epiſcopus Brixienſis, cuius ſermones habemus, pietatis plenos, & pectus vere apoſtolicum referentes. Eodem tempore fuit Iohannes, Chryſoſtomus nuncupatus, quod tanta eloquentia valeret, ut flumen verborum aureum ex illius ore videretur exire. Omni ferme diſciplinarum genere excultus fuit, quas pietati, praecipueque verbi Dei praedicationi, ſervire coëgit. Quo in officio tanta cum laude verſatus eſt, ut presbyter etiam, Antiocheni antiſtitis vices gerens, auditorum animos (a) ad ſe raperet; quos ab auribus vinctos, non ſecus atque Hercules ille Gallicus (b), ad linguam ita trahebat, ut, quum & maxima eſſet frequentia, & propius quiſque dicenti adſtare vellent, ſe invicem communi detrimento premerent (c). Sequitur numquam ſatis laudatus Aurelius Auguſtinus, admirandus & ipſe concionator, doctrina, pietate, ingenio, nemini ſecundus. Praedicationis munus, non niſi presbyter, praeter conſuetudinem Africanarum eccleſiarum, coram Valerio, Hipponenſi praeſule, poteſtate ſibi ab eo facta, utiliter exſequutus eſt (d): epiſcopus vero, populum & clericos, aſsiduis concionibus habitis, inſtituit, vires haereticorum fregit, & praeclara opera lucubravit, in quibus ingenium magis, quam eloquutio, viget. „ Quamvis enim Rhetoricam do-„ cuiſſet, oratorum tamen eloquentiam non poſsidebat, „ aut illam ſaltem negligebat (e).

Sermones quoque ſub initium V. ſaeculi conſcripſit Maximus, vir pius ac doctus, epiſcopus Taurinenſis. Horum plurimi inter Ambroſii & Auguſtini opera recenſentur.

Di-

(a) Palladius in eius vita.

(b) Apud Lucianum in *Hercule Gallico.*

(c) Sozomenus *hiſtor. eccleſ.* lib. VIII. cap. 5.

(d) Poſsidonius in eius vita.

(e) Dupinus in *Nova Biblioth. auctor. eccleſ.* tom. III. pag. 256.

Disputant etiam eruditi de tempore, quo ille floruit ac mortuus est. Ab his tamen criticis disceptationibus nobis hoc loci abstinendum duximus. Nec omittendus Cyrillus Alexandrinus, praestanti doctrina, & recondita Theologiae cognitione praeditus, christianae religionis acerrimus propugnator. Plurimas homilias composuit, quas magni faciebant Alexandrinae ecclesiae episcopi, atque ad declamandum, ut Gennadius inquit (a), memoriae commendabant. Cyrilli aequalis fuit Theodoretus, episcopus Syrensis, qui eruditione, iudicio, eloquentia, orationisque lepore & perspicuitate, Chrysostomum, quem sibi imitandum proposuit, reddere videtur. Paullo post, medium circiter saeculum V. excellens orator fuit Eucherius Lugdunensis. Eloquentissimas conciones scripsit, si fidem Claudiana (b) habemus. Quas hodie num exstare arbitrantur plurimi, easque, maximam saltem partem, esse, quae Eusebii Emisseni nomine leguntur. Sub idem tempus floruit Petrus, episcopus Ravennas, Chrysologus, ob aureum eloquentiae flumen, cognominatus: tum etiam Leo, Romanus pontifex, eius nominis primus, magnus iure merito dictus: scriptor, ut inquit Photius (c), purus ac suavis, quique ferventi zelo contra impios depugnavit (d). Quibus adiungendi sunt Valerianus, episcopus Cemeliensis, & Salvianus Massilienſis; quem plures conscripsisse homilias, Gennadius & Honorius testantur (e).

Saeculo VI. haud exiguum detrimentum cepit eloquentia sacra: pauciſsimosque reperias, quos aut rerum divinarum scientia, aut dicendi facultate, prioribus illis, Cypriano, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, ceteris, conferre possis. Enituerunt vero praeter ceteros Fulgentius, Ennodius, Isaac iunior, & Caesarius Arelatensis. Sed quasdam ex homilius, quae huius nomen prae se ferunt, iunio-

(a) *De illustr. eccles. script.* cap. 57.

(b) Claudianus Mamertus in lib. *de statu animae.*

(c) In *Biblioth.* cod. CCXXVI.

(d) Idem cod. LIV.

(e) Gennad. *de illustr. scriptor.* cap. 67. Honor. Augustod. *de luminar. eccles.* cap. 67.

nioris auctoris esse, ex eo patet, quod in illis de Gregorio papa, atque Isidoro Hispalensi, aetate posterioribus, mentio fiat.

Labente iam VI. saeculo, & sub initium VII. floruit Gregorius Magnus, pontifex sanctissimus, atque inter omnes illius temporis doctissimus. Assiduus, si quis alius, in concionandi officio fuit; adeo ut basilicas & martyrum coemeteria eam in rem frequenter concursaret: quum autem, languentis stomachi causa, hoc munus per se ipse sustinere non poterat, ad alios deferebat, qui homilias, ab eo dictatas, pronuntiabant (a). Quae ad hunc diem superstites, tametsi eloquentia & sermonis nitore parum valeant, pietatis tamen doctrinaeque causa legendae sunt. Post M. Gregorii aetatem episcopi multo, quam antea, remissiores in concionando fuere. Siquidem nec eloquentia humanioresque litterae per haec tempora vel mediocri cura excolebantur, neque ecclesiae disciplina in primigenio robore permanebat. Scripturae quoque studium sensim inclinavit: qui enim eidem operam dederunt, toti in eo fuere, ut superiorum patrum sententias cogerent ac describerent (b): de suo autem nihil addiderunt. Concionatores vero aut ex eorumdem patrum scriptis homilias componebant, aut integras sumebant, totidemque verbis recitabant. Tam altas denique radices ignorantia egit, ut quidam ne grammaticam quidem scirent: immo & necesse fuit, presbyteros interdum ab episcopis interrogari, num evangelium & epistolam bene legere possent, aut saltem ad litteram eius sensum manifestare (c). Vt verissime possimus illa Gregorii verba usurpare, quibus ipse usus fuit, ut ec-

cle-

(a) Gregor. in prol. XL. *homil. in evang.* Iohannes Diaconus *in Greg. vita* lib.II. cap.18. & lib.IV. cap. 74.

(b) Hoc scriptionis genus *Catenas Patrum* appellabant. Venerabilis Beda primus omnium catenam scripsit. Quem eius discipulus imitatus est Flaccus Alcuinus, ex cuius disciplina plures profecti sunt viri doctissimi: quorum postremus Walafridus Strabo saec. IX. fuit. *Confer. Launoius de schol. celebr.* cap. 2. Graecos *catenarum* scriptores videsis apud Ioh. Alb. Fabricium in *Biblioth. Gr.* lib. V. cap. 17.

(b) Confer. Baronius in *Annal. eccles.* ad ann. 992. n. 25.

cleſiae conditionem circa mundi finem deſcriberet. (a) „ Tunc ergo, inquit, quum in diebus illis eccleſia, quaſi „ quodam ſenio debilitata, per praedicationem filios pare- „ re non valet, reminiſcitur fecunditatis antiquae, dicens: „ (b) *ſicut fui in diebus adoleſcentiae meae.*

Certe nullo umquam tempore chriſtiani tanta fide, ſinceritate, probitate, induſtria, ſapientia, laborum tolerantia, rerumque humanarum contemtione claruere, quantam in aurea illa apoſtolorum aetate demiramur. Numquam praeterea evangelica praedicatio tam fauſte ac feliciter reipublicae chriſtianae evenit. Quis enim non ſtupeat ac miretur, homines & paucos, & imbelles, & egenos, & idiotas, id efficere docendo & patiendo potuiſſe, ut ſapientiſsimi quique, principes etiam & imperatores, ad pietatem & religionem chriſtianam accederent? (c) Quamquam haud parum divina virtus ſe ſe conſpiciendam praebeat in acerbis tyrannorum vexationibus uſque ad IV. ſaeculum, haereticorum, & ſchiſmaticorum uſque ad VII. in quibus eccleſia Chriſti mirum in modum aucta & amplificata fuit. Nec illud quoque admiratione vacat, quod, quum a VII. ſaeculo ad X. quod morum perverſitate litterarumque inſcientia ferreum appellatur, in communi ferme omnes ignoratione verſarentur (d); numquam tamen eccleſiae ſatis docti iuxta ac piiſsimi homines defuerint, qui exemplo & doctrina populum inſtituerent, atque in officio continerent. Celebrantur autem hoc nomine ſaeculo VII. Sophronius, patriarcha Ieroſolymitanus; Leontius, epiſcopus Cyprius; Eligius, epiſcopus Noviomenſis; & Ildephonſus, epiſcopus Toletanus: VIII. Germanus, patriarcha Conſtantinopolitanus; Beda Anglus, presbyter; Iohannes Damaſce-

(a) *Expoſit. Moral.* in Iob lib. XIX. cap. 9.

(b) Iob XXIX. 4.

(c) Confer. Matth. Camariota *de fato adv. Gemiſt. Pletonem* lib. II. apud Fabricium in opere inſcripto: *ſalutaris lux evangelii, cet.* cap. 10. pag. 161. ſeqq.

(d) Ignorantiae cauſae per haec tempora, praeter Gentium migrationes, & incurſiones Barbarorum, aliae quoque aſsignantur: quas videſis apud ſcriptores cum eccleſiaſticae, tum litterariae hiſtoriae.

ſcenus ; Paullus , diaconus Aquileienſis ; Theodorus Studites : IX. Haymo , epiſcopus Alberſtatenſis ; Simeon iunior, cognomento *Logotheta* ; Nicetas Paphlago , David cognominatus : X. Leo ſapiens , Orientis imperator eius nominis ſextus ; & Radulphus Ardens : quorum omnium orationes ſacrae ad noſtra tempora pervenerunt (a).

Revixere non nihil ſaeculo XI. ſtudia litterarum. Praecipue vero dialectica magno in honore fuit apud Theologos , qui fere ſoli litteris vacabant : ex quo illud exſtitit, ut dialecticae ſubtilitates ad theologicas tractationes , ſacrorumque librorum explanationem adhiberentur. Quae methodus poſterioribus ſaeculis ad XV. obtinuit , in quibus ſcholaſtica Theologia nata , adulta , atque ad ſummum faſtigium perducta eſt. Per id tempus eloquentia ſacra (b) valde iacebat. Scripturarum interpretatio abſque ullo ferme eruditionis apparatu , & debita linguarum cognitione inſtituebatur. Ex quibus fit perſpicuum , nec egregios ea tempeſtate chriſtianos oratores exſtitiſſe. Pietatis tamen , magis quam reconditae eruditionis , cauſa laudantur ſaeculo XI. Leo IX. papa ; Petrus Damiani ; Iohannes Xiphilinus , patriarcha Conſtantinopolitanus ; Ivo , Carnotenſis epiſcopus : XII. Theofridus , abbas Epternacenſis; Hildebertus , archi-epiſcopus Turonenſis ; Bernardus , abbas Claravallenſis (c) ; Hugo de S. Victore ; Richardus eiuſdem cognominis ; Odo , abbas Moribundi : XIII. Innocentius III. pontifex maximus ; Antonius Oliſiponenſis , *Patavinus* vulgo dictus ; Guilielmus , epiſcopus Pariſienſis ; Iacobus a Vitriaco ; Thomas Aquinas , Bonaventura , Rupertus de Ruſsia : XIV. Iohannes Taulerus ; Iordanus de Saxonia : XV. Vincentius Ferrerius (d) ; Bernardinus Senenſis; AEneas Sylvius , ſeu Pius II. ; Laurentius Iuſtinianus ; Beſſarion,

(a) Eas videre eſt in *Bibliotheca Patrum* : quaedam etiam ſeorſum editae ſunt.

(b) Nec non & profana uſque ad ſaeculum XIV.

(c) Hic inter ceteros & vitae ſanctimonia , & ſapientiae ſplendore eminet.

(d) Conciones *de tempore* , & *de ſanctis* , quae huius nomine circumferuntur , ab eius diſcipulis exceptae videntur : quum ipſius Vincentii interdum in illis iniiciatur mentio.

rion, cardinalis; & Ambrosius Camaldulensis.

Pulchrior sane fuit ecclesiae facies saeculo XVI. Nam & humaniora studia, quae iam inde a XIV. instaurari coeperunt, novam lucem & splendorem adepta sunt; & Theologi nostri, quo haereticorum impudentiam frangerent, operam suam in eo posuerunt, ut sacros codices emendatius ederent, ac polyglottas editiones adornarent (a); veterum episcoporum scripta evolverent; historiam, praecipue ecclesiasticam, illustrarent (b); Theologiam denique ab inutilibus quaestionibus repurgarent (c). De sacra etiam oratoria, quae iam per mille annos in squallore ac sordibus iacebat, in antiquum statum restituenda cogitatum est. Nec certe infelici eventu. Plures siquidem exstitere concionatores, qui munus suum cum dignitate obiverint. Quorum magna pars concilio Tridentino interfuit: ubi conciones varii argumenti, prout res ferebat, habitae sunt; quae, in unum corpus redactae ac editae, ad nostras manus devenerunt.

Ex eo tempore insignes concionatores fuere cum apud exteros, tum etiam in Hispania nostra. Hos inter palmam ferunt Thomas Villanovanus, archi-episcopus Valentinus, & Ludovicus Granatensis. Quos malem Hispanos nostros legere, quam ineptos illos homiliarios, qui numquam scripturas, numquam patres attigerunt; qui vix aliud norunt de Rhetorica praeter nomen; de philosophia, dialecticas argutias; de morum doctrina, virtutum ac vitiorum nomina; de Theologia, inanes de possibili disputationes; de historia, aniles fabellas; de prudentia nihil: quorum non parva seges ubique temporum & locorum fuit (d). Sed illud maxime mirandum est, quum il-

c

(a) Laudandi hoc nomine prae ceteris Hispani duo: nempe *Franc. Ximenius e Cisneros*, cui Biblia *Complutensia*; & vir summus *Ben. Arias Montanus*, cui *Antuerpiensia* debemus.

(b) Eminet in his Card. *Baronius*, qui *Annales ecclesiasticos* composuit, ut *Centuriatoribus Magdeburgensibus* se se opponeret.

(c) In Hispania nostra Franciscus a Victoria, Melchior Canus, Alphonsus a Castro, ceteri.

(d) Vix possum mihi temperare, quin Cl. Lud. Vivis iudicium de

illorum libri nullo aut eruditionis, aut acuminis, aut eloquentiae condimento conſcripti ſint; homines tamen eſſe tam patientis ſtomachi, qui eos facile devorare & concoquere poſsint. Atqui multo maiori ſunt in numero, quam vulgo creditur. Quin etiam certo affirmare poſſum, vel ex paucis illis, qui inter eximios oratores his temporibus numerantur, vix unum eſſe, qui tanto nomine dignus ſit. Quod, tametſi paradoxon prima facie videatur, cuilibet animum advertenti patebit. Quotus enim quiſque eſt, tanto rerum ſuarum amore abreptus, qui ſermonem ſe adornare poſſe confidat, cum Baſilii aut Chryſoſtomi homiliis conferendum? Sed eſto. Demus hoc illis, quod ne ipſi quidem ſibi arrogabunt. Num, quaeſo, erit aliquis, tanta dicendi facultate praeditus, ut concionem habeat ex tempore, quae, litteris conſignata, attente legentes in admirationem traducat? Negabunt, arbitror, ipſi, niſi ſi Thraſone iactantiores ſint. Atqui veteres epiſcopos, praecipue Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, hac ratione magnam homiliarum, ſeu ſermonum, partem habuiſſe, eruditi homines iam dudum obſervarunt. Agite vero, an ne in eximios oratores, ac non potius inter logodaedalos eum cenſebitis, qui ſermonem, non numquam etiam centonem, Herculeo labore multiſque diebus concinnatum, memoriter complectatur atque pronuntiet? Sed haec ſatis. Nolo

---

de ſui temporis concionatoribus deſcribam. Quamquam non omnes illius aevi tales fuerint, quales depingit ille lib. IV. *de cauſis corrupt. art.* Oper. tom. I. pag. 400. in haec verba: *Qui nunc dicunt, quam diſpares, imperiti, ignari vitae, immo etiam communis ſenſus: qui ſint affectus, aut quemadmodum vel impellendi, vel revocandi, omnino neſcii. Nec, cui rei quae verba, quod genus orationis ſit adhibendum, norunt; omnia bene convenire omnibus rati. Sententias habent plumbeas, frigidas, iacentes, ſegnes, quae animos deiiciant citius, quam excitent: argumentatiunculas colligunt ab illo exercitio ſcholaſtico, quae ventilant quidem, & titillant interdum, nunquam feriunt aut caedunt. Diſpoſitio fuſa & diſſipata: nihil dicunt ſuo loco: actio immoderata: nihil pro re aut tempore: non in voce, non in oculis & ore, non in manu & digitis, non in geſtu & ſtatu corporis univerſi: quae illi ita habent cognita, ut nulla eſſe arbitrentur, nec intereſſe, ſaltitent dicentes, an ſedeant.*

lo equidem in re, invidiae offenſioniſque plena, diutius immorari. Quod ſi quis prodi ſe ac laceſsiri noſtra diſputatione ſentiat, non me, qui neminem nomino, ſua eum cognita mala prodere animadvertat. Quare iraſci nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri (a). Nunc vero perſtringamus paucis, quo modo eccleſiaſtes impoſitum ſibi concionandi munus poſsit cum dignitate explere, ampliſsimumque chriſtiani oratoris nomen promereri.

Ac principio meditatam dicendi rationem interdum contemnendam exiſtimamus. Neque enim apoſtoli eorumque diſcipuli, nec priorum ſaeculorum patres ſemper ſcribebant privatim, quae publice deinde recitarent. Non eſt ſuadenda chriſtiana pietas eo ſermonis genere, qui lucernam oleat, artiſque affectationem & laborem ubique prodat. Etenim „ oratio, ut inquit Seneca, vultus ani„ mi eſt: ſi circumtonſa eſt, & fucata, & manufacta; o„ ſtendit, illum quoque non eſſe ſincerum, & habere a„ liquid fracti, ... eſſe puſillis occupatum (b). „ Laudetur, per me licet, hoc nomine Demoſthenes (c): at eccleſiaſtes noſter *verba* habeat *vitae aeternae* (d): *non in doctis humanae ſapientiae verbis, ſed in doctrina ſpiritus* loquatur (e). Quae non ideo dicimus, quaſi aliquid de oratoriae artis ſtudio detractum velimus; abſit enim tam praepoſtera exiſtimatio: ſed ut oſtendamus, quod aperte Cicero praecepit, „ in dicendo vitium vel maximum „ eſſe, a vulgari genere orationis, atque a conſuetudi„ ne communis ſermonis abhorrere (f). „

Itaque futurum concionatorem ſumma ope niti decet, ut Rhetoricae praeceptis imbuatur. Quam in rem val-

(a) Cic. *pro lege Manilia* cap. 13.

(b) Epiſt. CXV. Confer. Quinctil. *inſtit.* lib. VIII. in prol.

(c) De cuius orationibus vulgo dicebatur, quod lucernam olerent: eius videlicet in illis componendis vigilias notantes. Vid. Cic. *Tuſcul. quaeſt.* lib. IV. cap. 19. & Eraſmum ad adagium: *Lucernam olere.*

(d) Iohan. VI. 69.

(e) 1. ad Corinth. II. 13.

(f) Cic. *de Orat.* lib. I. cap. 3. atque ex eo Quinctil. *inſtit.* lib. VIII. in prol.

valde proderit, aliquod illius compendium primum legere; veluti Gerardi Iohannis Voſsii Rhetoricam contractam, aut, quod erit fortaſſe utilius, Cornificii quattuor libros Rhetoricorum ad Herennium: tum Quinctiliani inſtitutiones, atque Oratorem Ciceronis. Quum vero per otium licuerit, haud abs re erit, Ariſtotelis Rhetorica ad Theodectem, Longini opuſculum de ſublimi charactere, Ciceronis partitiones, ac Brutum, ſeu de claris oratoribus tractatum, evolvere. Ceterum, quando eloquentiam popularem oratori ſacro vel maxime commendatam volumus, adiungendum ſuperioribus illis cenſemus, eiuſdem argumenti libellum, quem doctiſsimus Muratorius *contra ſublime loquentes in cathedra* compoſuit.

Nemo autem exiſtimet, his perlectis, valde ſe in dicendi arte profeciſſe. „ Eſt enim & ſcientia compre„ hendenda rerum plurimarum, ſine qua verborum vo„ lubilitas inanis atque irridenda eſt (a). „ Ac mihi quidem, de hac re acrius cogitanti, illud exploratum eſt, perfecto oratori nihil omnino ignorandum eſſe, quod vaſtiſsimo humanarum cognitionum ambitu contineatur. Quam rem L. Craſſus apud Tullium docuit. „ Si quis, „ inquit, univerſam & propriam oratoris vim definire „ complectique vult, is orator erit, mea ſententia, hoc „ tam gravi dignus nomine, qui, *quaecumque res inci„ derit*, quae ſit dictione explicanda, prudenter, & com„ poſite, & ornate, & memoriter dicat, cum quadam „ etiam actionis dignitate (b). „ Quod ſi cui nimis infinitum, atque ab homine, cuius & vita brevis, & vis mentis imbecilla, ne optandum quidem videatur; non admodum repugnabo: dum tamen illud teneat, non ideo minus nobis ad ſumma tendendum eſſe. „ Prima enim „ ſequentem, honeſtum eſt, in ſecundis tertiiſque con„ ſiſtere (c). „ Recteque Horatius (d):

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Quapropter ſi chriſtianus orator talem ſe futurum mini-

(a) Cic. *de Orat.* lib. I. cap. 5.
(b) Cic. *de Orat.* lib. I. cap. 15.
(c) Cic. in *Orat.* cap. I.
(d) Horat. lib. I. epiſt. I. verſ. 32.

nime ſperet, qualem animo & cogitatione fingimus; eniti tamen debet, quantum poſsit, ut fidelis verbi Dei diſpenſator, dignuſque Chriſti & apoſtolorum ſucceſſor fiat.

Hoc vero facile aſſequetur, ſi, cuius doctrinam praedicat, vitam etiam imitetur: ſi cum veteribus chriſtianis vere dicere poſsit, *non loquimur magna, ſed vivimus* (a); ſi, rerum magis, quam verborum, amator, utilia potius, quam plauſibilia, ſectetur (b). Tum etiam ſi totis viribus incumbat in ſtudia litterarum. Haec autem, quod ad concionatorem attinet, tribus continentur; philoſophiae, nimirum, Theologiae, atque hiſtoriae cognitione. Ac de philoſophia quidem Logica primum perdiſcenda: non illa ſcholaſtica, *quae in abuſu eſt*, quaeque, ut inquit Verulamius, *ad errores, qui in notionibus vulgaribus fundantur, ſtabiliendos & fingendos valet potius, quam ad inquiſitionem veritatis* (c); ſed quae mentem dirigit, iudicium format, ac rationem tradit, qua ceterae diſciplinae facilius utiliuſque diſcantur. De illa vero conſulendos iudico Antonium Genuenſem, Aloyſium Antonium Verneium, aut Florianum Dalhamum; quorum in hac materia ſcripta illis ſuperiorum temporum longe praeſtantiora ſunt. Logicae pars eſt Critica, ars certe praeclariſsima, atque oratori ſacro penitus neceſſaria. Cuius ideo mentionem facere voluimus, quod nimis multos animadvertamus, criticis omnibus impietatis notam inurentes. Nempe impii erunt, quot quot verum a falſo, pravum a recto in re litteraria diiudicare noverint! *Faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant* (d); qui quum hos accuſant, viros divinos, eccleſiae patres ſcriptoreſque accuſant, qui illis praeiverunt. Criticus enim fuit Eſdras ille *ſcriba velox in lege Moſis* (e), qui ſacros codices deſcripſit, ordine poſuit, & emendavit. Critici fuere Origenes, Ba-

(a) Minutius Felix in *Octavio* cap. 38. Cyprianus *de bono patientiae* ſub init.

(b) Salvianus in prooem. lib. I. *de gubernat. Dei.*

(c) *Nov. Organ. ſcient.* Aphor. XII.

(d) Terentius in *Andriae* prol. verſ. 17.

(e) 1. Eſdrae VII. 6.

ſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Iohannes Chryſoſtomus, Hieronymus, Syneſius, Theodoretus, Photius, ut oſtendit clariſsimus Valeſius (a).

Quod ad Metaphyſicam ſpectat, unum monemus, nempe haud eſſe rebus Theologicis immiſcendas nimias ſubtilitates; quae dici non poteſt quantum eccleſiae incommodaverint ſaeculis XII. & XIII. (b). Noſtra vero & patrum aetate multum incrementi cepit haec ſcientia poſt Leibnitzium, Wolffium, eorumque ſectatores: quorum libri, quamvis valde e re orbis litterarii fuerint, Theologo noſtro parce tentandi ſunt. Vtilius impenderetur tempus in Verneii Metaphyſica legenda: quem optarem ceteras illius diſciplinae partes, eadem, qua Ontologiam, via & ratione abſolvere.

Maiore animo rerum phyſicarum ſtudium ineundum eſt. Oportet enim naturae vires perſpectas habuiſſe, ne ab haereticis, aut doctis etiam catholicis irrideamur, dum prodigii & miraculi inſtar accipimus, quod a naturali aliqua cauſa, ignota vulgo, proficiſcitur. Cuius cognitio, quum ex Arabico-Ariſtotelica ſchola haberi nequeat, ex Phyſicis recentioribus, s' Graveſandio, Muſſchenbroëchio, ceteris, qui poſt Newtonum ſcripſere, petenda eſt. Prae omnibus tamen diſciplinis Ethicam, ſeu moralem philoſophiam, oratori neceſſariam eſſe, Ariſtoteles (c), Tullius (d), & Quinctilianus (e) docuere. Quam, quum ab ethnicis diligenter excultam admiramur, dolemus certe a noſtris, in his praeſertim locis, negligentius tractari. Mutuari autem cum fructu poterit eccleſiaſtes eam partem, quae de affectibus tractat, ex libro ſecundo Rhetoricorum Ariſtotelis: quae vero de praecipuarum virtutum praeceptis agit, ex officiis Ciceronis, Epithecti enchiridio, & opuſculis Plutarchi. Quibus Ambroſii libros de officiis, ob inſignem,

quam

(a) *De Critica* lib. I. a cap. 23. uſque ad 30.

(b) Confer. Natal. Alex. ad ſaec. XII. cap. 3. art. 8. 9. & Launoi. *de varia Ariſt. fortuna, &c.* cap. 4. 8.

(c) *Rhetoric. ad Theodect.* lib. II. ubi de affectibus accurate diſputat.

(d) Cic. *de Orat.* lib. I. cap. 12.

(e) *Inſtitut.* lib. XII. cap. 2.

quam prae ſe ubique ferunt, pietatem, chriſtianus homo anteponet. Verum qui tot libris deterreatur, is adire poteſt Muratorii philoſophiam moralem, (quae id unice habet incommodi, quod nempe vulgari Italorum lingua conſcripta ſit) aut Heineccii Ethicam; cuius & elementa iuris naturae & gentium commendamus.

Pauca nunc de Theologia. Ac primum iuverit, Aloyſii Antonii Verneii apparatus ſecundam partem legere, in qua de ſacrae ſcientiae hiſtoria, natura, uſu, & clarioribus auctoribus, breviter, perſpicue atque eleganter diſputatur. Deinde brevem aliquam dogmatum noſtrorum notitiam percepiſſe interierit: quam aut Romanus catechiſmus, aut Iacobi Benigni Boſſuetii expoſitio doctrinae catholicae in controverſiis fidei ſuppeditabunt. Quibus cognitis, legetur Iohannis Laurentii Berti opus de Theologicis diſciplinis. Nihil enim eo videmus melius; etſi non omnibus, immo nec nobis ipſis omnino ſatisfaciat. Iam qui Ethica chriſtiana plene erudiri volet, Theologiam dogmaticam moralem Natalis Alexandri; qui iure canonico, Zegeri Bernardi van Eſpenii ius eccleſiaſticum verſabit.

Sed ad nullum profecto ſtudium utiliori opera incumbet futurus concionator, quam ad illud ſacrarum ſcripturarum. In quibus plures ſenſus diſtinguunt Theologi, litteralem, allegoricum, anagogicum, & moralem (a). Quorum in concionibus uſum clariſsimi Muratorii verbis docere placuit. „ AEquum eſt, inquit, praedicatorem, qui „ prudens ſit, cavere, ne divina haec verba, niſi in ſenſu „ litterali, ac per Spiritum ſanctum intento, uſurpet ... „ Certe una eſt magiſtrorum Theologiae ſententia, ad „ ſubſtruendam doctrinam Theologicam & moralem, uni„ cum hunc ſenſum, utpote ſolidum ac verum, utilem eſ„ ſe ... Quamquam in concionibus, ad quas veriſimilibus „ permittitur acceſſus, putant & allegoricum & myſticum „ poſſe habere locum ... Nihilo tamen minus abſque temeritate dixerim, ſenſus allegoricos & anagogicos, e ſcri-

(a) Vid. Laurentius a Villavincentio *de formandis ſacris concionibus* lib. III. cap. 1. aliique Theologi ubi de ſcriptura diſputant.

„ ptura elicitos, nec in concionibus quidem valere, ... „ exceptis, quibus, utpote in ſcriptura expreſsis, fidem „ & auctoritatem Spiritus ſanctus facit (a). „ Non ſum neſcius, complures patres, Originem, Hilarium, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium Magnum, in myſticis ſenſibus elaboraſſe. Verumtamen commodius legentur Chryſoſtomus, Theodoretus, Hieronymus, qui, poſt Diodorum epiſcopum Tarſenſem, egregios in ſacros libros ad litteram commentarios ediderunt. E recentioribus unus pro omnibus valet Auguſtinus Calmetus, cuius commentarios praeſtabit legere, ſi prius tamen, poſt linguarum, Geographiae, chronologiae, ac veteris teſtamenti hiſtoriae cognitionem, Sigonius de republica Hebraeorum, aut Cl. Fleurius de moribus Iſraëlitarum, & Bernardi Lamy, alteriuſve, apparatus biblicus evolvantur. Laudari etiam video Menochium, Tirinum, alioſque, qui breves in ſcripturam commentarios ſcripſerunt: quibus, aut dictionario & diſſertationibus Calmeti, contenti erunt, quotquot multum aut temporis, aut ingenii, aut peculii non habeant.

De hiſtoriae autem, &, quae illius faces ſunt, Geographiae, Chronologiae, Genealogiaeque ad omnes ſcientias, nedum Theologiam, neceſsitate, nemo ſanus dubitat. Eſt vero hiſtoria omnino triplex: ſacra, profana, naturalis: quarum unaquaque in varias rurſus partes diſpertitur. Longum eſſet ſingulas percurrere, aut vel optimos dumtaxat auctores (b) deſignare. Quare, ne praefatio in librum abeat, de his, aliiſque bene multis, quibus adiuvari concionator ad munus ſuum poſſet, non amplius diſferemus. Vnum tamen ſilentio praeterire non poſſumus, numquam ſcilicet oratorem ſacrum extemporalem dicendi facultatem, quam maximum ſtudiorum fructum, & veluti praemium ampliſsimum longi laboris putat Fabius (c), ade-

(a) Lud. Ant. Muratori in tractatu *de eloquentia populari* cap. 9.

(b) Conſuli poſſunt, praeter Ger. Ioh. Voſsium, *de arte hiſtorica*, qui de ſtudendi methodo, aut introductiones in hiſtoriam ſcripſerunt.

(c) Quinctil. lib. X. cap. 7.

adepturum esse, nisi & diuturnam studiis navarit operam, & PP. scripta legerit, & libros etiam, populari lingua eloquenterque conscriptos, studiose versaverit. Eminent vero inter Hispanos, cum pietate, tum sermonis nitore & elegantia, Granatensis noster, ac Ludovicus Legionensis. Quibus adiungi possunt piissimi, Iohannis Abulensis, Theresiaeque a Iesu, libri; quamvis non sint aut stilo aut eruditione cum superioribus conferendi. Accedat quoque necesse est multa, & numquam intermissa scribendi dicendique exercitatio: atque ita „ facilitatem extemporalem a „ parvis initiis paullatim perducemus ad summam: quae „ neque perfici neque contineri nisi usu potest (a).

Dicendum nunc esset de auctoribus illis, qui aut ecclesiasticam Rhetoricam, aut methodum pro formandis concionibus, aut institutiones oratoris evangelici, aliaque id genus opera lucubrarunt. Et certe constitueramus, omnes, quotquot saltem nobis videre licuit, licuit autem quamplurimos, huiuscemodi libros exhibere: sed haec in schedis nostris malumus delitescere, quam longissimo parumque profuturo catalogo molestiam lectoribus afferre. Vt vero ad id, cuius gratia praefati sumus, nostra convertatur oratio, en damus tibi, lector benevole, Ludovici Granatensis Rhetoricam ecclesiasticam, librum, si quis alius, in hac materia praestantissimum. Siquidem artis praecepta ex duobus illis Latinorum Rhetorum coryphaeis, Tullio & Quinctiliano, qua ad verbum, qua ad sensum, depromsit auctor: quae vero propria sunt sacri doctoris, ex SS. PP. Augustino potissimum in libris de doctrina christiana. Plurima quoque de suo addidit, nec ea quidem vulgaria, ut erat ille in concionandi arte exercitatissimus. Se autem in primis liber hic commendat exemplorum delectu: quae seu ex sacris litteris, seu ex ecclesiae doctoribus, qui ceteris eloquentiae laude praestiterunt, Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, ceteris, &, qui utramque paginam facit, Cypriano, magno cum iudicio desumta sunt. Vnde non temere dicimus, unam hanc Rhetoricam Aristotelem, Ciceronem, Quin-

(a) Quinctil. lib. X. cap. 7.

Quinctilianum, Longinum, Vosium, Muratorium, quos supra (a) commendavimus, supplere posse. Nec immerito post saepius repetitas illius editiones (b), de exemplarium raritate querebamur. Cui sane inopiae nostris demum curis consultum esse gaudemus.

Qua vero ratione hunc librum illustrare studuerimus, paucis indicandum est. Nam, praeter plurima errata quattuor exemplarium (c) auxilio expuncta, quingentas circiter citationes de novo addidimus, alias vero perperam adductas correximus. Innumera deinde scriptorum loca cum optimis editionibus contulimus, suaeque integritati restituimus. Quod ne ipse quidem auctor efficere potuit, illis destitutus. Confecimus etiam indices, quibus carebat opus, locorum sacrae scripturae, auctorum, rerum, & propriorum nominum, quanta maxima fieri potuit accuratione. Neque vero Pampilonensi rerum *notabilium* indice ineptissimo potuimus vel minimum adiuvari. Praefationem denique eo consilio adiecimus, ut apparatus instar illis esset, qui eloquentia sacra instituendi sunt. Quibus si laborem nostrum proficere, atque a bonis viris probari cognoverimus, non erit cur calumniatorum iudicia pertimescamus.

Dabam Valentiae Hedetanorum a. d. III.
Calend. Iulias anni CIↃIↃCCLXVIII.

F.

(a) Pag. XXXII.

(b) Nimirum Olisipone A. 1576. 4. Venetiis 1578. 4. Coloniae Agrippinae 1578. 1582. & 1611. 8. Mediolani 1585. 4. Parisiis 1635. 8. Pampilone 1751. 4. Conversa etiam fuit in linguam Gallicam a Nicolao Iosepho Binetio, & edita Parisiis A. 1698. 8. Sed de his alias fortasse uberius.

(c) Nempe Olisiponense A. 1596. Venetum & Colonienſe A. 1578. & Pampilonense A. 1751.

F. LVDOVICI GRANATENSIS
IN LIBRVM ECCLESIASTICAE RHETORICAE
sive de concionandi ratione,
PRAEFATIO

QVVM per hoſce annos decem, candide lector, multis laboribus ac vigiliis concionibus ſcribendis operam dediſſem, iamque divini numinis beneficio opus eſſet ad calcem fere perductum; coepi mecum attentius cogitare, quemnam fructum ex hoc tam diuturno & pertinaci labore referre poſſem, ac illa paene Salomonis verba cum animo meo verſare: (a) *cui laboro, & fraudo animam meam bonis*? Quum enim hoc mihi propoſitum eſſet, ut opera ac diligentia mea Domini mei gloriam, & animarum ſalutem his meis concionibus aliqua ſaltem ratione promoverem; intellexi tandem, hunc meum laborem parum utilitatis eſſe allaturum. Cuius rei cauſam minime ſilentio praetereundam duxi. Conſtat enim, tria eſſe praecipua egregii concionatoris officia: nempe invenire, eloqui, & pronuntiare. Ad inventionem autem pertinet, ut inſignes & praeclaras ſententias, eaſque inſtituto ſuo accommodatas inveniat: ſic enim apte dicet, quae praecipua inventionis virtus eſt. Ad eloquutionem vero ſpectat, ut vim omnem eius ſententiae, quam invenerit, commode explicet, & animi ſui ſenſus ita verbis efferat, ut, quidquid ipſe conceperit, in auditoris animos loquendo transfundat. Ad pronuntiationem vero pertinet, ut vocem, geſtum, vultum rebus ipſis, quas dicit, appoſitiſsime accommodet.

Et quidem ſententiarum inſignium inventio, ſi rerum dignitatem ſpectes, praeſtantiſsima eſt: cuius ſtudio vel tota optimi concionatoris vita deſtinanda eſt. Semper enim inventis aliquid addere curabit, ut, iuxta Servatoris ſententiam, (b) proferat de theſauro ſuo nova & vetera. Eloquutio ta-

(a) *Eccleſ.* 4. 8. (b) *Matth.* 13. 52.

tamen, & pronuntiatio, ſi auditorum conditionem inſpicias, hoc eſt, imperitam multitudinem, quae res non pro illarum dignitate, ſed pro explicandi atque pronuntiandi ratione concipit, priori loco habenda ſunt. Videmus enim, rudes & imperitos auditores, ſi quid acriter & vehementer dixeris, vehementer etiam commoveri, eumdemque affectum, quem verbis, voce, atque vultu praeferas, ſimili ratione concipere. Contra vero animadvertere licet, multos concionatores eruditione, rerum ſcientia, & ingenii acumine praeſtantes, qui tamen, ſi inculti, barbari, & rudes in eloquendo ſint, faſtidio auditoribus eſſe.

Neque vero ſatis eſt eloqui, niſi facultas etiam recte pronuntiandi eloquutioni adiuncta ſit. Multos enim videmus, & rerum optimarum ſcientia, & eloquendi ratione inſignes, qui, quoniam hac pronuntiandi facultate carent, contemtui habentur: praeſertim, ſi eis vel rauca, vel exilis, vel anguſta, vel aſpera, vel ingrata vox ſit, parumque flexibilis, & perperam rebus, quae dicuntur, accommodata. Itaque attentius mihi harum rerum naturam conſideranti apparet, quod quemadmodum philoſophi duas materiae formas tribuunt, alteram, quae illi praebet eſſentiam; alteram, quae exſiſtentiam, quam ultimam rei perfectionem eſſe adſtruunt: ita ſane apparet, inventionem quidem materiae, eloquutionem vero prioris formae, pronuntiationem autem poſterioris loco habendam eſſe. Conſtat enim, rudem & indigeſtam inventionem eloquutione quidem expoliri atque ornari; pronuntiatione vero veluti ſuam quamdam faciem & vultum induere, quem auditorum mentibus affigit & repraeſentat. Quum autem omnibus in rebus potior forma habeatur, quam materia, quae formam recipit; demiror concionatorum multos, quum tantum olei atque operae inventioni, quae inſtar materiae eſt, impendant, nullam fere eloquutionis aut pronuntiationis rationem habere: quum ſine his formis praeclara etiam inventa facile ab imperita multitudine contemnantur.

Quum igitur, ut ad inſtitutum redeam, meus hic labor,

bor, ut feliciſsime cederet, quod vix ſperare poſſum, ad ſolam rerum inventionem pertineat, quae, niſi accedat etiam eloquendi & pronuntiandi ratio, parum utilitatis eſſet allatura; adieci animum, ut, pro ingenioli mei facultate, de eloquendi quoque & pronuntiandi ratione aliquid ſcriberem: ne in hac parte, adeo neceſſaria, concionatorum ſtudiis & utilitati deeſſem, fruſtraque tantum in ſcribendis concionibus laborem inſumſiſſem. Divina igitur ope nixus, aliquid ſupra vires meas, ſtudio magis iuvandi, quam fiducia ingenii, fretus, aggreſſus ſum. Itaque per oratoriae artis praecepta, quae adoleſcens attigeram, oculos circumducens, ea, quae ad munus hoc cum primis neceſſaria eſſe videbantur, excerpere decrevi. Vt enim orator a dialectico, propter eius artis cognationem, multa ſumit; quum finis utriuſque ſit, fidem dicendo facere: ita multum etiam inter concionandi & orandi munus affinitatis eſt; quum & concionator, quemadmodum & orator, perſuadere ſtudeat, & uterque non in ſcholis apud eruditos, ſed in concione apud populum dicat: qui non ſolum rationibus evincendus, ſed affectibus etiam commovendus, variiſque dicendi figuris, & orationis ſplendore alliciendus eſt. Ex horum igitur officina non nulla, officio noſtro accommodata, delibavi: quae, quantum inſtituta libelli huius brevitas patitur, ſanctorum patrum exemplis illuſtranda curavi.

Quia enim Rhetores totum hoc dicendi artificium ad civiles controverſias accommodarunt, exempla quoque ad id pertinentia poſuerunt, quae parum inſtituto noſtro conveniunt. Equidem voluiſſem, ut non modo exempla, ſed etiam praecepta ipſa ad ſolam concionandi facultatem pertinerent: neque quidquam in hoc opere eſſet, quod Gentilium litteras redoleret. Quia tamen tota haec diſciplina ex Rhetorum fontibus hauſta eſt, qui eam ad iudiciales cauſas tractandas excogitarunt; fieri non potuit, quin & dicendi praecepta & exempla, quae ad inſtitutum noſtrum minus pertinere videbantur, huic operi admixta fuerint. Quae tamen non prorſus otioſa erunt: quandoqui-

dem

dem facile ex ſimilibus ſimilia intelliguntur. Erit fortaſſe alius, cui plus otii ſuppetat: qui, quod nos primum coepimus, ut faciłe eſt inventis quaedam adiicere, multo plenius atque felicius hoc opus abſolvat; & rhetoricam ipſam, ut ita dixerim, ex omni parte chriſtianam nobis efficiat.

Ex ſacris autem litteris, ac praecipue ex prophetarum libris, non nulla exempla depromſi. Fuerunt enim prophetae caeleſtes concionatores, a Deo ad homines erudiendos, & corruptos eorum mores caſtigandos, deſtinati: qui tamen ſine arte artificioſiſsime, hoc eſt, eloquentiſsime dixerunt; utpote qui non ſpiritu rhetorico, ſed Spiritu ſancto afflati loquuti ſunt. Cuius quum (a) perfecta ſint opera, eoſdem quoque perfectiſsimo docendi atque dicendi munere donavit. Is enim qui continet omnia, ſcientiam quoque habet vocis, linguaſque infantium diſertas facit. Cuius rei quum innumera paene proferre exempla poſſem, priora quindecim Ieremiae capita pio concionatori ſpectanda propono. In quibus divinus hic orator tanta vi dicendi fertur, tot figuris orationis, tot affectibus, tot metaphoris, atque aliis id genus tropis redundat, tantaque dicendi acrimonia ardet, totque ſubinde perſonas induit, & in tot vultus atque figuras orationem flectit, ut neque Pericles, qui (b) fulgurare & permiſcere Graeciam dictus eſt, cum hoc divino oratore ulla ratione ſit comparandus. Cuius ſpiritum & affectum, divinae gloriae ſtudio flagrantem, utinam concionatores omnes exprimere atque imitari contenderent. Simili quoque orationis impetu pluribus in locis ſe ſe Ezechiel propheta effert: praeſertim quum Iudaeorum peccata corripit, & quum perfidi & ingrati animi crimen illis impingit: quod mira dicendi copia cap. XVI. facit. Idem argumentum ſimili magniloquentia, & verborum amplitudine atque affectibus perſequitur Moſes in ſublimi illo cantico, cuius initium eſt: (c) *audite caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei.*

Quod autem praecepta, quae ſcribimus, multis interdum

(a) *Deuter.* 32. 4. (b) *Cic. Orat. cap.* 9. (c) *Deuter.* 32. 1.

dum exemplis oneramus, id quidem non temere a nobis factum eſt. Neque enim pueris, qui Rhetorum cura & magiſterio inſtituuntur, ſed concionatoribus ſcribimus, quibus exempla magiſtri vice futura ſunt: utpote quae praecepta ipſa aptiſsime declarant. Quum enim haec dicendi facultas, ut Rhetoribus placet, conſtet arte, imitatione, & exercitatione; exempla quidem imitationis vice ſunt, ad quorum normam orationem noſtram formare debemus. Nos autem hac etiam re ſtudioſo lectori gratificari volentes, ea potiſsimum exempla delegimus, quae eſſent gravibus referta ſententiis: ut etiamſi artis exempla non eſſent, digna tamen eſſent, quae legerentur. In quibus tamen afferendis, quum nihil ex noſtro adiecerimus, non nulla tamen, quae minus neceſſaria videbantur, ſubtraximus, ne nimia longitudine lectori faſtidium pareremus.

Ceterum ut, quem ordinem in hoc opere ſequuti ſumus, concionator intelligat, animadvertendum eſt, quinque praecipuas oratoris partes eſſe; nempe inventionem, diſpoſitionem, eloquutionem, memoriam, & pronuntiationem. Ex his autem partibus memoriam ab arte ſecernimus, quod ea natura magis, quam arte, conſtare videatur. Hac vero parte ſublata, aliarum rationem tradere inſtituimus. Quamvis enim hunc laborem, propter eloquutionis & pronuntiationis neceſsitatem, praecipue ſuſceperimus; tamen de reliquis duabus, nempe inventione & diſpoſitione, ea praecepta tradere voluimus, quae non ad civiles controverſias, quod Rhetores faciunt, ſed ad concionandi munus commodiora videbantur.

Sed prius tamen quam haec ipſa attingamus, de Rhetoricae artis origine, utilitate, & neceſsitate, deque eius artifice eccleſiaſte, hoc eſt, de eius ſtudiis, moribus, & officii dignitate ante omnia dicendum fuit. Cui quidem argumento primus ſane liber deſervit: ſecundus probandi atque argumentandi rationem continet: tertius amplificandi, & affectus concitandi praecepta tradit: quartus varia concionum genera, varioſque concionandi modos, partium-

tiumque concionis rationem ordinemque deſcribit : quintus eloquutionem : ſextus vero pronuntiandi rationem, & non nulla ad bene dicendum documenta praebet. His igitur ſex libris totum hoc dicendi artificium abſolvimus.

Quamvis autem in prioribus libris ea, quae ad inventionis rationem, quam primam inter quinque artis huius partes eſſe diximus, differamus; tamen quia eloquutio adeo cum inventione cohaeret & connexa eſt, ut vix ab ea divelli poſsit; multa etiam, quae ad eloquutionis artem pertinebant, illi adiungenda putavimus, ubi hoc ipſum rerum natura atque cognatio exigere videbatur. Haec ſtudioſum concionatorem ante huius operis initium admonenda iudicavimus, ut conſilii noſtri rationem, quam in eo ſequuti ſumus, planam illi faceremus.

LIBER PRIMUS
ECCLESIASTICAE
RHETORICAE,
SIVE DE RATIONE CONCIONANDI.

CAP. I.
DE RHETORICAE ARTIS origine.



VMMVS ille rerum omnium conditor, & moderator Deus, qui omnia fecit in numero, pondere, & menſura, ſic naturam humanam inſtituit, ut in ea, & diſciplinarum omnium, & virtutum ſemina animis noſtris ingeneraret; quae nos poſtea partim divina ope, partim induſtria atque labore noſtro adiuti, excoleremus, & ad ſuum finem perduceremus. Atque ut religionis, ceterarumque virtutum moralium officia omittamus, quarum in mentibus noſtris ſemina cum ipſa natura orta ſunt, quid tam proprium rationali creaturae, quam ratiocinari, ac diſputare, & fidem dicendo facere? Ipſa tamen ratio atque diſciplina ratiocinandi atque argumentandi artem excogitavit, & varia praecepta invenit, qui-

bus, quod naturae inſtinctu atque beneficio ſine doctore agimus, arte atque doctrina accuratius ageremus. Nec hoc ſolum in diſciplinarum atque virtutum ſtudio, ſed in ceteris quoque artibus, quae ad corporis cultum pertinent, locum habet. Initio namque mundi homines, neceſsitate urgente atque docente, caementariorum, fabrorum, & ſarcinatorum officiis fungebantur: poſtea tamen ſtudio atque diligentia, harum rerum artes inventae ſunt, quibus haec ipſa, quae tunc natura ſola docente, minus perfecte fiebant, longe perfectius & exactius fierent. Vnde illa ab omnibus recepta ſententia manavit, arte perfici & conſummari naturam: illa enim initium peperit; haec vero conſummationem, & veluti formam rebus addidit, extremamque illis manum appoſuit. Quo circa veriſsima illa Fabii ſententia putanda eſt, (a) qua nihil dicit eſſe perfectum, niſi ubi natura cura iuvetur. Quum igitur perſuadere, & fidem contradicentibus & reluctantibus dicendo facere, & in ſuam ſententiam adducere, rudes etiam homines natura docente faciant; ars etiam dicendi a ſapientiſsimis hominibus excogitata eſt, qua id abſolutius & commodius fieri poſſet. Quum enim hoc rudes & indocti homines imperfecte & indecore faciant; alii autem, peracuto ingenio & doctrina ſingulari praediti, ornatiſsime & appoſitiſsime, & cum quadam dignitate faciant: utrorumque dicendi rationem primi huius artis inventores diligentiſsime obſervarunt, & hac obſervatione, bene dicendi artem excogitarunt. Nam & qui praeclare a natura ad dicendum inſtructi ſunt, & qui peſsime etiam dicunt, non vulgarem huiuſmodi obſervationibus materiam praebent. Ex illis enim virtutes, quas imitari; ex his vero vitia, quae fugere debeamus, auditor minime ſtupidus colligere poterit. Vnde non ineleganter diſertiſsimus quidam concionator, rudem huius officii tironem, de ratione recte concionandi interrogantem, ad peſsimum quemdam concionatorem audiendum remiſit, & modum, quo ille concionabatur, diligenter adnotare praecepit, nihilque prorſus eorum, quae ille geſ-

(a) *Quinctil. inſtit. orat. lib.* II. *cap.* 3.

geſsiſſet, agere conſuluit: atque ita demum fieri poſſe, ut praeclarus dicendi artifex evaderet, ſi omnia illius vitia ſtudioſe caveret. Hac autem ratione primi oratoriae artis ſcriptores, dicendi peritos & imperitos audiendo, artis praecepta invenerunt. Hoc autem ante Ciceronem, eloquentiae parentem, cumulatiſsime praeſtitit Ariſtoteles. De quo ſic idem Cicero ait: (a) veteres quidem ſcriptores artis, uſque a principe illo, atque inventore Tyſia repetitos, unum in locum conduxit Ariſtoteles; & nominatim cuiuſque praecepta, magna conquiſita cura, perſpicue conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit; ac tantum inventoribus ipſis ſuavitate, & brevitate dicendi praeſtitit, ut nemo illorum praecepta ex ipſorum libris cognoſcat: ſed omnes, qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quaſi ad quemdam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipſe, & ſe ſe ipſum nobis, & eos, qui ante ſe fuerant, in medio poſuit: ut ceteros, & ſe ipſum per ſe cognoſceremus. Ab hoc autem qui profecti ſunt, quamquam in maximis philoſophiae partibus operae plurimum conſumſerunt, ſicut & ipſe, cuius inſtituta ſequebantur, fecerat: tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanarunt, qui item permultum ad dicendum, ſi quid ars proficit, opitulati ſunt. Hactenus Cicero.

CAP. II.

DE RHETORICAE ARTIS VTILITATE, & neceſsitate.

EX his autem, quae diximus, ſatis liquet, eos, qui ad populum concionantur, plurimum Rhetoricae artis adminiculo iuvari poſſe. Quum autem aliarum artium ſtudia ad pleniorem ſacrae Theologiae intelligentiam neceſſaria eſſe credamus; cur non etiam bene dicendi artem ad concionandi officium felicius tractandum arripiamus? Con-

(a) *Cic. de invent. lib. 2.*

ſtat enim, Theologos noſtros iam pridem vocaſſe ancillas ad arcem; hoc eſt, philoſophiam omnem, rationalem, naturalem, ac moralem ad ſacrae Theologiae obſequium & ſtabilimentum attuliſſe. Gloriatur & noſtro ſaeculo Hieronymus Vidas, poëta clariſsimus, quod ſordidas gentilium poëtarum muſas ad Jordanem fluvium adduxerit, eaſque ab omni ſpurcitia, quam a gentilium poëtis traxerunt, undis Jordanicis expurgaſſe, & evangelicae hiſtoriae, divorumque laudibus celebrandis conſecraſſe. Quae quum ita ſint, cur, quaeſo, Rhetoricen, hoc eſt, bene dicendi artem ab Ariſtotele ſcientiarum omnium antiſtite, ceteriſque ſapientiſsimis viris ſummo conſilio excogitatam, multiſque poſterorum acceſsionibus auctam, & locupletatam, non ad concionandi officium accommodabimus? Si enim qui in philoſophiae, & Theologiae ſtudiis, atque diſputationibus verſantur, Dialecticam artem prius ſibi comparant, cuius praeceptis inſtructi, & argumentari, & argumentis reſpondere, & fidem dicendo facere commodius poſsint: non minus Rhetorica perdiſcenda eſt, qua populo, quae volumus, ſuadere poſsimus, hoc eſt, non modo ita dicere, ut vera eſſe, quae dicimus, credat: ſed, quod eſt difficilius, ut quae vera & honeſta crediderit, exſequatur. Quo circa ſi nemo in philoſophicis, & Theologicis diſputationibus cum laude verſari poterit, niſi diſputandi arte inſtructus ſit: ita vix quiſquam niſi vel divino ſpiritu afflatus, quod Prophetis, & Apoſtolis contigit, vel feliciſsimo ingenio, & ad dicendum appoſito natus ſit, quod rariſsimis contigit, ſine huius artis praeſidio felix eſſe in concionando poterit: vel certe multo ornatius, atque commodius munus hoc adminiſtrabit, quiſquis diligenti huius artis ſtudio fuerit adiutus. Quo circa non immerito multorum concionatorum accuſanda negligentia eſt, qui ſine huius artis praeſidio ad hoc officium accinguntur. Vehementer enim indignum eſſe iudico, pulcherrimum hoc munus, maximeque in Eccleſia neceſſarium, omniumque difficillimum, abſque ulla inſtitutione, & dicendi ratione tractari: quum ne artes quidem ſedentariae, niſi praevia inſtitutione, atque diſciplina exer-

ce-

ceri commode valeant. Quod quidem in causa esse puto, ut inter tam multos concionatores, quibus templa ubique personant, vix unus, aut alter inveniatur, qui apte, copiose, atque ornate dicat: multoque pauciores, qui improbos homines ad veteris vitae poenitentiam, & virtutis studium dicendo traducant.

Quia vero huius ego rei parum idoneus testis sum, non nulla clarissimorum auctorum exempla in medium proferam, atque in primis gravissimi philosophorum omnium Plutarchi, qui de hac dicendi faculrate in politica sic ait: non Rhetoricam suadendi opificem, sed adiutricem esse debemus existimare. Qua ratione illud est corrigendum Menandri: mores dicentis sunt qui persuadent, non oratio. Re enim vera utrumque est, quod rem efficit: mores nimirum, atque oratio: nisi quisquam dicere velit, navem a gubernatore dumtaxat dirigi, non a clavo quoque: & equitem esse, qui equum in giros verset, non etiam frenum: item civitatem quoque oratorum vita, & moribus regi, non & oratione; nempe qua veluti gubernaculis, ac freno utantur, quibus maxime versatile animal homo, ut Plato inquit, tamquam e puppi regatur, atque versetur. Homo certe privatus de veste, atque habitu populari civitatem regere, multitudinis moribus modum facere numquam poterit, ni oratione, & eloquentia praeditus sit, qua una suadeat, afficiat, flectat, ducatque multitudinem. Lupum quidem, aiunt, auribus teneri non posse: populum autem inde maxime duci oportet. Hactenus Plutarchus. Hanc autem aptae orationis vim, atque potentiam appositissima similitudine declarat Demetrius Phalereus armis eam, & ferro comparans. Quantum enim in bello valeret ferrum, tantum dicebat in Rep. valere orationem. Illic enim res geritur viribus, hic persuasione. Hinc Pyrrhus Epirotarum rex dicere solebat, plures urbes additas suo imperio oratione Cyneae Oratoris, ac legati, quam suis armis, ut Valerius Max. auctor est.

§. I.

SEd inter has tamen insignium virorum laudes, adiiciam quid de huius artis utilitate atque praestantia disertissimus Rhetorum Fabius dicat. Primum enim quorumdam orationem commemorat, qui hanc artem maledictis incessebant, deinde vero eius defensionem, & insignem utilitatem, & dignitatem exponit his verbis: (a) sequitur quaestio, an utilis Rhetorice: nam quidam vehementer in eam invehi solent, & quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi viribus: eloquentiam esse, quae poenis eripiat sceleſtos, cuius fraude damnentur interim boni, consilia ducantur in peius: nec seditiones modo, turbaeque populares, sed bella etiam inexpiabilia excitentur. Quo nomine, & Lacedaemoniorum civitate expulsam fuisse, aiunt, & Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, quasi recisam orandi potestatem. Huic igitur calumniae sic Fabius respondet: hoc sane modo, inquit, nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec denique ipsa Sapientia: quum in his, qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnumquam flagitia deprehensa sint. Cibos adspernemur, attulerunt saepe valetudinis causas: numquam tecta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius, potest uti eodem ferro latro. Quis nescit ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, &, ne terrenis immorer, Solem, Lunamque, praecipua siderum, aliquando etiam nocere? Nonne perterritos militum animos frequenter a metu revocat oratio? Et tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiorem esse persuadet? Nec vero Lacedaemonii, aut Athenienses me magis moverint, quam populus Romanus, apud quem summa semper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coïret in populos, nisi docta voce commota: nec legum repertores sine summa vi orandi consequutos, ut se ipsi homines ad ser-

(a) *Quinctil. instit. orat. lib. 2. cap. 17.*

ſervitutem iuris adſtringerent. Quin ipſa vitae praecepta, etiam ſi natura ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam ſi in utramque partem valent arma facundiae, non tamen eſt aequum id haberi malum, quo bene uti licet. Verum haec apud eos forſitan quaerantur, qui ſummam Rhetorices ad perſuadendi vim retulerunt. Si vero eſt bene dicendi ſcientia, quem nos finem ſequimur, ut ſit orator in primis vir bonus, utilem certe eſſe eam confitendum eſt. Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparavit a ceteris, quae quidem mortalia eſſent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate praeſtantiora in illis mutis videmus; eadem minus egere acquiſitae extrinſecus opis. Nam, & ingredi citius, & paſci, & tranare aquas, citra docentem natura ipſa ſciunt. Et pleraque contra frigus ex ſuo corpore veſtiuntur, & arma his ingenita quaedam, & ex obvio fere victus, circa quae omnia multus hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis praecipuam dedit, eiuſque nos ſocios eſſe cum Diis immortalibus voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos iuvaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quae concepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe ceteris animalibus, quam intellectum, & cogitationem quamdam videmus. Nam, & moliri cubilia, & nidos texere, & educare foetus, & excludere; quin etiam reponere in hiemem alimenta, & opera quaedam nobis inimitabilia, qualia ſunt cerarum, ac mellis, efficere, nonnullius fortaſſe rationis eſt: ſed quia carent ſermone quae id faciunt, muta, atque irrationabilia vocantur. Denique homines, quibus negata vox eſt, quantulum adiuvat animus ille coeleſtis? Quare ſi nihil a Diis oratione melius accepimus, quid tam dignum eſſe cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus praeſtare hominibus, quam quo ipſi homines ceteris animalibus praeſtent? Nonne pulchrum vel hoc ipſum eſt, ex communi intellectu, verbiſ-

que, quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis, & gloriae, ut non loqui, & orare, sed quod Pericli contigit, fulgurare, ac tonare videaris? Hactenus Fabius.

Quod si quis haec testimonia, quoniam ethnicorum hominum sunt, parvi facienda putet, in Ecclesiae columnas, & clarissima mundi lumina, nempe sanctissimos Doctores Latinos pariter, & Graecos, oculos coniiciat, videbitque nullam in eorum scriptis eloquentiae partem defuisse. Qua de re Joannes Anglus Episcopus Ciceſtrensis in Ecclesiasticae historiae praefatione, quam is modo latinam fecit, sic ait: quid de veterum Graecorum scriptis statuemus, qui, & acute ad veritatis disquisitionem, & copiose ad mentes hominum flectendas sacra Dei eloquia explicaverunt? Nemo enim, opinor, est adeo a ratione aversus, qui non illis summam eloquentiam tribuat. Quis enim Chrysostomo, vel verbis disertior, vel crebrior sententiis, vel numeris, & tota orationis circumscriptione iunctior? Aureum flumen Aristotelem olim fudisse dixit Tullius: nos vero Chrysostomum ex aureo ore aureum, & divinum orationis flumen fundere merito dicamus. Cuius verba adeo propria, leniterque fluentia, ut nihil nitidius dulciusve: cuius sententiae adeo sapientes, ut divinitus ad eum delatae, non humana indole inventae videantur: cuius structura verborum sic concluſa, ut non longo anfractu, qui parit obscuritatem, sed ambitu circumscripta terminato incedat. Nihil in eo, quod non praestantius eloquentiae tamquam effigiem repraesentet. Quod si ita aliena lingua loqueretur, ut loquitur sua, quod vel vix, immo ne vix quidem fieri potest, tum ut iam paucis, ita tum plerisque omnibus eius diserta oratio excitaret admirationem. Quis Basilio Magno in polienda oratione exquisitior, in amplificanda uberior, in toto dicendi artificio limatior? Quum deterret a vitiis, nemo commotior: quum ad virtutem incitat, nemo ardentior: quum res ob oculos ponit, nemo, ut ita dicam, pictior. In eo, & nervi sunt ad convincendum, & mira ad leniendum suavitas. In quamcumque partem orationem ita facile torquet, ut in rebus gravio-

vioribus altius in dicendo se tollat, & incitatius feratur, in tenuioribus leniter, & placide fluat, & nonnihil de contentione remittat. Quem sane quidam vir eruditus non veritus est christianum Demosthenem appellare. Quid Gregorium Nazianzenum hoc loco commemorem? Quis aliquando pungit acutius, quis orationem arctius colligat? Quem in oratione soluta Thucididis imitatorem, in carmine Homeri aemulum rectissime dixeris. Nam in oratione brevis, & compressus est. Verborum numerum, sic Tullius de Thucidide, sententiarum numero consequitur. Non vagum in eo orationis genus, sed constrictum numeris, non longius excurrens, sed brevi circuitu definitum apparet. Carmen plenum, & grande fundit, sententiis Christi locuples, verbis Homeri disertum. Quare sive solutum orationis genus, & liberum, sive, ut poëtarum mos est, numeris paullo adstrictius sequitur, semper magnus, semper in dicendo excellens videtur. Qua vero is aviditate studiis eloquentiae operam dederit, ipse in oratione funebri super Caesarii fratris obitu explicat, quum illum ait, philosophiae perdiscendae gratia Alexandriam petivisse; se vero, ut eius verbis utar, oratoriae artis amore inflammatum, in Palestinae academiis tum florentissimis pedem fixisse. In cuius artis studio tantum profecit, ut Lybanius Sophista clarissimus ea tempestate eius artis professor, a discipulis rogatus, quis illi dignus videretur, qui eius cathedram post mortem susciperet, Gregorius, inquit, ille, nisi christianus esset. Erat enim idolorum cultor Lybanius. Haec de Graecis scriptoribus.

Ex Latinis vero primum Hieronymum proferamus in medium, cuius tanta fuit in scribendo facultas, ut omnes prope eloquentiae numeros expleverit. Quando in aciem cum haereticis prodit, nemo pugnatior, aut qui plus habeat lacertorum: quando respondet obtrectatoribus, nemo fervidior, nemo acrior: quando res gestas narrat, nemo elegantior: quando funebrem orationem instituit, nemo ad consolandum aptior, ad laudandum copiosior: quando familiariter cum amicis, & necessariis per litteras colloqui-

tur,

tur, nemo ſuavior, nemo comtior. Mirum eſt videre, quō pacto in tota oratione, paria paribus, contraria relata contrariis, iam verba duplicata, iam iterata, iam breviter commutata, ſententias perpulchre illuminent. Aut igitur pellatur Hieronymus, aut laudetur a Chriſtianis eloquentia: ita tamen ut inde nos non nobis ipſis falſas gloriae umbras, quae de repente evaneſcunt, aucupati, ſed ad Eccleſiae aedificationem, & ad veram Dei gloriam, cui omnis honos, decuſque impertiendum eſt, eam perpetuo retuliſſe videamur. Haec omnia ex Joanne Anglo. D. autem Hieronymo Beatiſsimus Martyr Cyprianus merito copulandus eſt: cuius eloquentiam his verbis Lactantius Firmianus (a) commendat. Vnus igitur praecipuus, & clarus exſtitit Cyprianus, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriae profeſsione quaeſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, &, quae ſermonis maxima eſt virtus, aperto: ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. Hactenus Lactantius. Eiuſdem vero Lactantii eloquentiam D. Hieronym. unice miratur, ipſumque Tullianae eloquentiae flumen appellat. Qui initio ſtatim divinarum inſtitutionum his verbis eloquentiae facultatem commendat. (b) Multum, inquit, nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc maiori copia, & facultate dicendi cauſam veritatis peroremus: quae licet poſsit ſine eloquentia defendi, ut eſt a multis ſaepe defenſa, tamen claritate, ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodam modo diſſerenda eſt: ut potentius in animos influat, & vi ſua, & inſtructa religione, & luce orationis ornata.

§. II.

SEd nequis nos exemplis ſolum ſanctiſsimorum Patrum, non etiam ipſorum teſtimoniis eloquentiae cauſam agere putet, unum Auguſtinum in medium proferam, qui IIII. de

(a) *Divin. inſtit. lib.* 5. (b) *Ibid. lib.* 1.

de doctrina Chriſtiana lib. non ſolum praecepta multa, quae ad hanc artem pertinerent, tradidit, eaque multis exemplis illuſtravit, ſed eam quoque commendat his verbis: quum per artem Rhetoricam, & vera ſuadeantur, & falſa, quis audeat dicere, adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem: ut videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem, vel benevolum, vel intentum, vel docilem prooemio facere, iſti autem non noverint? Illi falſa breviter, aperte, veriſimiliter: & iſti vera ſic narrent, ut audire taedeat, intelligere non pateat, credere poſtremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem: iſti nec vera defendere, nec falſa audeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellenteſque dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter: iſti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Quum ergo ſit in medio poſita facultas eloquii, quae ad perſuadenda ſeu prava, ſeu recta valeat plurimum, cur non bonorum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali, ad obtinendas perverſas, vanaſque cauſas, in uſus iniquitatis, & erroris uſurpant? Sed quaecumque ſunt de hac re obſervationes, atque praecepta, unde fit illa, quae facundia, vel eloquentia nominatur, ſepoſito ad hoc congruo temporis ſpatio, apta, & convenienti aetate diſcenda ſunt eis, qui hoc celeriter poſſunt. Nam, & ipſos Romanae eloquentiae principes non piguit dicere, quod hanc artem, niſi quis cito poſsit, numquam poſsit omnino perdiſcere. Hactenus Auguſt. Cuius tam illuſtri teſtimonio non ſolum novam hanc conſilii mei rationem tueri potero, ſed gratiam quoque apud huius officii ſtudioſos inire, apud eos praeſertim, qui variis occupationibus diſtricti ſunt, quod eos duplici moleſtia liberaverim: altera, evolvendi varia, & perplexa Rhetorum praecepta, quae illi magnis voluminibus tradiderunt: altera, eligendi ea potiſsimum, quae inſtituto noſtro eſſent accommodata: quum plurima illi ad civiles controverſias in foro, & iudicio tractandas

das excogitaverint : quae ad nos minime pertinent.

§. III.

SI quis autem artis obſervationem impedimento eſſe dicat , quo minus ex animo , atque impetu divini ſpiritus concitati dicere videamur ; huic ego reſpondeo , quod quemadmodum qui latinam linguam ex Grammaticae praeceptis addiſcit , quum primum loqui , aut ſcribere incipit , mentem quidem ad artis leges , & praecepta coniicit , ne quid contra ea faciat ; ubi vero longo uſu , atque exercitatione recte loquendi rationem aſſequutus eſt , iam tum non ut ante praecepta conſulit , ſed ſola loquendi conſuetudine ductus , ex arte quidem , ſed ſine arte perfecte, & inoffenſe loquitur : ita haec oratoriae artis praecepta initio ardorem , atque fervorem ſpiritus nonnihil refrigerabunt ; ubi tamen ars dicendi conſuetudine in naturam quodam modo verſa eſt, egregii artifices ſic ex arte dicunt, quaſi ſola naturae vi inſtructi dicerent. Habitus enim ille multa exercitatione confirmatus, quem philoſophi non multiplicem , ſed ſimplicem qualitatem eſſe dicunt , ſic in naturam vertitur , ut a natura ipſa inditus , non aliunde adſcitus eſſe videatur. An quiſquam credat D. Chryſoſtomo , Baſilio , eiuſque fratri Gregorio Nyſſeno , & Cypriano , qui omnes , & eloquentiſsimi fuerunt , & artificioſiſsime dixerunt , impedimento artem fuiſſe , quo minus flagrantiſsimo ſtudio , atque affectu Dei cauſam agerent , & homines ab improbitate ad iuſtitiam revocarent ?

Ceterum ne nihil ſit in hac parte , cui oratio noſtra non occurrat , illis quoque reſpondendum eſt , qui hoc praecipue nomine eloquentiae ſtudia negligunt , quod D. Hieronymum ſciant diris plagis vapulaſſe , quod Ciceronianus eſſet , non Chriſtianus. Quamvis autem idem D. Hieronymus ad Rufinum ſcribens , hoc fuiſſe ſomnium dicat , merito tamen illum vapulaſſe confitemur , non quod Ciceronianus eſſet , ſed quod ita ſe Ciceronis ſtudio addixiſſet, ut ſacrarum litterarum ſtudium , quod incultus illi ſermo

hor-

horrorem pareret, prorsus negligeret. Quam multa enim sunt in vita necessaria, quorum tamen immodicus usus noxius est? Quid enim magis ad vitam tuendam quam cibus, & potus, & vitalis calor, & sanguis? Nihil tamen horum est, quod ubi modum excesit, non vel perniciem, vel mortem afferat. Sic etiam, & divitias, & honores appetere moderate licet: quorum tamen immodicus amor, quum eo usque hominem perducit, ut divinas leges earum causa violare non vereatur, nocentissimus est. Ad hunc ergo modum sic aliquem Ciceronis lectioni incumbere, ut sacrarum litterarum studia negligat, quis non merito obiurgandum putet? Iure ergo D. Hieronymus hoc nomine vapulavit.

Quod vero nonnulli adversus eloquentiam illud Apostoli afferunt, quod is non in sapientia verbi, hoc est, nequaquam humanae eloquentiae, aut philosophiae disciplinis instructus, annuntiaverit Christum: idem huic accusationi respondet, quum protinus subdit, ne evacuetur crux Christi. Summa enim crucis Christi gloria exstitit, quod rudium piscatorum opera, atque doctrina, qui nullis terrenae sapientiae disciplinis instructi erant, diaboli aras everterit, Imperatorum potentiam, atque saevitiam fregerit, & mundum imperio suo subiugaverit. Ne igitur haec tanta gloria aliqua ex parte obscuraretur, non debuit utique Christi fides insignium philosophorum, aut clarissimorum oratorum facundia propagari, ne hoc tantum opus magis terrenae sapientiae, quam omnipotentis Dei, & crucis virtuti adscriberetur.

Iam vero quod quidam dicunt, infelices nostri saeculi haereticos solius eloquentiae armis catholicam fidem impugnasse, hoc plane argumentum pro nobis est. Si enim tanta eloquentiae vis est, ut impudentissima mendacia honestare dicendo possit, quanto magis verissima, atque sanctissima catholicae fidei dogmata eadem dicendi vis tueri, & fraudes, atque impietatem haereticorum detegere poterit: quum praesertim illi ea mente sint, ut omnia quae rudi, atque impolita oratione adversus illorum blasphemias

mias ſcribuntur, exſibilent, rideant, & ne lectione quidem digna putent? Hac enim de cauſa eloquentiae ſtudia negligere, perinde eſt, ac ſi quis ferreis globis ſulphureo pulvere iactis uti nos minime debere ſentiret, quod his armis Turcarum rex magnam Chriſtiani orbis partem ſub imperium; atque ditionem ſuam ſubiunxerit. Hac enim de cauſa multo magis nos eiſdem adverſus illum armis, quae tantum habeant virium, pugnare debere certum eſt. Haec de huius artis commendatione praemonenda eſſe duximus, partim ut quorumdam obtrectationibus reſponderemus, partim etiam ut pius Eccleſiaſtes maiori ſe ſtudio, & alacritate huic diſciplinae traderet, quae tantum illi opis ad munus ſuum feliciter exſequendum praebere poterit. Nunc quoniam de artis commendatione ſatis dictum eſt; de artifice ipſo, nempe Eccleſiaſte, de eius ſtudiis, moribus, & officii dignitate, atque facultate pauca prius tradenda ſunt, quam ad ſingularia artis praecepta veniamus.

CAP. III.

DE CONCIONANDI OFFICIO, ET INSIGNI EIVS dignitate.

VT autem Eccleſiaſtes ex his noſtris lucubrationibus, atque adeo ex toto concionandi munere ſibi, aliiſque ſalutaris eſſe queat; viſum eſt ante huius operis initium, documenta quaedam praeſcribere, quae huius officii candidatis non parum utilitatis allatura ſint. Inter ea vero, illud primum, & omnium maximum ſit: ut Eccleſiaſtes ante omnia, huius officii dignitatem, & maieſtatem penitus exploratam, atque perſpectam habeat. Ea vero primum intelligi poterit ex eorum dignitate, quibus hoc officium a Deo demandatum fuit: qui ſanctiſsimi Prophetae, ac deinde Apoſtoli Prophetarum filii exſtitere. Sed multo mirabilius eſt, quod idem ipſe Prophetarum, & Apoſtolorum Dominus in mundum venire, & per ſe munus hoc ob-

obire dignatus ſit. (a) Multifariam enim, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſsime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſaecula. Hinc ipſe de ſe filius ait: (b) ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Et apud Iſaïam: (c) & erunt, inquit, oculi tui videntes praeceptorem tuum, & aures tuae audient vocem poſt tergum monentis. Haec eſt via, ambulate in ea. Et apud Ioëlem: (d) & filii, inquit, Sion, laetamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiae. Ex quibus locis, aliiſque, quae longum eſſet recenſere, aperte liquet, quanta huius officii dignitas ſit; quando eius miniſtrum, & principem, ipſum Dei Filium, Verbum, & Sapientiam Patris exſtitiſſe confitemur. Cui deinde Apoſtoli ſucceſſerunt: qui primitias Spiritus accipientes, Eccleſiam doctrina ſua fundaverunt. Horum enim eſt illa vox: (e) pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.

Nec miniſtrorum modo dignitas, ſed miniſterii quoque finis, eius dignitatem aperte declarat. Finis autem eſt, divinae maieſtatis gloria, & pereuntium animarum ſalus: quas Evangelicus concionator ex teterrimi draconis faucibus ereptas, ad ſempiternae felicitatis paſcua tranſmittit: & id perficere ſtudet, quod Chriſti Domini mors, & ſanguis operatus eſt. Neque hoc ingens beneficium in unum, aut alterum hominem, ſed in omnes, ad quos vox eius pervenerit, conferre nititur. Itaque, ſi ex fine, rei dignitatem, ut par eſt, metiamur, nihil hoc fine maius, aut ſublimius excogitari poteſt: ut illud etiam adiungam, quod in omnium ore verſatur; nempe, bonum quanto communius, tanto eſſe divinius. At concionum fructus, & utilitas ad omnes homines quam latiſsime patet.

Certat autem cum officii dignitate magnitudo meriti. Sic enim ſpiritualium rerum naturam conditor inſtituit, ut quae eſſent digniſsima, & honeſtiſsima, parem cum digni-

ta-

(a) *Hebræor.* 1. (b) *Ioan.* 18. (c) *Iſai.* 30. (d) *Ioel.* 2. (e) 2. *Corinth.* 5.

tate utilitatem, & meritum haberent, ſi non in hac vitâ, certe in altera: quod in hoc officio videre licet, in quo diſcernere nequeas, maior ne utilitas, an dignitas ſit. Quod paſsim ſacrae litterae teſtantur. Hinc Iacobus Apoſtolus: (a) qui converti, inquit, fecerit peccatorem ab errore viae ſuae, ſalvabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Et Dominus in Evangelio: (b) qui fecerit, inquit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Et Daniel Propheta: (c) qui, inquit, docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates. Hac vero de cauſa, eos Dominus (d) ſal terrae, lucem mundi, lucernam ſuper candelabrum, & civitatem ſupra montem poſitam appellat. Denique ea eſt meriti, & dignitatis magnitudo huic miniſterio a Domino propoſita, ut quemadmodum virginibus, atque martyribus aureola quaedam, ut appellant, in coelis repoſita eſt, quae in illis incorruptae carnis virorem, in his vero invictae virtutis conſtantiam ſingulari quadam gloria remunerat, ita doctoribus ſimilis aureola, & corona in coelo parata eſt: propterea quod non modo ipſi virtutis, & iuſtitiae propoſitum tenuerunt; ſed alios etiam ad ſimile virtutis ſtudium doctrinae ſuae miniſterio excitarunt: quae res inter clariſsimas praecurſoris Domini laudes (e) numeratur: quod videlicet multos filiorum Iſraël ad Dominum eſſet doctrina ſua pertracturus.

CAP. IV.

DE HVIVS MVNERIS DIFFICVLTATE.

VErum, quum ita natura comparatum ſit, ut nihil in rebus ſublime, atque magnificum ſit, quod non etiam ſit arduum, atque difficile: tantum certe in hoc munere, ſi utiliter, & recte tractari debeat, difficultatis, quantum

(a) *Iacob.* 5. (b) *Matth.* 5. (c) *Daniel.* 12. (d) *Matth.* 5. (e) *Luc.* 1.

tum dignitatis, & utilitatis est. Quum enim praecipuum concionatoris officium sit non modo pios doctrinae pabulo sustentare, sed improbos etiam a sceleribus, & improbitate revocare; & non modo currentibus calcar addere, sed ad cursum iacentes, atque dormientes incitare; atque postremo non modo viventes in vita gratiae doctrinae ministerio conservare, sed mortuos etiam in peccato, eodem ministerio ad novam vitam traducere; quid hoc studio, & conatu difficilius? Pugnat enim adversus hoc collapsae naturae vis, & potentia, quae communis peccati tabe infecta, proclivis in vitia est. Pugnat depravata, ne dicam inveterata, multorum consuetudo, cuius tanta vis est, ut Seneca dicat: (a) ne universa quidem philosophia, etiam si in hoc omnes vires suas advocet, duram iam, & veterem ab animo extrahet pestem. Quid hic mundum in maligno positum commemorem? Quid sceleratorum hominum, inter quos necessario vivendum est, contubernia, exempla, consilia, iniurias, contumelias, fraudes, & subdolas adulationes referam? Quid antiqui serpentis vires, astus, insidias, variasque nocendi artes, atque tentationes oratione recenseam? An non satis constat verum esse, quod in lib. Iob scriptum est: (b) obstetricante manu eius, nempe Dei, eductus est coluber tortuosus? Quae enim alia nisi omnipotentis Dei manus, ad tortuosum hunc colubrum, qui caudae suae voluminibus improborum animas stringit, foris protrudendum, sufficiens esse valeat? Dum enim fortis armatus (c) custodit atrium suum, nisi fortior illo superveniat, qui arma eius auferat, & spolia distribuat, dictu mirum est, quanta pace atrium suum custodiat, & vinctos suos retineat. Ita enim omnes sensus, atque aditus, per quos lumen aliquod illis affulgere possit, claudit, & obstruit, ut mirabili quadam, & abstrusa ratione videntes non videant, & audientes non audiant, nec intelligant.

Neque vero exiguo nobis impedimento est utriusque fortunae sive adversae, sive secundae conditio. Dum enim illa vehementer premit, nihil audiunt homines, nisi quod

(a) *Seneca in Epist.* (b) *Iob* 26. (c) *Luc.* 11.

illorum inopiam, & laborem levare posit: quod filiis Israël in Ægypto oppressis evenit, qui Mosis verba ex ore Domini, propter operum, quibus premebantur, angustiam audire noluerunt. Vbi vero secundae fortunae aura spirare, & ad votum omnia fluere incipiunt; sic humani cordis angustia successibus impletur & intumescit, ut ad omnia fere alia obsurdescat. Quam rem D. Augustt. & experimento didicit, & his verbis exposuit: ego quum amatores saeculi huius intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos sanandos opportuna praedicatio: quando enim res huius mundi, velut prosperas habent, fastu suo respuunt salubres monitiones, & quasi anilem reputant cantilenam; quando autem adversis anguntur, magis conantur evadere, unde ad praesens anguntur, quam capere, unde curentur. Sed ut multa brevi oratione complectar, tam ingens & arduum opus est, hominem a peccati servitute ad Dei obsequium revocare, ut D. Gregor. dicat: si invisibilia pensamus, nimirum constat, quia maius est miraculum, praedicationis, & orationis solatio peccatorem convertere, quam mortuum carne suscitare. His igitur argumentis intelligere Ecclesiastes facile poterit, quam ingens provincia sibi demandata, quantumque onus humeris eius impositum sit, quantoque studio contendere debeat, non modo, ut parem huic difficultati animum, studiumque adhibeat; sed ut multo magis, qua se erga Deum pietate, reverentia, animique summissione gerere debeat, ut divina bonitas, & providentia, quae fere inferiorum causarum ministerio cuncta operatur, eo, tamquam idoneo instrumento, ad hoc tantum opus uti velit. Hinc etiam intelliget, si non suam, sed Domini sui gloriam, & animarum salutem quaerit, quanto magis negotium hoc orationibus, quam sermonibus; lacrimis, quam litteris; lamentis, quam verbis; & virtutum exemplis, quam Rhetorum praeceptis urgere debeat.

CAP.

CAP. V.

DE PVRITATE, ET RECTITVDINE intentionis in Eccleſiaſte.

ALia quoque non minor fortaſſe in hoc opere difficultas eſt, quae non minus coeleſti ope indiget; nempe intentionis puritas, & rectitudo, quam Eccleſiaſtes in huius muneris functione retinere debet: hoc eſt, ut ſui, ſuorumque commodorum, atque honoris oblitus, in ſolam Domini ſui gloriam, & animarum ſalutem tota mente defixus ſit, illam ſolam intueatur, illam captet, illam cogitet, illam ſemper ob oculos habeat, nec umquam ab illa ad ſe mentem convertat. Indigniſsimum enim eſt, quum de ſummi conditoris gloria, & ſempiterna animarum ſive vita, ſive morte agitur, ut homo tantarum rerum momenta negligens, ſolam gloriolae ſuae rationem habeat, magiſque hanc inanem rumuſculi popularis auram periclitari, ſi minus auditoribus grata ſit eius oratio, quam Dei gloriam, & animarum ſalutem ſentiat. Quis vero adeo ſui amans, & Dei negligens erit, quem huius tantae perverſitatis, & divini contemtus non pudeat, ſi forte hanc affectuum ſuorum pravitatem in pectore ſuo animadvertit? Armenia clariſsima femina, ut Franciſcus Senenſ. memorat, quum a Cyri convivio domum rediens, Cyri pulchritudinem cunctis laudantibus, interrogata a viro fuiſſet, quid de Cyri dignitate ſentiret, reſpondit: a te, mi vir, oculos numquam deflexi: itaque qualis alieni viri forma ſit, prorſus ignoro. Si igitur femina haec nefas eſſe putabat, in alium quamvis regem, forma praeſtantem, oculos coniicere; quanto deteſtabilius erit, quum de Dei gloria, & ſumma hominum felicitate agitur, hac prorſus neglecta, de ſola gloriola ſua, quae umbra citius evaneſcit, ſollicitum eſſe? Quum Heliſeus Propheta (a) puero ſuo, quem cum baculo ad mortuum puerum mittebat, praecepiſſet, ut accinctis lumbis, quanta poſſet celeritate accurreret, nec

(a) 4. *Reg.* 4.

illi reſalutandi, aut reſpondendi occurſantibus, & ſalutantibus facultatem tribuiſſet: quid aliud, quaeſo, innuere voluit, quam eos, quibus haec a Domino cura demandata eſt, ut mortuas in peccato animas, divinae ſeveritatis, & iudicii baculo ante oculos poſito, ad iuſtitiae vitam revocent, adeo in hoc tam praeclarum, & ingens munus intentos eſſe debere, ut omnium aliarum rerum, vel neceſſariarum obliti, hoc unum agant, hoc unum cogitent, in hoc unum dies, nocteſque intenti ſint, nec ullius terrenae rei commercio ab hoc ſtudio avocentur: quo videlicet muneris amplitudini, par quoque miniſtri cura, & diligentia reſpondeat. Si enim pater aliquis, enitenti filiae, & ob difficultatem partus periclitanti, ad medicum accerſendum properaret; num is hoc tempore populares ludos, aut ſimilia ludicra ſpectare, aut ad ea animum advertere poſſet? Quum igitur officii noſtri ſit, non periclitantia hominum corpora, ſed animas, pretioſo Chriſti ſanguine redemtas, ab ipſis aeternae mortis faucibus eripere, & immortali vitae reddere: quid eſſe magis praepoſterum, atque deteſtandum poteſt, quam hoc tanto munere fungentem ad inaniſsimae gloriae ſuae fumum oculos convertere?

Ceterum, quamvis hoc adeo damnabile ſit, ut vix ullis verbis tantae rei indignitas amplificari poſsit; difficillimum tamen eſt, in hanc foveam non incidere. Haec enim intentionis puritas, quam ab Eccleſiaſte requirimus, potentiſsimum intra praecordia noſtra hoſtem ſibi adverſantem, videlicet honoris, & propriae excellentiae appetitum habet: qui in pleriſque hominibus adeo vehemens eſt, ut inſitus a natura vitae amor, & carnalis commercii cupiditas, quam Theologi inter ceteros corruptae naturae affectus dominari dicunt, ac ceterae deinde cupiditates huic honoris, & gloriae appetitioni cedant. Quam multos enim quotidie cernimus, vitam, qua nihil in rebus humanis homini carius eſt, in ſummum diſcrimen adducere; immo, & mortem oppetere, ne ullam honoris iacturam patiantur? Quam multos, qui illibatum carnis pudorem,

non

nón tam divini timoris, quam humani dedecoris metu conſervant? Nec vero multis, ad huius affectus vim, atque tyrannidem explicandam opus eſt. Res geſtas omnium temporum homo ſibi ante oculos ponat, omnes orbis terrarum vaſtationes conſideret: & quae bella Alexander Magnus, Iulius Caeſar, ceterique Romanorum, aliarumque nationum reges, & imperatores ſuſceperint, & quotidianas item hominum pugnas inſpiciat: facileque deprehendet, omnes fere has flammas ab huius cupiditatis igne excitatas.

Quod ſi parum externis teſtimoniis credit, ſe ipſum introſpiciat, affectus ſuos ſcrutetur, & quantam vim hic morbus habeat, facile deprehendet. Haec autem generis humani tabes intentionis puritatem, quam ad hoc munus integre obeundum requiri diximus, magnopere inficit. Hic enim affectus tanto eſt vehementior, quanto eſt honor, & gloria maior, & ad plures permanat. At eximii concionatoris gloria, non modo eius civitatis, in qua degit, finibus continetur, ſed ad exteras etiam nationes, & regna pervadit. Sic audimus, Romae, aut Mediolani eſſe concionatorem quemdam praeſtantiſsimum, qui plurimum dicendi facultate ceteros antecellat. Neque vero haec corporis virium, & fortitudinis fama eſt, qua a multis etiam brutis longe ſuperamur: nec divitiarum, & formae gloria, quae fluxa, & fragilis eſt: ſed ingenii, dexteritatis, eloquentiae, liberalis eruditionis, atque adeo probitatis, quae in egregii concionatoris oratione elucere debet. Quae quidem gloria quanto dignior, atque praeſtantior, tanto cupiditas noſtra gloriae avida ardentius in eam rapitur, & concitatur. Quid vero de metu ignominiae dicam, qui initio dicendi, ita quorumdam mentes obſidet, ut corporis etiam membra ſolvantur, & tremant genua dicturis, nec ulla ratione hunc a ſe metum excutere poſsint? Vnde autem hic adeo impotens affectus, niſi ex ignominiae metu, & periculo, qui tunc dicturis impendet, proficiſcitur? Vnde vero ingens hic metus ignominiae, niſi ex immodica gloriae cupiditate naſcitur? His igitur duobus affectibus occupata, & oppleta mens, quem in animo locum relin-

quet, ut in unam Dei gloriam, & animarum ſalutem, omni mente & ſtudio, ſpretis omnibus aliis, defixus ſit? Liquet igitur ex his, quam non ſit facile, hanc intentionis puritatem in hoc munere obeundo retinere, niſi illam concionator a Deo multis lacrimis, multaque vi precum, & virtutum meritis tamquam rarum aliquod, & ſingulare eius donum impetrare contendat. Et ne ſi hoc quidem ſtudioſe, ac diligenter fecerit, ab huius labis periculo ſe prorſus immunem credat: ſemper enim in hac parte ſuſpectus ſibi eſſe debebit. Vt enim ſapienter D. Gregor. ait: (a) ſaepe mens ſibi mentitur, & fingit de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat. Huius autem intentionis periculum idem vir ſanctus illa beati Iob verba explanans, (b) ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, exponit his verbis: ſed ſunt nonnulla, quae ſciri a nobis facile nequeunt, etiam quum geruntur.

Saepe officium praedicationis aſſumimus, ut per hoc fraternae utilitati ſerviamus: ſed niſi placeamus illi, cui loquimur, nequaquam libenter accipitur, quod praedicamus. Quumque placere mens utiliter ſtudet, ad amorem laudis propriae defluit turpiter: & quae a captivitate vitiorum alios curabat eruere, ipſa ſuis favoribus incipit captiva ſervire. Quaſi latrunculus quippe eſt appetitus laudis humanae, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, ut ex occultis, educto gladio, gradientium vita trucidetur: quumque propoſitae utilitatis intentio ad ſtudia privata deducitur; horrendo modo unum, idemque opus culpa peragit, quod virtus inchoavit. Saepe & ab ipſis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio oſtendit. Hactenus Gregorius. Hoc autem periculum concionatores multi, ac praeſertim iuniores adeo non cavent, ut nec etiam agnoſcant. Sicut enim in quibuſdam regionibus deforme ebrietatis vitium, nec vitium aut dedecus eſſe putatur, propterea quod prava hominum conſuetudo huic vitio horrorem detraxerit: ita multis concionatorum adeo familia-

(a) *Gregor. in Paſtor.* (b) *Iob* 9.

liaris, & innata haec vanitas eſt, ut vix eam advertant, & nec inter peccata quidem numerent. At qui divino timore acti, ſe ipſos, & interiora ſua omnia diligenti examine ſcrutantur, ſeque ex omni parte circumſpiciunt, vehementer ſibi ab hoc periculo timent. Fuit olim mihi arctiſsima familiaritate coniunctus concionator quidam, vir pius, qui, ut ipſe narravit, quum primum concionandi munus aggreſſus eſt, parum vanitatis huius periculum aliorum more praevidebat. At ubi proceſſu temporis oculos magis aperuit, & ea, quae ante diximus, cum animo ſuo reputavit, adeo perterrefactus fuit, ut concionandi munus omnino relinquere deſtinaverit, & multo etiam tempore ab eo munere deſtiterit. Vbi vero ad illud, parendi neceſsitate coactus rediit, multis ſe rationibus, multiſque precibus adverſus communem hunc concionatorum hoſtem munire ſtudioſiſsime curabat. Haec a me paucis dicta ſunt, quae multis plane dici debuerunt; ut occultiſsimi huius periculi, reique omnium maxime ad hoc munus exſequendum neceſſariae, divini verbi miniſtros admonerem. Quum enim in iis, quae ad finem aliquem ordinantur, ratio omnis ex fine petenda ſit, efficitur plane, ut fine perperam conſtituto, omnia ordine, ratione, & merito etiam deſtituantur.

CAP. VI.

DE PROBITATE, ET MORIBVS concionatoris.

IAm nunc quid ex iis, quae dicta ſunt, ſequatur, expendere incipiamus. Primum, ſi ea officii dignitas, & maieſtas eſt, ut ipſum Dei filium principem, & auctorem habeat, pro eoque Eccleſiaſtes legatione fungatur in terris: qualis eius puritas, & integritas futura eſt, qui huic tanto muneri deſtinatur? Neque enim natura rerum patitur, ut in tantae dignitatis ſplendore vita ſordeat: ſed illud exigit, ut cum miniſterii dignitate, vitae puritas, & integritas certet. Hinc quum Dominus Ieremiam Prophetam,

ad depravatos populi ſui mores caſtigandos mitteret, in matris etiam utero deliteſcentem, nec dum in lucem editum Spiritu ſancto replevit. Iſaïae vero labia, (a) Cherubini ad ipſum volantis miniſterio, coeleſtique igne, ex altari Dei ſumto, ab omni pollutionis, & peccati labe purgavit: quo idoneus miniſter eſſet, per quem puritatis auctor ſcelerati, & rebellis populi crimina obiurgaret. Quid Apoſtolos memorem, quos tanta Spiritus ſancti gratia in die Pentecoſtes (b) Dominus replevit, ut idoneos Evangelicae doctrinae magiſtros efficeret? Quid Paullum referam, quem non modo eodem ſpiritu replevit, ſed (c) in tertium uſque coelum ſuſtulit; ut inter Angelos diſceret, quod inter homines doceret? Sed haec omnia exempla illud mihi ſuperare videtur, quod ipſe Dei filius non ante munus hoc docendi ſuſcepit, quam ſe ad illud, quadraginta dierum ieiuniis, orationibus, & ſolitudinis ſeceſſu praepararet: non quod is hac praeparatione indigeret, qui puritatis, & ſapientiae fons erat; ſed ut hoc exemplo Eccleſiae Doctores diſcerent, qua vitae puritate, & innocentia ad hoc coeleſte munus obeundum accedere deberent. Intelligebat enim ſummus ille magiſter, quanto eſſent ad fidem faciendam, & vitam hominum inſtituendam efficaciora praeclara virtutum exempla, quam exculta, & perpolita verba. Vnde, quum idem concionatores lucernam ſupra candelabrum poſitam appellaſſet, (d) ut praelucerent omnibus, qui in Eccleſiae domo eſſent, ſubdit continuo: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in coelis eſt.

Quibus verbis non obſcure indicavit, quanto magis egregia virtutum opera, quam ſelecta, & limata verba gloriam Domini illuſtrarent: quod illud quoque Iſaïae vaticinium declarat: (e) & vocabuntur in ea fortes iuſtitiae, plantatio Domini ad glorificandum. Quid enim magis divinae gloriae ſplendorem, quam probitatis, & iuſtitiae pulchri-

(a) *Iſai. 6.* (b) *Actor. 2.* (c) *2. Corinth. 12.* (d) *Matth. 5.* (e) *Iſai. 61.*

chritudó, atque conſtantia, quae divinae bonitatis imaginem refert, declarare poteſt? Denique ſi Eccleſiae annales, & incrementa ad memoriam revocemus, falice inveniemus longe magis Eccleſiam Sanctorum exemplis, quam diſertorum hominum verbis auctam, & locupletatam fuiſſe. Quam multorum monachorum, coeleſtem in terris vitam meditantium, pater exſtitit illiteratus Antonius? De quo illa D. Auguſt. verba iactantur: (a) ſurgunt indocti, & rapiunt nobis paradiſum, & nos cum doctrinis noſtris in carne, & ſanguine volutamur. Quid illiteratum etiam Franciſcum referam, qui tot virtutum plantaria in Eccleſiae paradiſo, ſanctitatis exemplis magis, quam diſertis verbis conſevit? Quid Simeon ille cognomento ſtilites litterarum omnium rudis, cuius vitam coaetaneus, & familiaris eius amicus Theodoretus conſcripſit: quam multas nationes in columna illa manens, admirandae vitae ſuae exemplis ab idolorum cultu, ad fidem Chriſti revocavit? Vicina quoque noſtro ſaeculo D. Catherina Senenſis, & femina, & litterarum ignara, tam multos homines a ſcelerata vita ad iuſtitiam, & pietatem convertit, ut quattuor confeſſarii, qui illi, annuente Gregor. XI. Pont. Max. iugiter aſsiſtebant, vix tempus ad quietem haberent; dum eorum confeſsiones audiunt, quos illa ſplendore magis vitae, quam doctrinae, ad virtutis, & iuſtitiae ſtudium traducebat. Haec a me breviter dicta ſunt, non quo doctrinae munus aliqua ratione extenuarem, ſed quo vitae ſplendorem, & dignitatem pio concionatori plurimum commendarem.

Quam rem brevi oratione Seneca complexus eſt, quum ad Lucilium ſcribens ait: eum elige doctorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. Hinc Lactantius Firmianus. (b) Qui dat, inquit, praecepta vivendi, debet amputare omnium excuſationum vias: ut imponat hominibus parendi neceſsitatem, non vi aliqua, ſed pudore. Quo modo vero amputari poterit excuſatio, niſi ut qui docet, faciat, quae docet, & ſit quaſi praevius,

(a) *Auguſt. lib. 8. Confeſſ.* (b) *Lactantius in 4. diu. inſ. lib.*

vius , & manum porrigat ſequuturo. Nam habere non poſſunt , quae doceas , firmitatem , niſi ea prior feceris : quia natura hominum proclivis in vitia , videri vult , non modo cum venia , ſed cum ratione peccare. Hactenus ille. Hoc autem , ut ceteros eius officii conſortes praeteream, ita praeſtabat Paullus , ut ſe ipſum in imitationis exemplum , fidelibus , quibus verbum vitae tradebat , non ſemel proponeret. Alibi enim ait : (a) imitatores mei eſtote, fratres , ſicut & ego Chriſti : & alibi : (b) capite nos : neminem laeſimus , neminem corrupimus , neminem circumvenimus. Et ad Philipp. rurſum : (c) de cetero , inquit, fratres , quaecumque ſunt vera , quaecumque pudica , quaecumque iuſta , quaecumque ſancta , quaecumque amabilia , quaecumque bonae famae , haec cogitate , quae & didiciſtis , & accepiſtis , & audiſtis , & vidiſtis in me. Non ergo ſolis auribus , quae utiliter audirent , ſed oculis etiam admirantes viderent , atque imitarentur , bonus magiſter exempla proponebat.

Ceterum de his , qui alia via gradiuntur , qui videlicet aliter vivunt , quam vivendum eſſe praecipiunt , ſic D. Gregor. ait : (d) ſunt nonnulli , qui ſolerti cura ſpiritualia praecepta perſcrutantur : ſed quae intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent , quae non opere , ſed meditatione didicerunt : & quod verbis praedicant , moribus impugnant. Vnde idem vir ſanctus concionatores graviter admonet his verbis : mundari prius oportet , & ſic alios mundare : ſapientem prius fieri , & ſic alios facere ſapientes : lumen fieri , & ſic alios illuminare : ad Deum accedere , & ſic alios ad Deum adducere : ſanctificari , & ita ſanctificare : manus habere rectas , & ſic aliis porrigere manum. Quia vero hoc ſanctiſsimi viri praeceptum multi negligunt , merito D. Bernard. queritur , (e) canales nos hodie in Eccleſia habere plurimos , conchas vero perpaucas. Tantae enim caritatis eſſe , ait , eos , per quos ad populum divinorum eloquiorum fluenta manant , ut prius effun-

(a) 1. *Corinth.* 4. (b) 2. *Corinth.* 7. (c) *Philipp.* 4. (d) *Gregor. in Paſt.* (e) *Bernard. ſup. Cant.*

fundere , quam infundi velint : quum tamen longe alia ratione hoc fieri debere , vel ille Davidis verſiculus moneat : eructavit cor meum verbum bonum. Quid enim aliud eſt eructare , niſi animum divinorum eloquiorum epulis ſaginatum , de plenitudine cordis verbum bonum pronuntiare ? Eoſdem etiam Seneca graviſsime notavit his verbis : (a) nullus quidem peius mereri de omnibus mortalibus iudico , quam qui philoſophiam , velut aliquod artificium venale didicerunt : qui aliter vivunt , quam vivendum eſſe praecipiunt. Exempla enim ſe ipſos inutilis diſciplinae circumferunt : nulli non vitio , quod inſequuntur , obnoxii. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe praeceptor , quam gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum : luctandum cum ipſo mari : eripienda ſunt vento vela. Quid mihi poteſt adiuvare rector navigii attonitus , & vomitans ? Quanto maiori putas vitam tempeſtate iactari , quam ullam ratem ? Non eſt loquendum , ſed gubernandum. Hactenus ille.

Sed quid tam multis argumentis ad hoc probandum in re tam aperta opus eſt , quum ipſi etiam rhetores oratorem definiant , eſſe virum bonum , dicendi peritum ? Si ergo orator , qui de ſtillicidiis arcendis , deque depoſitis reddendis , ut fidem apud iudices faciat , vir bonus eſſe debet, priuſque illi vitae probitas , quam artis peritia tribuitur: quid de concionatore dicendum , cuius tota cura , & officium eſt , homines ad virtutis , & probitatis ſtudium non modo loquendo , ſed etiam recte vivendo traducere ? Rectiſsime enim dictum eſt : (b) ab immundo quis mundabitur ? Ex quibus omnibus intelligere facile poſſumus , quid ſit in cauſa , cur quum hoc noſtro ſaeculo omnia fere templa quotidianis concionatorum vocibus , & clamoribus reſonent , tam paucos homines videamus , qui eorum clamoribus perterrefacti , pravos mores , & inveteratam peccandi conſuetudinem deſerant. Quum enim verbum Dei ignis ſit , & quaſi malleus conterens petras , quid in cauſa eſt,

ut

(a) *Seneca Epiſt.* 109. (b) *Eccli.* 34.

ut nec hic coeleſtis ignis algentia hominum pectora incendat, nec hic malleus ferrea corda molliat: niſi quod maxima concionatorum turba negotium hoc, magis verbis, quam exemplis, magis litteris, quam lamentis, magis eloquentiae ſtudiis, quam piis precibus urgeat: maioremque popularis plauſus captandi, quam vitia eliminandi; ac poſtremo maiorem nominis ſui celebrandi, quam divinae gloriae, & ſalutis humanae procurandae curam habeat? Hoc autem quid aliud eſt, quam talentum in terra recondere: quando hi commiſsi muneris miniſterium non ad Dei gloriam, & hominum ſalutem, ſed ad terrena commoda referunt: ut videlicet liberius, & indulgentius vivant, ut amplioris dignitatis locum obtineant, ut popularem famam aucupentur, & pinguiora Eccleſiae ſtipendia percipiant? Haec dum omni ſtudio captamus, Dei gloriam, & animarum ſalutem, vel negligimus, vel in poſtremis habemus. Quo modo autem ſe dominus adverſus huiuſmodi operarios gerere debeat, ſatis aperte vates ſanctus indicavit, quum ait: (a) peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? &c. quae ſequuntur. Quicumque vero tales ſunt, ad eorum ſortem pertinent, de quibus Salvator in Evangelio ait: (b) dicunt enim, & non faciunt: alligant onera gravia, & importabilia: digito autem ſuo nolunt ea movere.

CAP. VII.

DE STVDIO CARITATIS IN ECCLESIASTE.

VErum, quum haec vitae probitas, & virtutum ſtudium non ad concionatores modo, ſed ad omnes in univerſum pertineat, caritatis tamen virtus, a qua concionandi munus proficiſcitur, in Eccleſiaſte maxime eminere debet. Ex ea namque oritur flagrantiſsimus divinae gloriae amor, ardentiſsimumque ſalutis humanae deſiderium, quod huius officii caput, & fundamentum eſt. Sic enim huic

(a) *Pſalm.* 49. (b) *Matth.* 23.

huic mūneri deſtinatus, Dei gloriam, & animārum ſalutem ſitire debet, ut nullus avarus divitias, nullus ambitioſus honores, nullus denique imperator de hoſtibus triumphum, atque victoriam tanta aviditate deſideret, quanta is animarum ſalutem deperire, & earum interitum lamentari debet. Hoc enim flagrantiſsimum deſiderium, quod a caritatis radice proficiſcitur, adeo Evangelici concionatoris proprium, adeoque illi ad munus ſuum utiliter obeundum neceſſarium eſt, ut qui hoc ardore, ac deſiderio deſtitutus ſit, meo iudicio, officium hoc attingere minime debeat. Hoc deſiderio ſancta illa mulier in Apocalyp. flagrabat, (a) quae cruciabatur ut pareret: propterea quod tanto deſiderio pariendi filios ſponſo ſuo tenebatur, ut nullus corporis cruciatus, nulla tyrannorum ſupplicia formidaret, dum modo ſpiritualem hanc ſobolem coeleſti ſponſo generaret. Cuius ardentiſsimum deſiderium Rachel olim adumbravit, quae tanto filiorum amore flagrabat, ut ad virum ſuum diceret: (b) da mihi liberos, alioquin moriar.

Iam verō David rex, quo animarum ardore aeſtuabat, qui tam acri doloris ſenſu earum interitum, & ruinam deflebat? Vidi, inquit, (c) praevaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Et (d) zelus domus tuae comedit me, & opprobria exprobantium tibi ceciderunt ſuper me. Quibus verbis ſignificat, non minus ſe divinae gloriae conviciis torqueri, quam ſi his omnibus probris, & maledictis inceſſeretur. Apoſtolus vero quam multis in locis hoc animi ſui ſtudium, deſiderium, zelum, & caritatem oſtendit? Quis, inquit, (e) infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Et ad Galatas: (f) filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Hoc eſt, quos iterum magno perditionis veſtrae dolore ſaucius, magnoque ſtudio, atque conatu iterum eniti, & Chriſto reddere paro. Ex hoc autem interno igne faces illae verborum prodierunt:

(a) *Apoc.* 12. (b) *Geneſ.* 30. (c) *Pſalm.* 118. (d) *Pſalm.* 68. (e) 2. *Corinth.* 11. (f) *Galat.* 4.

runt : (a) vellem esse apud vos modo , & commutare vocem meam , id est , in omnes me dicendi figuras transformare , quoniam confundor in vobis. Hoc est , quoniam inops consilii , & plenus maeroris , atque angustiae sum , nec quo me vertam , aut quid consilii capiam , scio. Ad Corinth. vero , (b) quo dolore , quibus lacrimis se priorem epistolam scripsisse profitetur , quod eos ab Evangelica simplicitate desciviſse intelligeret ? Quid vero illa eiusdem verba : (c) omnia sustineo propter electos , ut & ipsi salutem consequantur ? Et (d) omnibus omnia factus sum , ut omnes facerem salvos ? Et ad Thess. scribens : (e) volebamus , inquit , vobis tradere non solum Evangelium , sed etiam animas nostras , quoniam carissimi nobis facti estis.

Neque vero illud mihi quisquam obiiciat , hanc mentem Apostolorum tantum fuisse , qui Spiritus plenitudinem acceperunt : nos vero in hac mundi faece non eam coelestium donorum ubertatem percepisse , ut simili ardore flagrare possimus. Sit ita sane. Sed simili tamen studio , & desiderio prophetarum pectora ante gratiam quoque Evangelii aestuabant , quod eorum lacrimae , quas propter hominum peccata fundebant , eorumque cruciatus , & mortes , quas propter obiurgandi severitatem , & acrimoniam pertulerunt , facile declarant. Sequentibus vero saeculis, quam multi ex sanctis patribus , & doctoribus hoc eodem desiderio arserunt ? De beato patre nostro Dominico inter eximias eius laudes haec etiam praedicatur ; quod arderet quasi facula zelo pereuntium. Quo ardore incensus , novum in Ecclesia Praedicatorum ordinem , Spiritu sancto instigante , primus excogitavit , erexit , ac fundavit. Tanto autem erga homines caritatis igne, tantoque pereuntium animarum dolore torquebatur , ut nulli incommodo , nullique labori parceret , quo minus die , noctuque opportune, atque importune saluti earum invigilaret ; adeo , ut aliquando integram quadragesimam solo pane , & aqua victitarit , noctibusque fessa diurno labore membra super nu-

(a) *Galat.* 4. (b) 2. *Cor.* 2. (c) 2. *Timoth.* 2. (d) 1. *Cor.* 9. (e) 1. *Thess.* 2.

nudam tabulam reclinaret : quo feminas , apud quas hoſpitabatur , haereticorum dolis ſeductas , ad fidei ſinceritatem hoc exemplo revocaret : quod & obtinuit.

Haec igitur mens , hic affectus , hoc flagrantiſsimum divinae gloriae , & humanae ſalutis deſiderium praecipuus huius officii magiſter eſt. Neque tantum univerſae rhetorum ſcholae , atque praecepta, quam hic unus ardor concionantem iuvare in dicendo poterit. Hic enim unus affectus, qui velut mens , & anima quaedam huius artificii eſt , dicenti paene omnia praeſtat. Hic enim docet ea negligere, quae aures magis tinnitu verborum , & acumine ſententiarum oblectant , quam mentes erudiant , atque ſanent. Hic omnes perſuadendi rationes excogitare , & omnes dicendi machinas auditorum mentibus admovere facit , ut eas ad timorem Domini , & ſceleratae vitae odium traducere poſſit. Hic etiam , ubicumque illi orationis curſus occaſionem praebuit , & affectus excitare , & ſingularia vitae documenta tradere , & ad mores inſtituendos , quae dicuntur , accommodare , & languentes auditorum animos dicendi vi, & acrimonia ſuſpenſos tenere , & dormitantes excitare facit. Hic exclamat , arguit , obſecrat , increpat , terret , ſtupet , admiratur , & in omnes ſe affectus , & figuras dicendi transformat ; defunctos excitat , abſentes alloquitur , Dei opem implorat , coelum , terras , maria permiſcet , & , quaſi quodam prophetico furore percitus, clamat : terra , terra, terra , audi ſermonem Domini. Et , obſtupeſcite coeli ſuper hoc , & portae eius deſolamini vehementer. Et , generatio prava , atque perverſa , haeccine reddis Domino, populeſtulte , & inſipiens ?

Haec igitur , & multa alia flagrantiſsimum hoc deſiderium concionatoris animo inſpirat , qui interdum ſe ipſe non capit , ac paene diſrumpitur : quum ſpretam religionem , ſceleratos hominum mores , caecitatem mentis , obduratum , & inſenſibile pectus , ac tot pereuntium animarum extremum periculum contemplatur : ideoque nullum non movet lapidem , nihil intentatum relinquit , quo homines , quos in ipſis paene draconis faucibus iam iam de-

vorandos videt, revocare inde posſit: tanta eſt huius ardoris, quem ſolus Spiritus ille coeleſtis excitare, & inflammare ſolet, vis atque potentia. Quo circa non abs re dictum a nobis fuit, hunc eſſe praecipuum huius operis, & artificii magiſtrum. Hic eſt enim ſpiritus ille robuſtorum, qui turbinis inſtar impellit parietem: hoc eſt, qui pectora, etiam diuturna peccandi conſuetudine obdurata, diſrumpit, & concutit. Haec illa Domini vox, quae confringit cedros, quae intercidit flammam ignis, quae parere facit prae metu cervas, & omnia tandem ſibi obſiſtentia perrumpit. Hanc ergo vocem, hunc animum, hoc ardens, & incitatum deſiderium habere debet, quiſquis hoc Propheticum, & Apoſtolicum munus exercere pro dignitate parat. Vnde, quum quidam vir pius, qui tum primum concionandi munus aggrediebatur, a veterano, eius artificii principe, quaereret, quid ſibi maxime ad id munus obeundum neceſſarium eſſet: ille nihil, inquit, magis, quam ut is, qui dicit, ardentiſsimo Domini Ieſu amore flagret.

Qui enim ſic erga illum affectus eſt, vehementer illius gloriam, & animarum ſalutem, pro quibus ille vitam profudit, ſitiet, & quae ille maxime odit, nempe hominum peccata, & flagitia, ſimili affectu deteſtabitur: atque ita fiet, ut quum hiſce de rebus agendum erit, non perfunctorie, non oſcitanter, aut ſegniter, ſed vehementer, acriter, & pro dignitate rerum dicat: eumque affectum animis auditorum imprimat, quem ipſe voce, vultu, geſtu, acrimonia, & tota dicendi contentione praeferat. Quum autem hic affectus, & ardor, ut antea diximus, a Spiritu ſancto ſit, non enim hunc natura, ſed gratia, & magna quidem gratia praeſtat, non poteſt populus audiens hoc ardore declamantem, non mirari, ſuſpicere, & revereri: propterea quod intelligat, maius aliquid, & ſupra hominis facultatem, atque naturam ibi latere, ibique Dei digitum eſſe. Cuius rei cognitio humana pectora vehementer commovet, & concutit: ſive quod Deum intelligant humano ore loquentem, ipſoſque ad ſe vocantem, ſive

quod

quod ex inusitata illa dicentis acrimonia, rei dignitatem, de qua agitur, agnoscant. Quum autem Cicero, nullam esse eloquentiam dicat, quae admiratione careat, nulla re magis, quam hac dicendi vi auditorum admiratio concitatur.

Quaeret hic fortasse studiosus concionator, qua ratione hunc animum, atque affectum induere aliquis possit. Cuius rei facilis admodum responsio, sed non facilis ad hoc via est. Quum enim, ut dictum est, hic mentis ardor ab inflammata in Deum caritate proficiscatur, quae non nisi intra virtutum omnium sinum, atque complexum inveniri potest, aperte liquet, innocentia, & puritate vitae hunc animum esse comparandum. In quo quidem studio vehementer adiuvat intentionis puritas, de qua paullo ante loquuti sumus, qua homo non suam, sed Domini sui gloriam casto pectore quaerit. Adiuvat in hoc etiam vera animi submissio, qua pius Ecclesiastes, atque is praesertim, qui ex maiorum suorum imperio hoc munus exsequitur, supplicem se Deo exhibet; & hinc quidem indignitatem suam professus, inde vero parendi necessitatem proponens, spiritum, atque animum ad eius officii functionem clementer sibi a Domino impartiri postulat. Ad hanc autem humilitatem pertinet, ut homo omnem a se sui fiduciam ad hoc munus obeundum depellat: nec vel eruditione, vel eloquentia, vel vocis, & pronunciationis elegantia, vel opinione, & fama popularí, vel diuturna concionandi consuetudine, atque dexteritate fretus, aliquid se effecturum putet, nisi coelitus adiuvetur, virtuteque ex alto induatur.

In mentem vero operis huius difficultatem revocet, de qua satis multa superius diximus, intelligetque, hoc unum sibi supereſſe remedium, ut cum Iosaphat rege sanctissimo totum spiritum suum conferat ad rogandum Dominum. Ab illo felicem laboris successum, ab illo animarum salutem, ab illo dicendi vim, & facultatem, non ab humanis eloquentiae, aut eruditionis praesidiis speret. Si enim unigenitus Dei filius Patri suo, & doctrinam,

quam praedicabat, & doctrinae fructum tribuebat, quum diceret: (a) mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Et: (b) verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Et: (c) sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris: quis adeo impudens, & insolens erit, qui sibi aliquid in docendi officio arrogare audeat? Depulsa ergo hac impia sui fiducia, pius Dominus obedientiae, atque verae humilitatis amator nihil vere humili, atque obedientiae filio denegabit.

Multum praeterea conferet ad salutis alienae sitim acuendam, ea, quae paullo ante de huius officii dignitate, & meriti magnitudine diximus, considerare. Quum enim, auctore D. Gregor. nullum sacrificium Deo gratius sit, quam salus animarum; illeque, ut idem ait, in maiori apud Deum amore sit, qui ad eius amorem plurimos trahit: quisquis huius divini erga se amoris studiosus est, vehementer optabit, ad eius amorem plurimos adducere, ut ipse tandem voti sui compos efficiatur. Huc pertinet insigne quoque huius operis meritum simul, & praemium, quod ubique piis concionatoribus sacrae litterae pollicentur. Hoc declarat Iacobus Apostolus, quum ait: (d) fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Item Prov. 11. Salomon, anima, inquit, quae benedicit, impinguabitur: & quae inebriat, ipsa quoque inebriabitur. Iustum quippe apud aequissimum iudicem Deum est, ut in omni opere par pari hominibus referatur: & ita, qui opera, atque doctrina sua aliorum animas reficit, & spiritualibus bonis ditat, ipse quoque a Domino reficiatur, & similibus bonis locupletetur, quibus ornatus, & auctus ante supremi iudicis tribunal tutus apparere possit, & cum Apostolo dicere: quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne

(a) *Ioan. 7.* (b) *Ioan. 14.* (c) *Ibid.* (d) *Iacob. 5.*

ne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in adventu eius?

Iuvabit & illud, ſi Eccleſiaſtes nominis ſui rationem conſiderans, meminerit ſe hominum piſcatorem a Domino appellari. Sicut autem piſcator quum rete iacit, hoc unum praecipue curat, ne vacuum rete domum referat: ſic animarum piſcator, hoc praecipue captare, in hoc nervos omnes intendere debet, ut eo modo actionem ſuam inſtituat, qua huiuſmodi praeda Evangelicam ſagenam impleat: hoc eſt, ut pereuntium animas Chriſto Domino lucrifaciat. Hoc autem conſequetur, ſi ea dicat, & eo modo dicat, quo poſsit obdurata corda concutere, & in tenebris, & coeca peccati nocte iacentes, doctrinae ſuae luce ad veritatis notitiam trahere: quo miſerandum animae ſuae ſtatum, & periculum agnoſcentes, & animo compungantur, & ad iter ſalutis revocentur. Ad quod, & incertam mortis horam, & divini iudicii ſeveritatem, & horrendas gehennae flammas, aeternitatemque poenarum non raro ponere ante oculos debet. Quamvis non ſemper adverſum hos orationis ſtilus dirigendus eſt: quando is ſapientibus, & inſipientibus, piis, & improbis debitor ſit, & ad pietatem, & iuſtitiam alios quidem potenter trahere, alios vero blande, & leniter erudire, & inſtruere debeat. Quemadmodum vero piſcator triſtis abſcedit, ubi vacuam ſagenam ab undis exſtulit: ſic animarum piſcator, ſi adeo languide ſe in officio geſsit, ut coniicere hoc indicio poſsit, ſe nihil prehendiſſe, de hac iactura, non de ignominia ſua dolere debebit.

Nec levis etiam ſtimulus ad dicendum eſt, ſi quas forte animas ab huius magni maris fluctibus ad portum ſalutis revocavit. In his namque venuſtiſsima virtutis, & iuſtitiae ſpecies, mirabiles in animo pii concionatoris amores excitat, & ad eam docendi rationem ſtimulat, qua hunc incomparabilem animarum theſaurum augere queat. Qui accipitres ad capiendas aves nutriunt, hoc ante omnia curant, ut aliqua primum facili praeda ineſcentur, quo avidius deinde ad inſequendas eius generis aves ra-

piantur, quarum iam guſtum perceperunt. Ad hunc igitur modum concionatores, qui aliquot animas, e diaboli faucibus ereptas, in libertatem aſſeruerunt, ad alias ſimili ſtudio, atque labore capiendas excitari ſolent. Sic enim Ageſilaus Lacedaemoniorum rex, militum ſuorum animos ad praelium acuebat, pulcherrima illis hoſtium ſpolia, quae paullo ante in bello ceperant, oſtentans. Hoc ergo modo Eccleſiaſtes inclita animarum ſpolia, quae a diaboli poteſtate eripuit, ſibi ante oculos ponat, quo ſe ſtudioſius, & alacrius huic tanto muneri accingat. Quiſquis autem huiuſmodi ſpolia Chriſto Domino obtulit; hoc eſt, qui verbi ſemine ſpirituales Chriſto Domino filios parturivit, cum Lia utique gloriari, eiuſque verba uſurpare poterit, dicens: nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios.

Supra omnia vero ad hunc caritatis affectum conſequendum, mire adiuvat ſanctae orationis, & contemplationis ſtudium, quo mens noſtra ſpiritualia, atque divina contemplatur. Ita enim fiet, ut earum amore accendatur, atque omnes pios affectus ſpiritualibus rebus contemplandis nutriat, & foveat. Qua de re iam iam dicemus. Porro autem, qui ſine hoc interno divini Spiritus ſenſu, & motu, eam dicendi vim, & acrimoniam, quam hactenus deſcripſimus, conſequi volunt, & arte, atque ficta, ſimulataque acrimonia, hunc veritatis affectum ſe aſſequuturos putant, ſaepe ridiculi ſunt, & ſe ipſos multis modis produnt: praeſertim ſi ipſorum vita parum cum hac dicendi ratione cohaereat. Si ne Apelles quidem puerum ferentem uvas ſic ad vivum pennicillo exprimere potuit, ut aviculae picturae fraudem non intelligerent: qua fronte quiſquam ſe arte conſequuturum putat, quod ſingulare Spiritus ſancti donum, & maximum quidem donum eſt? Si enim ars nondum eo pervenire poteſt, ut naturam perfecte exprimat: quo modo divini Spiritus energiam, quae ſupra naturam eſt, exprimere poterit?

CAP.

CAP. VIII.

DE STVDIO SANCTAE ORATIONIS, & meditationis, quod in Eccleſiaſte eſſe debet.

SVpra vitae integritatem, & intentionis ſinceritatem, quas in Eccleſiaſte eſſe debere docuimus, ſingulare etiam ſanctae orationis ſtudium requiro: quod non poterit non habere is, qui hac vitae, & intentionis puritate praeditus eſt. Nemo autem me aut nimium, aut ſuperſtitioſum in tam multis virtutibus exigendis iudicabit, ſi huius officii rationem prudenter expenderit. Plura enim D. Bernard. in Eccleſiaſtico doctore requirit: qui poſteaquam graviter, ut ante diximus, queſtus eſſet, quod multos in Eccleſia canales haberemus, conchas vero perpaucas, quod videlicet concionatores prius effundere, quam infundi vellent, quae ſint autem, quae habere debeant, explicat his verbis: en quanta prius infundenda ſunt, ut effundere audeamus: de plenitudine, non de penuria largientes. Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio poenitentiae labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis. Hactenus ille.

Vides ergo inter haec, devotionis ſpiritum, orationis ſtudium, & contemplationis otium à viro ſanctiſsimo requiri? Idemque rurſus in epiſt. 201. ad Abbatem quemdam ſcribens, tria illi eſſe neceſſaria ad hominum ſalutem promovendam docet: nunc, inquit, manent tria, verbum, exemplum, & oratio: maior autem horum, oratio. Ea namque operi, & voci gratiam, & efficaciam promeretur. Haec ille. Verum ut omittam, quod haec ipſa vitae, & intentionis puritas, niſi in pectore divinarum rerum contemplatione ſaginato vix umquam reperitur: conſtans tamen ſanctorum Patrum ſententia eſt, Evangelicos doctores in contemplatione haurire, quod poſtea populis effundant: quod in Prophetis, qui huius officii principes exſtiterunt, cernere licet, qui a Domino accipiebant, quod

populo nuntiabant. Hoc enim illa Prophetae verba innuunt : (a) ſuſcipiant montes pacem populo , & colles iuſtitiam.

Hinc D. Gregor. humani , inquit , generis Redemtor, per diem miracula hominibus exhibebat , & ad orationis ſtudium in monte pernoctabat : ut perfectis videlicet praedicatoribus innuat , quatenus nec activam amore ſpeculationis funditus deſerant , nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant : ſed quieti contemplantes ſorbeant , quod occupati erga proximos loquentes refundant. Praeterea quum ſalus animarum , & perditorum hominum poenitentia , & converſio , miniſterii huius finis ſit , quae res niſi ſingulari Dei auxilio perfici non poteſt, ut paullo ante diximus , opus eſt , ut Eccleſiaſtes non ſolum verbis , ſed multo etiam magis precibus , & lamentis opem Domini imploret , ut pios conatus , & labores ſuos provehat , atque ſecundet. Meminiſſe enim debet , quid piſcanti Petro evenerit : qui tota nocte cum ſociis laborans , nihil cepit : quum autem in verbo Domini retia laxaſſet , copioſam piſcium multitudinem concluſit. Qua de cauſa D. Auguſt. (b) concionatorem monet , ſi voti compos fieri velit , ut precibus magis , quam verbis munus ſuum urgeat. Sic enim ait : praedicator laboret , ut intelligenter , ut libenter , ut obedienter audiatur : & hoc ſe poſſe magis pietate orationum , quam ſermonis facultate non dubitet : ut orando pro ſe , ac pro illis , quos eſt alloquuturus , ſit prius orator , antequam doctor , & ipſa hora accedens , prius quam exſerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem , ut ructet quod biberit, vel quod impleverit , effundat.

His etiam adde , quod quum ex eiuſdem P. Auguſt. diſſertorumque omnium ſententia , tam oratoris , quam concionatoris triplex eſſe officium dicatur , nempe docere, delectare , & flectere ; & docere quidem neceſsitatis , delectare ſuavitatis , flectere autem , & auditorum animos commovere , victoriae ſit : quonam modo Eccleſiaſtes alio-

rum

(a) *Pſalm.* 71. (b) *Auguſt. in* 4. *de Doctrin. Chriſt.*

rum affectus excitare poterit, nisi ipse etiam commotus sit? Hinc D. Gregor. ad supernum, inquit, desiderium inflammare auditores nequeunt verba, quae frigido corde proferuntur: nec enim res, quae in se ipsa non ardet, aliam accendit. Qua de re non gravabor, Quinctiliani rhetorum principis sententiam hoc in loco attexere: qui institutionum oratoriarum lib. 6. de concitandis affectibus differens, sic ait: summa, quantum ego quidem sentio, circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur & ipsi. Nam, & luctus, & irae, & indignationis ridicula fuerit imitatio, si verba, vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud est causae, ut lugentes utique in recenti dolore disertissime quaedam exclamare videantur, & ira non numquam indoctis quoque eloquentiam faciat: quam quod illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? Quare in his, quae verisimilia esse volumus, simus ipsi similes eorum, qui vere patiuntur, affectibus: & a tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, quum hoc dicam, non dolentem? Irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat, idemque exigit, simile patiatur? Siccis agenti oculis iudex lacrimas dabit? Fieri non potest. Neque incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore, nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habeat. Primum est igitur, ut apud nos valeant ea, quae valere apud iudicem volumus: afficiamurque, antequam afficere conemur. Hactenus Fabius.

Ex huius ergo praestantissimi artificis sententia liquet, ad affectus excitandos praecipuum esse, ut afficiamur ipsi. Quaero igitur, quinam sint, in quorum mentibus magis hi affectus erga res divinas dominentur, sive illi acres, & concitati, sive mites, & lenes sint; quam in iis, qui divinarum rerum assidua consideratione, & sanctae orationis studio devotionis affectum fovere, nutrire, & augere diu, noctuque student? Horum enim praecipua cura est, huiusmodi exercitatione mentem in Deum attollere, devotionem alere, piosque erga divina affectus incendere.

Quorum multi ita animo dispositi, & constituti sunt, ut, instar pulveris sulphurei, vel unius verbi Dei scintilla tacti, protinus inflammentur. Vnde, cuidam ex beatissimi patris Francisci sociis, qui totus erat divinarum rerum contemplationi addictus, illud saepe evenisse memoratur, ut vel sola paradisi voce audita, paene in extasim, prae desiderii, & gaudii magnitudine, raperetur. Denique sicut ligna arida facile ignem concipiunt, viridia vero, atque humentia non item: sic concionatores divinarum rerum, & devotionis studio dediti, facile velut exsiccata ligna, devotionis, atque dilectionis igne inflammantur, quo auditorum animos afficiunt: qui vero devotionis expertes sunt, tamquam humentia ligna, ut neque se ipsos incendunt, ita nec alios incendere possunt. Haec autem omnia quae diximus, breviter Prosper lib. 1. de vita contemplat. complectitur his verbis: praedicator, non in verborum splendore, sed in operum virtute totam praedicandi fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus: nec plausum a populo studeat exspectare, sed gemitum: lacrimasque, quas vult a suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat: & sic eos compunctione sui cordis accendat. Haec igitur de concionatoris officio, eiusque dignitate praefati, artem ipsam a primis, quod dicitur, incunabulis in sequenti libro tradere incipiemus.

LIBER SECUNDUS
ECCLESIASTICAE RHETORICAE,
SIVE DE RATIONE CONCIONANDI.

CAP. I.

QVID SIT RHETORICA, QVAE EIVS MATERIA, quod officium, & finis, & quae sint eius partes.

RHETORICA est bene dicendi ratio; seu de quaque re proposita, prudenter, ornateque dicendi scientia. Quamvis autem Rhetoricae nomen eam eloquentiae partem significet, quae sola artis praecepta continet, nos hic Rhetoricam pro eloquentia accipimus: quae quidem est vis illa prudenter, explicate, abundanter, numerosque dicendi, id est, eloquentia, quae nihil aliud est, quam copiose loquens sapientia. Qua quidem ex re liquet, quantum illi decipiantur, qui eloquentiam putant esse tumultuariam verborum idem significantium congeriem, & affectatum dicendi leporem, & venustatem; quum nihil tamen verae eloquentiae magis contrarium sit. Eloquentia enim non est illa inanis, & prope puerilis verborum volubilitas, quae saepe in populo insolenter se venditat; sed, ut diximus, diserte & copiose loquens sapientia, quae in prudentum animos cum suavitate illabitur. Tolle enim sapientiam, eloquentiae sequetur interitus. Quo enim quis prudentius, & gravius loquutus fuerit, eo praeclarius eloquentiae specimen, modo sermo purus una accesserit, cuique dare videbitur.

Materiam porro huius artis eam dicimus, in qua omnis

mnis ars, & ea facultas, quae conficitur ex arte, verſatur: ut ſi medicinae materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina verſetur: item, quibus in rebus verſatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetoricae nominamus. Has autem res alii plures, alii pauciores exiſtimaverunt. Nam Gorgias Leontinus antiquiſsimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere, exiſtimavit. Hic infinitam, & immenſam huic artificio materiam ſubiicere videtur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque ornamenta ſubminiſtravit, tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium putavit, demonſtrativo, deliberativo, iudiciali. Demonſtrativum eſt, quod tribuitur in alicuius certae perſonae laudem, aut vituperationem. Deliberativum eſt, quod poſitum in diſceptatione, vel conſultatione civili, habet in ſe ſententiae dictionem. Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem, & defenſionem; vel petitionem, & recuſationem. Et, quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars, & facultas in hac materia tripartita verſari exiſtimanda eſt. Hanc nos quoque Ciceronis ſententiam libenter amplectimur: ſic tamen, ut intelligamus, quod quamvis huius artis materia his terminis circumſcripta ſit, praecipua tamen eius pars, hoc eſt, eloquutio, unde eloquentia ipſa nomen accepit, ad omnes omnium generum diſciplinas quam latiſsime patet. Nam, & philoſophi, & medici, iuriſconſulti, & mathematici, & multi etiam ſacrarum litterarum tractatores, huius partis, nempe eloquutionis praeceptis inſtituti, ornatiſsime, & eloquentiſſime dicunt.

Ex his autem tribus cauſarum generibus iudiciale, quod praecipue apud Rhetores in uſu fuit, qui in hoc bene dicendi artem excogitarunt, ut civiles cauſas in iudicio tractarent, nos tamquam ab hoc inſtituto noſtro, qui non cauſarum actoribus, ſed concionatoribus praecepta comparamus, abdicandum duximus: atque deliberativo, hoc eſt, ſuaſorio, & demonſtrativo contenti erimus:

mus : quorum altero in ſuadendis virtutum officiis , ac vitiis diſſuadendis , altero in divorum laudibus celebrandis utimur.

Officium vero huius facultatis videtur eſſe , dicere appoſite ad perſuaſionem : finis , perſuadere dictione. Inter officium autem , & finem hoc intereſt ; quod in officio, quid fini ; in fine , quid officio conveniat , conſideratur: ut medici officium dicimus eſſe , curare ad ſanandum appoſite : finem , ſanare curatione. Item oratoris quid officium , & quid finem eſſe dicamus , intelligemus , quum id , quod facere debet , officium eſſe dicemus : illud , cuius cauſa facere debet , finem appellabimus.

Quum autem eorum , quae ad finem aliquem conſequendum inſtituta ſunt , ratio ex ipſo fine ſumenda ſit , ex hoc ipſo fine , quid orator efficere , & quas res habere debeat , commodiſsime intelligitur. Primum enim , ut appoſite ad perſuadendum dicat , oportet eum docere , flectere , & delectare. Dialectico namque , qui rei dubiae fidem facere contendit , ſufficit ut doceat , hoc eſt , ut argumentis , quod voluerit , evincat. Ceterum quum orator non modo fidem facere , ſed etiam ad aliquid agendum excitare ſoleat ; non ſolum argumentis probare , ſed etiam orationis venuſtate , & rerum varietate delectare , atque affectibus concutere auditores , & ad agendum impellere debet. Itaque docere , neceſsitatis eſt ; delectare , ſuavitatis ; flectere victoriae. De quibus ſuo loco copioſius. Et docere quidem , Rodolphus ait , (a) rem facilem eſſe , & quam quiſque tantum non inertiſsimae mentis praeſtare poſsit : concutere autem affectibus audientem, & in quemcumque velis animi habitum transformare ; allicere item, audiendique voluptate tenere ſuſpenſum , non niſi ſummis, & maioris quodam muſarum afflatu inſtinctis contingere ingeniis.

Ex eodem etiam ſive officio , ſive fine colligimus , quas partes habere orator , ſive concionator debeat. Oportet enim , in oratore eſſe inventionem , diſpoſitionem , elo-

quu-

(a) *Rodol. Agricol. lib. 1. topi.*

quutionem, memoriam, & pronuntiationem. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quae causam probabilem reddant. Dispositio est ordo, & distributio rerum, quae demonstat quid, quibus in locis sit collocandum. Eloquutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria est firma orationis perceptio. Pronuntiatio est vocis, & vultus, & gestus moderatio cum venustate.

Ad haec autem omnia paranda, tria sunt necessaria, ars, imitatio, exercitatio. Ars est praeceptio, quae dat certam viam, rationemque dicendi. Imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse. Exercitatio est assiduus usus, consuetudoque dicendi. Artis autem praeceptis opus est; primum ad iudicandum, non solum de scriptis eloquentium virorum, quos nobis proponimus imitandos, verum etiam de nostris commentationibus: deinde ad naturam iuvandam, quae si non optima sit, corrigi tamen aliquantum potest: &, ut scribit Cicero, licet ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequantur, ars tamen est dux certior, quam natura. Quod enim naturali tantum fretus lumine facis, id arte multo melius ac certius efficies. Nemo tamen existimet, tantum opis in praeceptis artis positum esse, ut per ea satis se ad dicendum instructum esse, arbitretur. Nisi enim reliquae duae partes accesserint, scilicet imitatio, & exercitatio, quarum altera multa eloquentium virorum lectione, altera assiduo scribendi usu constat, nemo eloquentiae palmam assequetur. Neque vero satis est, multa legere; nisi in eo, quod legis, omnes dicendi figuras, sententias, phrases, tropos, & quidquid postremo ad inveniendi, vel eloquendi rationem pertinet, diligenter animadverteris: ut hac ratione artis praecepta familiaria tibi efficias, & in promtu, & veluti ad manum posita semper habeas. Multi enim sunt, qui disertissimorum virorum scripta legentes, quia sola rerum cognitione contenti, nihil de dicendi ratione advertunt, nihil prorsus in ea proficiunt.

CAP.

CAP. II.

QVO MODO RHETORICA A DIALECTICA differat?

CEterum ut Rhetoricae diffinitionem, quae magnam lucem ad eius rationem, atque naturam penitus cognoſcendam affert, apertius intelligamus; qua in re cum dialectica conveniat, & ab ea item differat, paullo fuſius explicandum eſt. Diffinitio namque, expoſita rerum inter ſe finitimarum ſimilitudine, & differentia, colligitur. Conſtat autem ex Ariſtotelis ſententia, (a) finitimam eſſe dialecticae rhetoricam, & ſub illa, tamquam ſuperiori diſciplina, quemadmodum muſica ſub arithmetica, contineri. Qua de re ſic Arias Montanus ait:

Huic ſoror eſt ventre ex uno concepta gemella,
Praecipuo logicen dixerunt nomine Graii,
Quae rationis opes, vires, nervoſque miniſtrat
Dicenti, vivos adhibet germana colores:
Haec vincit, victum illa ſequi, parereque ſuadet.

Illud certe conſtat, utriuſque diſciplinae eundem eſſe finem, eaſdemque rationes, quibus ad hunc finem pervenitur. Vtriuſque finis eſt, perſuadere, & rei dubiae fidem facere, ad quod variis utitur rationibus, & argumentis. Vtraque tamen, tum diſsimiles quaeſtiones, tum diſsimiles auditores, tum etiam diſsimilem dicendi rationem ſequitur. Quum enim quaeſtionum aliae ad intelligendum, aliae ad agendum deſtinatae ſint, quarum illae ſpeculativae, iſtae practicae nuncupantur, dialectica prioris generis quaeſtiones frequentius verſat, Rhetorica vero noſtra, hoc eſt, Eccleſiaſtica, de qua ſermonem inſtituimus, poſterioris generis ſaepius tractat. Semper enim, quamvis aliud prima fronte videatur, ſuadere, aut diſſuadere intendit, dum auditores aut ab improbitate deducit, aut ad virtutis, & pietatis ſtudium incitat.

Eſt & maxima inter auditores differentia, apud quos dia-

(a) *Lib. 1. Rhetor. ad The.*

dialecticus, & Eccleſiaſtes dicunt. Ille enim fere in ſcholis apud ſapientiae ſtudioſos diſputat, hic apud populum, qui magis exemplis, & affectibus, quam philoſophicis rationibus capitur. Vnde etiam illa differentia naſcitur, quam Zeno inter dialecticam, & rethoricam compreſſa, & extenſa manu aſsignavit: dialecticam compreſſae, rhetoricam vero protenſae manui ſimilem eſſe dicens; quod illius oratio brevior, haec fuſior, & latior ſit. Dialectica enim oratio velut nervos, & oſſa corporis tantum compingere, & ſuis locis aſsignare videtur: rhetorica vero orationis ſplendore, & copia veluti ſanguinem, & carnem, & cutem, & colorem, ac ſpeciem, & ornatum addit. Quibus rebus qui carent, aridi, ac ieiuni a rhetoribus appellantur. Haec autem poſtrema differentia ex antecedentibus colligitur. Nec minus apte hoc ipſum pictorum exemplo explicatur: qui primum quidem rudi, ut ita dixerim, craſſaque minerva omnia ſimulachri membra delineant; deinde vero varios & colores, & ornatum, & cetera, quae ad perfectam, & abſolutam imaginem requiruntur, addunt. Prius autem illud dialecticae officium; poſterius vero rhetoricae declarat. Haec autem poſtrema differentia, ex duabus ſuperioribus, quae paullo antea diximus, proficiſcitur. Nam rudis, atque imperita multitudo longiori oratione capienda eſt: quoniam non ſolum ut ſciat, & intelligat, ſed ut agat quod volumus, non ſyllogiſmis tantum, ſed etiam affectibus, & magna vi dicendi concutienda, & exagitanda eſt: quae non anguſtam, & brevem, ſed acrem, & vehementem, atque copioſam orationem deſiderat.

Cuius rei commodiſsimum exſtat apud Senecam exemplum, quod docendi gratia hoc in loco attexere libuit. Sic enim ait: (a) vult nos ab ebrietate deterrere Zeno, vir maximus, & huius ſectae fortiſsimae, ac ſanctiſsimae conditor. Audi ergo quemadmodum colligit virum bonum non futurum ebrium. Ebrio ſecretum ſermonem nemo committit, viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non

(a) *Seneca Epiſt.* 83.

non eſt. Non eſt animus in ſua poteſtate ebrietate devinctus. Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummum vis caloris eiectat: ſic vino aeſtuante, quidquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante; ita ne ſecretum quidem, quod ſuum, alienumque eſt, pariter effundunt. Interim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? Dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere, quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quam multa ebrii faciant, quibus ſobrii erubeſcant. Nihil aliud eſſe ebrietatem, quam voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrium habitum: numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed brevior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum cariſsimum ſibi, ac fideliſsimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certe delituit. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate, prohibitis abſtinent. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid male latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit. Tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit. Tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat. Tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſaevo, malignitas livido, omne vitium detegitur, & prodit.

Adiice illam ignorationem ſui, dubia, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta quum efferveſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen utcumque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt. Quid quum ſomno vitiatur, & quae ebrietas fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Haec acerrimas gentes, bellicoſaſque hoſtibus tradidit. Haec multo-

rum annorum pertinaci bello defensa moenia patefecit: haec contumaciſsimos, & iugum recuſantes, in alienum egit arbitrium: haec invictas acies mero domuit. Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot praelia, tot hiemes, per quas, victa temporum, locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt; intemperantia bibendi concidit. Hactenus Seneca. Cuius verba omnia referre hoc in loco volui, quoniam rhetoricae, ac dialecticae orationis diſcrimen apertiſsime docent. Nec tamen hoc modo rhetor loqui ſemper debet, niſi quum res amplificationem magis, quam probationem deſiderat. In probationibus namque rhetor brevitatem, & acumen dialecticorum imitatur: ſed ſic tamen, ut oratio non nervis tantum, & oſsibus, ut antea diximus, conſtet; ſed etiam carne, & cute, hoc eſt, oratorio ornatu veſtiatur.

Adde, quod auditor non ſolum oratione flectendus, ſed etiam eiuſdem ſuavitate, & elegantia delectandus, qua, ut Auguſt. docet, (a) & libentius audit, & facilius capitur, & quo impellis, ducitur. Nemo enim ad agendum flectitur, ſi gravate, & moleſte audiat. Hoc autem anguſta, & ieiuna oratione, qualis dialecticorum eſt, fieri nequaquam poteſt. Hinc D. Auguſt. (b) ſi qui audiunt, inquit, movendi ſunt potius, quam docendi: ut in eo, quod iam ſciunt, agendo non torpeant, maioribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes, & increpationes, concitationes, & coërcitiones, & quaecumque alia valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria. Haec vero dicendi ratio non brevem, & anguſtam, ſed vehementem, acrem, & copioſam orationem deſiderat. Ex his liquido conſtat, qua in re hae duae artes inter ſe conveniant, & quibus in rebus diſtent, & quanto ſit difficilius voluntatem hominum impellere ad agendum, quam intellectum rationibus convincere ad aſſentiendum.

CAP.

(a) *Lib. 4. de Doct. Chriſt.* (b) *Vbi ſupra.*

CAP. III.

ORATIONEM OMNEM IN TRIPLICI genere verſari, expoſitione, argumentatione, aut amplificatione.

QVVM oratio, rhetoricae artis inſtrumentum ſit, quo munus ſuum orator exſequitur; quiſquis orationis rationem, & partes omnes diligenter expenderit, inveniet plane, omnes homines oratione aut ſimpliciter aliquid exponere, aut probare, vel improbare, aut rem aliquam ad motum animi excitandum amplificare. Exponimus autem ſimplici oratione, aut hiſtorica narratione, qua mentem noſtram, vel id quod geſtum eſt, vel geri poteſt, explicamus. Probamus vero argumentis, & rationibus, quibus rei dubiae fidem facere conamur. Amplificamus autem, quum amplo orationis genere, rem eſſe in genere ſuo maximam declarantes, ad iram, miſericordiam, moerorem, odium, amorem, ſpem, metum, admirationem, vel ad quemvis alium affectum auditoris animum concitamus. Non ſum autem neſcius, communia eſſe probandi atque amplificandi loca, & argumenta, ut paullo poſt videbimus; ſed quoniam tractandi ratio diverſa eſt, docendi gratia alterum ab altero ſecernere maluimus.

Quia vero nullus inter homines ſermo, nullaque oratio eſt, quae non in his tribus generibus verſetur, quo pacto unumquodque horum confici debeat, diligenter a nobis in hac arte aperiendum eſt. Sic enim fiet, ut Eccleſiaſtes, ubi quid horum in concione occurrerit, facile intelligat, qua id ratione tractare commodius poſsit. Et quoniam inter tria haec, probandi, & argumentandi ratio praecipua eſt, ex qua etiam, ut modo diximus, vis amplificandi manat: de hac primo loco, mox de aliis dicendum erit. Quia vero rectus dicendi ordo exigit, ut communiora prius, deinde minus communia, quae ſub illis continentur, tradamus, prius quidem communem hanc probandi methodum, atque rationem, quae ad omnia concionum genera pertinet,

net; deinde vero propria ſingularum concionum praecepta, & argumenta exponemus. Quem ordinem & Cicero in rhetoricis, & in topicis Ariſtoteles ſequuti ſunt : ille enim veluti ſilvam quamdam ad omnia argumentorum genera invenienda propoſuit, deinde ad ſingulares cauſas tractandas deſcendit : hic vero ſimili ratione locos omnes deſcripſit, qui ad omnem quaeſtionem tractandam pertinerent; deinde ad ſingulares quaeſtiones explicandas tranſitum fecit, in quibus, vel de genere rei, vel diffinitione, vel de proprio, aut accidenti aliquid quaeritur.

CAP. IV.

DIVISIO QVAESTIONIS.

QVoniam omnis argumentandi, atque probandi ratio, de qua in hoc ſecundo libro dicere inſtituimus, ad quaeſtionem aliquam terminandam, deſtinata eſt, quotuplex ſit quaeſtio, quae in diſceptationem venit, explicandum prius videtur. Quaeſtionum ergo genera duo ſunt, unum infinitum, quod graece theſis, latine propoſitum; alterum finitum, quod graece hypotheſis, latine cauſa ſive controverſia dicitur. Theſis de genere univerſo quaerit ſine deſignatione perſonarum, temporum, locorum, & ſimilium : hypotheſis vero de rebus ſingulis, quae perſonis, temporibus, & locis implicitae ſunt. Theſis eſt, ſit ne ducenda uxor. Hypotheſis, ſit ne philoſopho, aut ſeni, hoc tempore, illo loco, illis moribus, peregrina, indotata, vetula, puella, Iulia Pompeio ducenda? Circumſtantias vocant, quibus fit quaeſtio finita : qualia ſunt perſona, res, cauſa, tempus, locus, & modus, de quibus commodiori loco dicemus.

Infinita quaeſtio duplex eſt : vel enim ad cognitionem pertinet, cuius finis eſt ſcientia, ut, ſit ne terra globoſa? vera ne ſit uſquam amicitia? vel ad actionem, ut, ſit ne gubernanda Reſpublica? quibus rebus amicitia colenda ſit? Superioris genera ſunt tria : an ſit, quid ſit, quale ſit, &

ſi-

ſimilia, quae traduntur a dialecticis in tractatione thematum ſimplicium, & copulatorum: ut, ſint ne pygmaei? fuerit ne ſemper mundus? idem ne ſemper ſit futurus? Quid ſit; ut, quid anima? Quale ſit? ut, an coelum ſit coloratum? ſit ne laudabile, ſit ne utile philoſophiae operam dare?

Alterius vero quaeſtionis, cuius videlicet finis non ſcientia, ſed actio eſt, duo ſunt genera: unum ad officium, alterum ad motum animi, vel gignendum, vel ſedandum, planeve tollendum. Ad officium, ſicut quum quaeritur, ſuſcipiendi ne ſint liberi? Ad movendos animos, quum fiunt cohortationes ad defendendam remp. ad gloriam, ad laudem. Quo ex genere ſunt, quaerellae, incitationes, miſerationeſque flebiles. Rurſuſque oratio, tum iracundiam reſtringens, tum metum eripiens, tum exſultantem laetitiam comprimens, tum aegritudinem abſtergens.

Ex hac autem quaeſtionis diviſione tria intelligimus, quae ad hanc artem maxime neceſſaria ſunt. Primum quidem alium inventionis fontem ad infinitam quaeſtionem, alium ad finitam, quas theſim, & hypotheſim graece appellari diximus, requiri. Ad theſim quippe tractandam argumenta ex iis praecipue locis depromuntur, quae graece topica vocantur: ad hypotheſim vero ex circumſtantiarum locis, quae vel rebus, vel perſonis attributa ſunt: quando quidem huiuſmodi quaeſtiones, ut paullo antea diximus, rerum, & perſonarum circumſtantiis implicitae ſunt. Quamvis autem argumenta, quae ex circumſtantiis oriuntur, ad topicorum quoque loca referantur, utpote quae ambitu ſuo omnia argumentorum genera comprehendant, quia tamen multiplices, & variae circumſtantiae ſunt, multaque ex illis argumenta eruuntur, ſingularis earum tractatus a locis illis ſeiungi debuit, quo ea, quae illic breviter in adiunctorum, & cauſarum loco inſinuantur, copioſius, & latius tractarentur.

Haec eadem quaeſtionis diviſio facit, ut intelligamus, quod & Cicero, & ceteri huius artis ſcriptores docent,

nempe, ut quaestionem finitam ad infinitam, hoc est, hypotheſim revocemus ad theſim. Quod ut exemplo pateat, finita quaeſtio eſt, an Ariſtotelis philoſophia ſit perdiſcenda? eius quaſi pars quaedam eſt illa infinita: an philoſophia ſit perdiſcenda? ad quam orator finitam transferet: verum hac de re ſuo loco latius.

Eadem etiam quaeſtionis diviſio valet, ut pernoſcamus aliter quaeſtiones, quarum finis eſt ſcientia, aliter eas, quae actionis appellantur, eſſe tractandas. In illis namque ſatis eſt, ut vel rei naturam explicemus, vel dubiae fidem faciamus: in his vero non ad ſciendum modo, ſed ad aliquid agendum, vel aliquem motum in animis excitandum, auditor impellendus eſt: quod maiorem vim, & impetum orationis requirit, ut docuimus, quum rhetoricae, & dialecticae differentiam traderemus. His ita conſtitutis, de argumentorum inventione, quibus infinitae quaeſtiones, ſive theſes tractantur, dicere incipiamus.

CAP. V.

DE LOCIS VNDE ARGVMENTA DVCVNTVR, quibus praecipue infinita quaeſtio tractatur.

QVia omnis argumentorum inventio, vel ad probandum, vel ad amplificandum deſtinatur, neceſſe eſt, vt omnia, quae rem probant, aut amplificant, rebus ipſis, quas probare, vel amplificare volumus, aliqua ratione conveniant, vel illis etiam adverſentur: quum contrariorum eadem ſit diſciplina. Rebus autem ipſis quaedam intrinſecus, quaedam vero extrinſecus conveniunt. Nam genus, ſpecies, differentia, diffinitio, propria, accidentia, partes, totum, cauſae, & effectus, rebus omnibus natura inſunt. Nulla enim res his velut affinibus, & attributis deſtituitur. Eſt enim haec velut communis rerum omnium genealogia, & veluti quaedam conſanguinitatis arbor, qualem Theologi pingunt, quae ante ſe, & poſt ſe, a dextra, laevaque velut affines ſuos habeat. Et quidem anteriori lo-

co

ēo ponuntur genus rei, & totum, & partes, & cauſae, a quibus res profecta eſt: poſteriori vero loco effectus, qui ex cauſis conſequuntur: a dextra vero, laevaque differentia rei, diffinitio, propriae qualitates, & accidentia eius, niſi malis, haec duo poſteriora inter effectus collocare; quoniam a forma rei tamquam a cauſa prodeunt.

Haec vero quae rebus accidunt, alii adiacentia, alii adiuncta vocant, & in tria tempora partiuntur, antecedentia, concomitantia, & conſequentia. Quorum quaedam neceſſario, quaedam vero non neceſſario rebus cohaerent: atque haec poſteriora, dialectici communiter accidentia vocant. Haec igitur omnia, quae varie rebus adiuncta ſunt, intrinſecus eis convenire dicuntur. Extrinſecus vero, ſimilia, diſſimilia, maiora, minora, paria, exempla, teſtimonia, & oracula, quae ea de re prolata ſunt, rebus ipſis convenire dicimus. Haec autem rerum omnium attributa, tam dialectici, quam rhetores locos appellarunt; quod ex iis tamquam a locis, & veluti promtuariis argumenta omnia, ſive ad probandum, ſive ad amplificandum eruantur. De quibus, & Ariſtoteles, & Cicero, & Boëthius, multique alii inſignes ſcriptores, & noſtro ſaeculo Rodolphus Agricola copioſe ſcripſerunt.

Et hi quidem prima diviſione loca omnia in artificialia, & artis expertia, ſive inartificialia diſtribuunt. Ad hoc autem poſterius genus variae auctoritates, & teſtimonia, tum divina, tum humana, & varia item exempla, hoc eſt, praeclare dicta, aut facta pertinent. Ad prius autem illud genus, alia omnia loca, quae enumeravimus, referuntur: quae vel in ipſa rei ſubſtantia inſunt, vel cum ea aliqua ratione, ſive neceſſario, ſive non neceſſario coniuncta ſunt. Dicuntur autem haec artificialia, quoniam ab eis probationes, & argumenta arte, & ingenio dicentis eruuntur: illa vero artis expertia, quoniam ab his argumenta non dicentis ingenio, ſed aliunde aſſumta, ad cauſam afferuntur: quamvis eorumdem commoda, & venuſta tractatio maxime ad artem pertineat; niſi ſine arte, ut Rodolphus ait, putemus dixiſſe Lucanum.

Quis iuſtius induat arma,
Scire nefas: magno ſe iudice quiſque tuetur.
Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Haec autem poſteriora loca, quamvis ſola exempla, & teſtimonia, partim divina, partim humana comprehendant, infinitum tamen probationum, & argumentorum campum nobis aperiunt, quando quidquid ubique, ſive in divinis litteris, ſive in ſacris canonibus, & conciliis, ſive in philoſophorum, hiſtoricorum, & cunctorum ſapientium libris, atque diſciplinis continetur, huic loco deſervit. Probationes quippe ab his locis manantes, nequaquam arte, & ingenio dicentis; ſed varia, & multa omnis generis auctorum lectione comparantur.

Sed ad inſtitutum redeuntes, ſumma huius artis eſt, ut propoſitionem aliquam, ſeu veram, vel falſam, probaturus, aut improbaturus, omnia quae eius propoſitionis ſubiecto, & praedicato, ut dialectici loquuntur, conveniunt, hoc eſt, omnem, ut ita dicam, utriuſque vocis genealogiam, diligenter exploret, nempe genus, ſpeciem, diffinitionem, & cetera, quae ſuperius commemoravimus. Ex his namque omnibus veluti locis argumenta promuntur. Quum enim aliquid ſubiecto, & praedicato convenire in debita terminorum collocatione probatur, non dubium quin vere alterum de altero affirmetur: quando, quae in uno tertio conveniunt, inter ſe quoque convenire neceſſe ſit: contra vero ſi diſſentiant, ipſa quoque inter ſe diſſentire opus eſt. Quam rem commodiſsimo exemplo Rodolphus oſtendit. Si enim diiudicare velis, an duae, verbi gratia, columnae, quae longe a ſe diſtant, aequales, an inaequales ſint, virgam utrique parti adhibes: quae ſi utrique par ſit, aequales eas eſſe iudicas: ſi impar, inaequales. Eadem ergo ratio argumentandi eſt. Tertiumque illud utrique parti applicandum, medium appellant: quod quidem ex his omnibus rerum attributis, quae ſupra commemoravimus, deſumitur.

Sed operae pretium erit, haec ipſa propoſitis aliquot exemplis illuſtrare. Sumamus exempli gratia, pium ſanctae

ctae orationis ſtudium, quod hominibus commendare volumus, & quae illi conveniant, exploremus, ut ex eis ad perſuadendum argumenta ducamus. Genus huius virtutis eſt religio, quae virtutum moralium praeſtantiſsima eſt. Diffinitio eſt, elevatio mentis in Deum, vel petitio rei decentis à Deo. Cauſa orationis praecipua eſt Spiritus ſanctus, nos ad orandum inducens, & poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Cauſae vero ad orandum impellentes ſunt quotidianae huius vitae miſeriae, & praeſentiſsima pericula, & maxima humani cordis ad malum proclivitas, quae continua divini numinis ope eget, & ſumma item Dei noſtri bonitas, quae, ut petamus, praecipit, & petentibus auxilium pollicetur. Effectus orationis ſunt primum quidem gratiae, & gloriae augmentum, ſicut cetera virtutum opera in caritate edita, promereri. Deinde pro commiſsis Deo ſatisfacere. Tertio, id quod petimus, ſi debite, & religioſe petamus, impetrare. Quarto demum, animo corroborari, & coeleſti luce, atque ſpirituali dulcedine refici, atque compleri: & non nulli item alii, quos longum eſſet enumerare. Partes vero eius, oratio vocalis, atque mentalis; ſeu malis partes eius eſſe, quas Apoſtolus enumerat, quum ait: (a) obſecro primum omnium fieri orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones, &c. Quae verba Caſsianus in collationibus patrum (b) diligenter explicat.

Adiuncta orationi ſunt, quae neceſſario cum ea cohaerent, fides, ſpes, caritas, & attentio, ceteraeque virtutes; ſine quibus oratio grata Deo non fit. Adiuncta vero quae frequenter illam conſequuntur, ſunt vitae puritas, ſolitudinis amor, ſanctorum deſideriorum ſeges, & robur animi adverſus peccatum, devotio, & alacritas ad omnia pietatis opera, contemtus rerum humanarum. Guſtata enim ſpirituali ſuavitate, quae devotae orationis comes eſt, ſordet omnis caro. Haec autem dixi frequenter orationi adiuncta eſſe, quoniam non nullos orare videmus, qui tamen in virtutis, & iuſtitiae cultu negligentiores ſunt. Similia

(a) 1. *Timoth.* 2. (b) *Collat.* 9. *cap.* 8.

vero orationi ſunt lectio, meditatio, & contemplatio, quod his etiam officiis mens elevetur in Deum. Orationi autem adverſatur oblivio Dei, quae malorum omnium origo, ſicut oratio bonorum omnium fons, & initium eſt. Iam vero exempla, & teſtimonia, ſive ſacrarum litterarum, ſive Sanctorum Patrum, quae orationem commendant, eiuſque utilitates, & neceſsitatem declarant, innumera ſunt, & paſſim obvia. Haec enim argumenta, quae artis expertia eſſe diximus, non dicentis ingenium, ſed memoria, & varia omnis generis auctorum lectio praeſtat. Dei etiam oblivio, quae orationi adverſatur, non minus nos, quam quivis aliorum locorum iuvare ad inveniendum poterit. Quum enim explicuerimus, quae mala ex Dei oblivione conſequantur, facile erit intelligere, quam ſit oratio commendanda, quae nos a tot malis liberat, dum aſsidue mentem in Deum attollit. Hoc igitur exemplo aperte liquet, quanta argumentorum copia hac arte quaeratur. Ex his namque precationi attributis, quae adnotavimus, facile ad eam commendandam varia argumenta promuntur.

Sed inter hos tamen locos, qui ab effectibus, & adiunctis ducitur, ſive illa neceſſario, ſive non neceſſario cum re cohaereant, ut modo diximus, fecundiſsimus eſt. Quamvis enim melius ſit res ex cauſis, & principiis cognoſcere, frequentius tamen, & facilius ex effectibus ad cauſas philoſophamur; quoniam notiores nobis effectus, quam cauſae ſunt. Ab hoc igitur effectuum, & adiunctorum loco, & virtutes commendamus, quum earum fructus, & effectus, & quaecumque illis adiuncta ſunt, explicamus; & vitia quoque perſtringimus, quum effectus, & mala omnia, quae ſecum afferunt, commemoramus, & amplificamus.

Seneca, ex his duobus locis plurima adverſus iram argumenta adducit (a) his verbis: exegiſti a me, Novate, ut ſcriberem, quemadmodum poſſet ira leniri: nec immerito mihi videris hunc praecipue affectum pertimuiſſe, maxime ex omnibus tetrum, ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti, placidique ineſt, hic totus concitatus, & in impetu eſt, dum al-

(a) *Seneca lib. 1. de Ira, cap. 1.*

alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela, & ultionis secum multa tractare avidus. Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam: aeque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod coepit pertinax, & intenta, rationi, consiliisque praecluſa, vanis agitata causis, ad conspectum aequi, verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur. Vt autem scias insanos esse, quos ira possidet, ipsorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo praeruptus, & complosae saepius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda visu, & horrenda facies depravantium se, ac intumescentium. Nescias utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit, quantoque maior est, hoc effervescit manifestius.

Iam vero si effectus eius, damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes, ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub civili hasta capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra moenia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Adspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Adspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. Adspice tot memoriae proditos duces, mali exempla fati. Haec omnia ex Seneca, qui multa alia his similia enumerat. Quo exemplo apparet, quam sit fecundus hic lo-

locus, qui ab effectibus, & adiunctis rerum ſumitur.

Simili quoque ratione Architas ille Tarentinus apud Ciceronem, (a) voluptatem ex iiſdem locis accuſat, & diſſuadet: ait enim, nullam capitaliorem peſtem, quam voluptatem corporis hominibus a natura datam, cuius voluptatis avidae libidines, temere, & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, & cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci. Nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero, adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis. Quumque homini, ſive natura, ſive quis Deus nihil mente praeſtabilius dediſſet, huic divino muneri, ac dono nihil tam eſſe inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiae locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo aliquem iubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima; nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet. Quo circa nihil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quam voluptatem. Siquidem ea, quum maior eſſet, atque longinquior, omne animi lumen extingueret. Hactenus ille.

D. vero Cyprianus (b) his duobus locis definitionem, & comparationem adiungens, nos ab invidiae peſte deterret his verbis: qualis animi tinea eſt, aut quae cogitationum tabes, invidere in altero virtutem eius, aut felicitatem; odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, aliorum gloriam facere ſuam poenam. Non cibus talibus laetus, non potus poteſt eſſe iucundus; ſuſpiratur ſemper, & gemitur, & doletur. Dumque ab invidis numquam livor exponitur, diebus, ac noctibus ſine intermiſsione pectus obſeſſum dilaniatur. Mala cetera habent terminum; & quodcumque delinqui-

(a) *Cic. de ſenect. in oratione Architae contra voluptatem.* (b) *Cyprian. Serm. de livor.*

quitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone conquiescit zelus homicidio admisso; & praedoni rapacitatem statuit possessa praeda; & falsario modum imponit impleta fallacia: zelus terminum non habet: permanens iugiter malum, ac sine fine peccatum est. Quantoque ille, cui invidetur, successu meliori profecerit, tanto invidus in maius incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus adspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad caedis violentiam promtae, etiam si gladio interim vacuae, odio tamen furiosae mentis armatae. Hactenus Cyprianus. Haec autem ideo tot a me exemplis explicata sunt, ut studiosus concionator aperte videret, argumenta omnia, quibus aliquid vel probamus, vel amplificamus, ex iis, quae rebus attributa, & natura cum illis coniuncta sunt, esse sumenda.

CAP. VI.

DE DVOBVS ALIIS ARGVMENTORVM fontibus, nempe genere rei, & eius contrariis.

HIc igitur primus, ac praecipuus argumentorum fons, qui ex attributis earum vocum, quae in quaestione ponuntur, hoc est, subiecti, & praedicati, ut appellant, proficiscitur. Sunt autem duo alii, e quibus etiam, ad eandem quaestionem tractandam, argumenta sumuntur, nempe genus rei, sive unum, sive multa sint, & contrarium, sive unum, sive multiplex sit. De genere, hoc sit exemplum. Si quis ab adulterii crimine deterrere velit, adulterii genera inspiciat. Eius enim genus proximum est impudicitia, remotius vero lethale peccatum. Qui igitur ab adulterio dehortatur, primum, quam ingens periculum sit, in lethali peccato diu permanere, declarare poterit, mala omnia, quae peccatum secum affert, commemorando; quae ex omnibus locis, hoc est, ex omnibus iis, quae peccato attributa sunt, colligi poterunt. Deinde ad proximum impu-

pudicitiae genus deſcendens, illud Apoſtoli proferre poterit: (a) omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat: illud videlicet foedando, ac turpiter inquinando. Cetera quoque mala, quae impudicitiae attribuuntur, ſimili ratione tractari poterunt. Tertio vero loco ad propria adulterio attributa tractanda perveniet, ut ex rei propriis, quod eſt multo commodius, argumentetur. Argumenta vero, quae a rerum generibus ducuntur, ex illa Ariſtotelis regula, quae in antepraedicamentis ponitur, vim habent: quando alterum de altero praedicatur, tamquam de ſubiecta ſibi ſpecie; quaecumque de eo, quod praedicatur, dicuntur, de ſubiecta quoque ſibi ſpecie dicuntur. Hoc eſt, quidquid generi convenit, ſpeciei quoque ſubiectae convenit. Conſtat enim ſuperiora omnia inferioribus convenire, & de illis, ut dialectici loquuntur, praedicari.

Neque vero ea, quae rebus ipſis, de quibus dicimus, contraria ſunt, minorem argumentorum materiam ſuppeditabunt; quando quidem, ut philoſophi tradunt, eadem contrariorum diſciplina eſt. Quod plane non in ceteris rebus modo, ſed in moribus praecipue locum habet. Quo enim deteſtabiliorem ſuperbiam, impudicitiam, avaritiam, & iracundiam oſtenderis, hoc magis humilitatem, caſtitatem, liberalitatem, & manſuetudinem commendabis, quae nos a tot malis, & incommodis liberant. Hinc D. Cyprian. ſerm. de patientia, ubi huius virtutis utilitatem, neceſsitatem, ceteraſque eius laudes expoſuiſſet, impatientiae mala commemorat, ut patientiae laudes amplificet, quae nos a tanto malo liberat. Sic enim ait: atque ut magis, fratres dilectiſsimi, patientiae bonum luceat, quid mali e contrario impatientia importet, conſideremus. Nam, ut patientia bonum Chriſti eſt, ſic e contra impatientia Zabuli malum: & ſicut, in quo habitat, & manet Chriſtus, patiens invenitur; ita impatiens ſemper exſiſtit, cuius mentem Zabuli nequitia poſsidet, &c. Et paullo poſt ita concludit: & ne longum ſit ſingulatim recenſere omnia; omnino quae patientia

(a) 1. *Corinth.* 6.

tia aedificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinám: quare, fratres dilectissimi, & bonis patientiae, & impatientiae malis diligenter expensis; patientiam, per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus, plena observatione teneamus. Hactenus Cyprian.

CAP. VII.

NECESSARIAM ESSE CONCIONATORI absolutam earum rerum scientiam, de quibus est dicturus, quo supra dictis locis uti possit.

QVum igitur argumenta ex his omnibus, quae naturâ ipsa rebus conveniunt, eruenda sint, liquet sane, plenam earum rerum, de quibus dicturi sumus, scientiam nos ad hoc prius habere, oportere. Quum enim dialecticus me admoneat, ut rei genus, definitionem, proprias passiones, & affectiones, causas, effectus, ac partes rei, ceteraque his similia explorem, quid mihi haec admonitio proderit, nisi prius ego ista omnia noverim? Quo modo autem ea nosse potero, nisi plenam eius rei scientiam habuero, quae haec omnia tradit? Itaque attentius mihi hanc topicorum artem consideranti apparet, eam similem iis artibus esse, quae methodum quidem, & rationem rerum faciendarum tradunt; quae tamen materiam aliunde oblatam sumunt: qualis pharmacopolarum ars est, quae docet, ex quibus herbis hoc aut illud pharmacum confici debeat, quum aliunde tamen herbas accipiat, quibus ea pharmaca componant. Ad hunc ergo modum dialecticus in quaestionibus, quas tractat, ea, quae rebus natura ipsa conveniunt, & attribuntur, explorare docet, ut ex eis argumenta instituto suo accommodata eruat. Haec tamen attributa non ipse, sed illae disciplinae praestant, quae hisce de rebus tamquam de propria materia disputant.

Ex hac autem animadversione colligitur, totius moralis philosophiae, & christianae doctrinae concionatorem peritum esse debere. Quum enim illi de virtutibus & vitiis,

de

de legis divinae praeceptis, de Sacramentis, de Christianae fidei mysteriis, quae in symbolo continentur, dicendum perpetuo sit, debet utique is, quoad eius fieri poterit, absolutissimam harum rerum scientiam habere, ut ex iis, quae hisce rebus attribuuntur, atque conveniunt, argumenta sumere possit, quae ad suadendum, vel dissuadendum, probandum, aut improbandum, & amplificandum, vel extenuandum conducere valeant. Vnde autem haec copia, nisi ex varia sanctarum scripturarum, veterumque patrum lectione colligi potest? Debet igitur priusquam hoc munus attingat, varia, & multiplici lectione refertum pectus habere, ut tamquam scriba doctus in regno coelorum, proferat de thesauro suo nova, & vetera. Qui enim quum primum munus hoc aggrediuntur, sanctorum patrum scripta legere incipiunt; hi non vetera, & nova, sed nova solum, contra hoc Christi Domini consilium, proferunt. Qua in re vermiculos, quos bombices appellamus, imitari debet; qui pluribus diebus nihil aliud faciunt, quam arborum foliis corpora saginare; deinde, ubi in iustam corporis magnitudinem excreverint, serica fila nectere die, noctuque non desistunt. Eos vero, qui sine hac studiosa praeparatione munus hoc obeunt, D. Gregor. castigat his verbis: videant, quos a praedicationis officio aetas, vel imperfectio prohibet, & tamen praecipitatio movet, ne quum intempestive arripiunt, quod non valent, perdant illud, quod tempestive aliquoties implere possent. Nam & pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde in alta ire cupiunt, inde in ima cadunt: sic, & conceptam sobolem, si priusquam formetur, femina profert, non tam domum, quam tumulum replet. Haec ille.

In hoc autem studio primum est, ut in lectione delectum adhibeat: ut non trita, & vulgaria, & passim obvia sed praestantissima quaeque eligat, & quae non tam tinnitu, & illecebra verborum aures mulceant, quam quae acumine, & gravitate sententiarum vim, & pondus habeant, & multa paucis comprehendant; ut in iis eruendis, & ponderandis paullulum operae suae concionator ponat. Proxi-

mum

mum vero, idque maxime neceſſarium eſt, ut albiolo ad hoc ante parato, & titulis rerum omnium, quae in concionis argumenta cadunt, inſignito, quae inventa fuerunt, in his locis collocet: & multa etiam, quae ad Evangelia, quae vel dominicis, vel feſtis diebus ab Eccleſia leguntur, pertinent, ſimili ratione adnotabit. Hos ergo proprios & ſingulares locos concionatori maxime utiles & neceſſarios duco: ut ſi de humilitate, caritate, patientia, abſtinentia, precandi ſtudio; contraque ſi de ſuperbia, avaritia, inhumanitateque dicendum ſit, hos locos conſulat, & ex huiuſmodi penu, ac veluti promtuario ſumat, quod ſibi ad dicendum commodius viſum fuerit.

Neque ſola lectione contentus eſſe debet: ſed quaecumque ab aliis, ſive concionatoribus, ſive cuiuſvis ordinis hominibus, graviter & ſententioſe dicta fuerint, vel ipſi aliud etiam agenti in mentem venerint, quae vim & pondus aliquod ad munus ſuum habeant, nullo modo negligenda putet; ſed protinus ſchedulis breviter committat, ut, opportunitatem nactus, ea in ſupradictis locis reponat. Quae enim noſtra ſunt, multo & copioſius & vehementius, tamquam arma viribus & corpori noſtro accommodata, tractamus. Hac enim cura atque diligentia fit, ut theſaurus noſter paullatim augeatur, & poſt aliquot annos ingens deinde ſelectarum rerum cumulus tam multis acceſsionibus ſurgat.

Ex lectione autem ſanctarum ſcripturarum reconditiora loca ſeligere curemus, quae novitate & dignitate ſua auditores excitent: quorum multa ex Prophetarum, & Sapientiae libris colligere licet. Loca enim ab aliis paene detrita, & paſsim obvia minus movent, niſi ea inſigni aliqua expoſitione ex communibus nova quodam modo faciamus. Danda etiam opera eſt, ut pleraque ſcripturae loca inſigni aliqua expoſitione, aut commentatione illuſtremus: vel ſententiae vim & gravitatem ponderantes, vel tropum, ſi quis eſt, aut emphaſim, quae frequenter in una voce latet, excutientes. Neque tamen oportet, multis ſcripturae teſtimoniis ad unum aliquid probandum uti: quod non nul-

li faciunt, oſtentandae magis memoriae & eruditionis, quam aedificationis gratia: ſed modus, atque delectus habendus eſt, neque, quid inſidioſus inventionis noſtrae amor ſuggerat, ſed quid res poſtulet, cogitandum. Non enim locus deerit, quo iis, quae eo tempore reticemus, uti poſtea valeamus.

Qui igitur diligenti ſtudio, lectione, & meditatione hunc ſibi theſaurum opportuno tempore comparaverint; graves & acres in dicendo erunt, uberrimumque laboris ſui fructum referent. Qui vero vacui, ieiuni, & ſteriles hoc munus aggrediuntur, quam frugem referre poterunt, niſi ut tales auditores ſuos relinquant, quales ipſi ad dicendum acceſſerunt? Quocirca ſummum concionatoris ſtudium in divinarum ſcripturarum, & ſanctorum patrum lectione inſumi debet: quorum inventis, ſua quoque inventa augere & locupletare debet. Eſt enim valde anguſta humani ingenii vena: quae niſi aliorum ſtudiis, velut lucernarum acceſsione, iuvetur, exiguum ſane lumen praeferet. Hinc tot homiliarii noſtro ſaeculo prodierunt, in quorum lectione vix inſigne aliquid legentes invenimus, propterea quod eorum auctores ingeniorum ſuorum inventis, & labore contenti, & rerum ſuarum amore allecti, quae ipſis, velut ingenii ſui fetus, placuerunt, aliis etiam placitura credebant. Eget ergo Eccleſiaſtes multa, variaque lectione, & inſignium ſententiarum obſervatione. Non enim alia ratione dictum a veteribus eſſe credo, poëtam naſci, orátorem fieri; niſi quod facultas illa praecipue naturae beneficio, haec vero ſtudio, meditatione, aſsidua lectione, multa exercitatione & imitatione comparetur.

Ex ſacris autem auctoribus Ieremias, ut ceteros Prophetas ſileam, quamvis, ut D. Hieronymus ait, minus in verborum delectu cultus, quam Iſaïas, ſit; admirabilis mihi concionator eſſe videtur. Tot enim dicendi figuris & affectibus, tantaque vi & acrimonia verborum utitur, totque modis & furorem Domini amplificat, & in pravos hominum mores invehitur; ut vix quidquam aut gravius, aut vehementius, aut pro rei magnitudine convenientius ex-

co-

cogitari posſit. Ex Eccleſiae vero patribus D. Chryſoſtomus maxime legendus, quod ſit eloquentiſsimus, populique auribus ita accommodatus, ut vix umquam a ſalutari eius inſtitutione orationem flectat. Hic autem vir admirandus, non modo ad ſententiarum gravitatem, ſed ad vim etiam eloquendi, & tractandorum animorum rationem plurimum conferet: praeſertim ſi aſsidua lectione Eccleſiaſtes eum ſibi familiarem fecerit. Recte enim D. Auguſt. in lib. 4. de doctr. chriſt. Si ex conſuetudine loquentium, fiunt homines loquentes; cur ex conſuetudine eloquentium, non fiant eloquentes? Vnde enim eloquentiae praecepta manarunt, niſi ex obſervatione eorum, qui optime ab ipſa natura ad dicendum compoſiti erant? Hinc D. Auguſt. (a) ſi acutum, inquit, & fervens adſit ingenium, facilius adhaeret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quam eloquentiae praecepta ſectantibus, accedente maxime exercitatione ſcribendi, vel dictandi.

CAP. VIII.

DE LOCIS EX CIRCVMSTANTIIS RERVM & perſonarum.

PRaeter hos communes locos, alii quoque aſsignantur ex perſonarum & rerum circumſtantiis: qui ad ſuperiores quoque referuntur, & ab illis manant. Tractantur autem ſeorſum ab eis, quoniam ad certa genera quaeſtionum pertinent: quorum naturam propius, quam communia illa loca, attingunt, quae latiſsime vagantur. Hoc autem in loco ad mentem revocare oportet, quod initio huius ſecundi libri diximus, nempe duo eſſe genera quaeſtionum: quaedam enim ex communibus vocibus conſtant; quas rhetores infinitas, ſive theſes appellant: quaedam vero, quae rerum & perſonarum circumſtantiis implicitae ſunt, quae videlicet ex propriis & ſingularibus nominibus conſtant; quas finitas, vel hypotheſes nuncupari diximus. Priorum exemplum eſt, quum de adul-

(a) *Vbi ſupra.*

terii deformitate in communi; posteriorum verò, quum de Davidis adulterio dicimus, utriusque deformitatem amplificantes. Sic etiam obedientiam, & pudicitiam in communi laudamus, & Abrahae obedientiam, & Iosephi pudicitiam sigillatim amplificamus. Ad eas igitur quaestiones, quas theses appellari diximus, priores illi loci accommodati sunt: ad has vero posteriores non illi solum, sed hi, qui a circumstantiis rerum & personarum ducuntur, maxime deserviunt: quum ea complectantur, quae singularibus rebus atque personis conveniunt. Quae autem illa sint, iam explicabimus.

Personis undecim hae circumstantiae tribuuntur: (a) nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen est, quod unicuique personae datur, ut Petrus, Ioannes, &c. In natura huiusmodi consideratur, sexus, natio, patria, cognatio, aetas, dignitas. Sexus, vir, an mulier sit. Natio, Graecus, an Barbarus. Patria, Athenienſis, an Lacedaemonius. Cognatio, quibus maioribus, quibus consanguineis sit. AEtas, puer, an adolescens; natu grandior, an senex. In dignitate autem, commoda & incommoda considerantur, a natura data animo aut corpori, hoc modo: valens, an imbecillis; longus, an brevis; formosus, an deformis; velox, an tardus sit; acutus, an hebetior; memor, an oblivioſus; comis, officioſus, pudens, patiens, an contra. Et omnino quae a natura data animo & corpori considerabuntur, in natura considerandа sunt. Nam quae industria comparantur, ad habitum pertinent: de quo posterius dicendum est. In victu, sive educatione, considerare oportet, apud quem, & quo more, & cuius arbitratu sit educatus; quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit.

In fortuna quaeritur, servus sit, an liber; pecunioſus, an tenuis; privatus, an cum potestate: si cum potestate, iu-

(a) *Ex Cic. lib. I. de inv.*

iure, an iniuria; felix, clarus, an contra; quales liberos habeat. Ac si de non vivo quaeretur, etiam, quali morte sit affectus, erit considerandum. Habitum autem hunc appellamus animi aut corporis constantem & absolutam aliqua in re perfectionem; ut virtutis, aut artis alicuius perceptionem, aut quamlibet scientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio & industria comparatam. Affectio est, animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia, quae genere in eodem reperiuntur. Studium autem est animi assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae, poëtices, geometriae, litterarum. Consilium est, aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio. Facta autem, & casus, & orationes, tribus ex temporibus considerabuntur, quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit; aut quid modo faciat, quid ipsi accidat, quid dicat; aut quid postea facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione. Ac personis quidem haec videntur esse attributa: a quibus omnibus argumenta sive ad probandum, sive ad amplificandum duci possunt.

Ceterum a personae nomine, quod primo loco posuimus, raro argumenta sumuntur, nisi quum nomen ipsum singulari aliqua ratione personae sit impositum, ut glorioſum Iesu nomen. Item Abrahae, Sarae, Isaac, Iacob, Israëlis, Ioseph, Ioannis, Petri, & similium. At vero a nominibus appellativis recte argumenta ducuntur, & ab etymologia nominis appellantur. Qui locus definitioni proximus est, & inter prioris ordinis locos numeratur. Ex hoc autem loco sic D. Hieron. cum Heliodoro argumentatur: (a) quid facis in turba, qui monachus es? Et ad Nepotianum, clericus, inquit, interpretetur primo vocabulum suum: &, nominis sui definitione probata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim *cleros* graece, latine *sors* dicitur; propterea vocantur clerici, quia vel ipsi sunt de

(a) *Hieron. in epist.*

ſorte Domini, vel Dominus ſors illorum eſt. A genere hortamur ad virtutis ſtudium, ne videlicet homo a parentum moribus & nobilitate degeneret. Et ab hoc item amplificamus eorum pravitatem, qui ab hac nobilitate degenerarunt: eorumque mores coniicimus, qui a ſceleratis parentibus orti ſunt. Vnde eſt illud: mali corvi, malum ovum. Improbus eſt, quoniam improbis natus parentibus.

A natione: Poenus eſt, ergo perfidus. Cretenſis eſt, ergo mendax. Cretenſes enim, ut Apoſt. quoque meminit, (a) ſemper mendaces, malae beſtiae, ventres pigri. Daniel quoque ad impudicum ſenem ait: (b) ſemen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te. Et per Prophetam Dominus: (c) radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhaeus, & mater tua Cethaea. Hic ex patria impiorum colligit depravatos populi mores, quales harum gentium erant. A ſexu probamus feminarum inconſtantiam, iuxta illud: varium & mutabile ſemper femina. Item, affectuum vehementiam: eſt enim femina animal vehementer affectibus obnoxium. Vnde eſt illud Publii Mimi: aut amat, aut odit mulier: nihil eſt tertium. A ſexu etiam amplificamus mirabilem illam fortitudinem matris ſeptem Machabaeorum, (d) & beatae item Felicitatis, ac Symphoroſae: quae filiorum necem pluſquam virili animo tulerunt. Sic D. Cyprianus de feminis fortiter ſupplicia perferentibus: femina, inquit, torta, viris torquentibus fortior invenitur. Ab aetate: ignoſcendum, quoniam puer eſt. Terent. (e) amavit, dum aetas tulit. Conſilio valere hunc credibile eſt, vel attentum eſſe ad rem, quoniam ſenex eſt. Ab educatione & inſtitutione: pravus eſt, quoniam male educatus, & ab ineunte aetate mala didicit, malis operam dedit magiſtris, atque ineptis.

Ab animi affectione: quum ſceleratiſsimus hic ſemper fuerit, quid mirum, ſi creditum abiurarit? Huc animi bona referuntur, & vitia. A conditione & fortuna: huic, quo-

(a) *Ad Tit.* 1. (b) *Daniel.* 13. (c) *Ezech.* 16. (d) 2. *Machab.* 7. (e) *Terent. in Andria actu II. ſcena* 6.

quoniam pluſculum acceſsit pecuniae, ſublati ſunt animi. Pauper ubique iacet. Huc pertinet illud Eccleſiaſtici: (a) ſi dives fueris, non eris immunis a delicto. Et illud item eiuſdem: (b) dives loquutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducent. Pauper loquutus eſt, & dicunt: quis eſt hic? A victu: improbus eſt, quoniam cum improbis verſatur. Sic Salomon: (c) qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Item: (d) qui tangit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam. A ſtudiis: non eſt voluptarius, quoniam litterarum ſtudioſus. A rebus geſtis: mandandum eſt Pompeio bellum Mithridaticum, quoniam multa bella feliciſsime confecit.

Rebus autem & negotiis ſeptem haec attributa ſunt, res, cauſa, locus, tempus, occaſio, modus, facultates, ſive inſtrumenta. Res, ſive negotium, eſt brevis complexio totius negotii: quae ſummam continet facti hoc modo, parentis occiſio, patriae proditio. Cauſa eſt, per quam, & quam ob rem, & cuius rei cauſa aliquid factum ſit, quaeritur. Quo nomine & efficientem cauſam, & finem, qui ad opus aggrediendum impulerit, complectimur. Locus etiam, ſacer, an profanus; publicus, an privatus; alienus, an ipſius, de quo agitur, locus ſit, aut fuerit. Tempus autem eſt pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione. Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt: nam genere quidem utrumque idem eſſe intelligitur; verum in tempore ſpatium quodam modo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte ſpectatur: in occaſione autem ad ſpatium temporis quaedam faciendi opportunitas intelligitur adiuncta. Modus autem eſt, in quo, quemadmodum, & quo animo factum ſit, quaeritur. Eius partes ſunt prudentia, & imprudentia. Prudentia autem quaeri-

(a) *Eccli.* 11. (b) *Eccli.* 13. (c) *Prov.* 13. (d) *Eccli.* 13.

tur ex his, quae clam, palam, vi, perſuaſione fecerit. Imprudentia vero in purgationem confertur, cuius partes ſunt inſcientia, caſus, neceſsitas; & in affectionem animi, hoc eſt, moleſtiam, iracundiam, amorem, & cetera, quae in ſimili genere verſantur. Facultates, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. In quo genere inſtrumenta quoque ponuntur, quibus res facta eſt. Facultas autem, & occaſio magnam ad aliquid gerendum opportunitatem praebere ſolent.

Hae ſunt igitur circumſtantiae, quae perſonis, & negotiis ſingularibus tribuuntur; a quibus argumenta in propoſitionibus, quas hypotheſes appellari diximus, manant. Quae aliis nominibus hoc modo brevius deſignantur. Quis, quid, quam ob rem, quando, ubi, quo modo. Quis? Vt Graecus, fortis, ignavus, & cetera, quae perſonis attributa eſſe diximus. Quid vel quale, vel quantum? Vt furtum, ſacrilegium, honeſtum, turpe, utile, novum, atrox, &c. Quam ob rem? Odio, ira, ſpe lucri, &c. Quando? Die, noctu, &c. Vbi? In templo, in ſilva, &c. Quo modo? Palam, gladio, dolo, veneno, laqueo, incantationibus, internuntiis, &c. Praecipuus tamen circumſtantiarum uſus in amplificando, & minuendo cernitur. Nulla enim circumſtantia eſt, quae alicui rei addita, non eam vel amplificet, vel extenuet. Quam rem ſuo loco propoſitis exemplis declarabimus; quibus ſtudioſus concionator intelliget, quantam ex hoc circumſtantiarum tractatu frugem colligere poterit.

Ceterum quamvis argumenta ad eas quaeſtiones tractandas, quas hypotheſes appellari diximus, ex his circumſtantiarum locis, quos modo enumeravimus, ducantur; danda tamen opera eſt, ſicut initio admonuimus, ut hypotheſim reducamus ad theſim; hoc eſt, ut ſingularem quaeſtionem ad communem revocemus; quae fere priorem orationis partem occupare ſolet. A communioribus enim ad minus communia, & a genere in ſpeciem philoſophi deſcendere docent. Exempli gratia: ſi amicum aliquem ad Cartuſiani inſtituti profeſsionem adhortari volumus, prius

in

in communi de monaſticae vitae laudibus, & commendatione dicemus; deinde ad ſingulares amici, & Cartuſiae circumſtantias, quae ad hanc exhortationem conducere videbuntur, veniemus. Sunt enim, ut ait Cicer. (a) ornatiſsimae orationes eae, quae latiſsime vagantur, & a privata ac ſingulari controverſia ſe ad univerſi generis vim explicandam conferunt; ut ii, qui audiunt, natura, & genere, & univerſa re cognita, de ſingulis rebus ſtatuere poſsint. Quod ut facere queat orator excellens, a propriis perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, avocat controverſiam, & ad univerſi generis orationem traducit.

Vt autem, quoties argumenti ratio occaſionem nobis praebet, hypotheſim revocamus ad theſim; ita contra non numquam theſim deflectimus ad hypotheſim: ut ſi quis in univerſum ab impudicitiae flagitio homines deterrere velit, ubi mala, quae hoc vitium comitantur, expoſuerit, poterit ad ſingulares perſonarum circumſtantias deſcendere, & quibus eas incommodis afficiat, explicare. Verbi gratia: ſi homo ſenex fuerit, ſi adoleſcens, ſi nobilis, ſi litterarum ſtudiis addictus, ſi officium publicum gerat, ſi ſacris initiatus ſit, ſi femina fuerit, ac praecipue ſi nupta, &c. In his igitur omnibus, quam ſit hoc vitium unicuique harum perſonarum foedum, atque deforme, ex ipſis perſonarum circumſtantiis ſigillatim demonſtrare conabimur, hoc modo: ſi ſenex fueris, canos intuere, qui te continentiae & honeſtatis admonent; docentque, eam aetatem non amatoriis levitatibus deformandam, ſed virtutis & ſapientiae ſtudiis decorandam. Si iuvenis, ne committas, ut pulcherrimus iſte aetatis flos huius vitii turpitudine maculetur, quod te captivum poſt ſe trahat, & cum ipſa aetate adoleſcens ad ſenectutem uſque perſequatur. Ad hunc modum ceterae perſonarum circumſtantiae brevius aut longius tractari poterunt.

(a) *Cicer. 3. de Orat.*

CAP. IX.

DE FORMIS ARGVMENTORVM, ATQVE in primis de inductione.

§. I.

QVemadmodum res omnes, quae vel natura vel arte conſtant, ex materia & forma compoſitae ſunt: ita argumentatio, quae ab arte excogitata eſt, ſuam quoque & materiam & formam continet; & materiam quidem argumentum, formam autem argumentationem appellant. Argumentum quippe eſt inventum rei dubiae faciens fidem: argumentatio vero eſt apta & conveniens argumenti per orationem explicatio. Quia igitur de fontibus, unde argumenta promuntur, breviter a nobis dictum eſt; res ipſa exigere videtur, ut de formis, quibus argumenta ipſa explicanda ſunt, differamus. Quamvis autem hoc ad eloquutionis rationem magis, quam ad inventionem, ſpectare videatur; tamen propter utriuſque rei affinitatem & coniunctionem, hoc in loco de illis tractare viſum eſt: ſimilique ratione non nulla, quae ad argumentorum diſpoſitionem pertinent, his quoque adiiciemus; quo abſoluta huius partis doctrina, uno in loco tradita retineatur.

De his igitur argumentandi formis ſic Cicero ait: (a) omnis argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Inductio eſt oratio, quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur. Exſtat huius rei exemplum apud Cyprianum, (b) quo ſimilium inductione, Deum eſſe probat his verbis: ad divinum imperium, etiam de terris mutuemur exemplum. Quando umquam regni ſocietas aut cum fide coepit, aut ſine cruore deſiit? Sic Thebanorum germanitas rupta: ſic Ro-

(a) *Lib.* 1. *de Inv.* (b) *Contra Idola Gentium.*

Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hoſpitium. Pompeius, & Caeſar affines fuerunt: nec tamen neceſsitudinis foedus in aemula poteſtate tenuerunt. Neque hic tu de homine mireris, quum in hoc omnis natura conſentiat. Rex unus eſt apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus: multo magis mundi unus eſt rector, qui univerſa, quaecumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hactenus Cyprianus. Idem rurſus eodem modo argumentatur. (a) Delicata, inquit, iactatio eſt, quum periculum non eſt: conflictatio in adverſis, probatio eſt veritatis. Arbor, quae alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non movetur: & navis, quae forti compage ſolidata eſt, pulſatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta contemnunt, inanes paleae flatu portante rapiuntur. Hoc eodem modo argumentamur, quum plura exempla, quae idem efficiunt, congerimus. Sic Mathathias, Machabaeorum pater, morti proximus, filios ſuos ad religionis & iuſtitiae defenſionem hortatus eſt; propoſitis Abrahae, Ioſeph, Phinaees, Ioſuë, Caleb, Davidis, Ananiae, Azariae, Miſaëlis, atque Danielis exemplis. Subiungitque in fine: (b) & ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur.

§. II.

SYLLOGISMVS, SIVE RATIOCINATIO.

PRoxima atque perfectiſsima argumentandi forma ſyllogiſmus eſt, quem Cicero ratiocinationem vocat: cuius leges atque naturam dialectica ars, quae de eo praecipue differit, pleniſsime tradit. Hoc vero ſolum, quod ad inſtitutionem noſtram pertinet, admonendum: quod quum dialectici tribus pronuntiatis omnem ſyllogiſmum conſtare dicant, videlicet propoſitione, aſſumtione, & concluſione,

(a) *Serm. de mortalit.* (b) 1. *Machab.* 2.

ne, quarum duas priores, maiorem & minorem vocant; rhetores tamen, quoniam probationes propoſitioni, & aſſumtioni adiungunt, quinquepartitam illam faciunt. Quae tamen eſſe quadripartita poteſt, quum altera ſolum pars eget probatione. Poteſt & tripartita eſſe, quum neutra eget. Pleniſsima tamen eſt, quae quinque partibus conſtat. Cuius exemplum ſubiicit Cicero his verbis: (a) melius accurantur, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur. Hanc primam partem numerant; eam deinceps rationibus variis, approbari putant oportere, hoc modo: domus ea, quae ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus & apparatior, quam ea, quae temere & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui praepoſitus eſt ſapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia, & temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt. Nam navis optime curſum conficit ea, quae ſcientiſsimo gubernatore utitur.

Quum propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duae partes tranſierint ratiocinationis, tertia in parte, aiunt, quod oſtendere velis, id ex vi propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto: nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus adminiſtratur. Huius aſſumtionis quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo: nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quemdam ordinem ſervant; & annuae commutationes non modo quadam ex neceſsitate ſemper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatae; & diurnae, nocturnaeque viciſsitudines, nulla in re umquam mutatae, cuiquam nocuerunt. Quae ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quinto inducunt loco complexionem eam, quae aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: conſilio igitur mundus adminiſtratur; aut unum in locum quum conduxerit breviter propoſitionem, & aſſumtionem, id adiungit, quod ex his conficiatur, ad hunc mo-

(a) *Lib.* 1. *de Inv.*

modum : quod ſi melius geruntur ea , quae conſilio, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur ; nihil autem omnium rerum melius , quam omnis mundus adminiſtratur : conſilio igitur mundus adminiſtratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem. Hactenus Cicero: qui recto ordine ratiocinationis partes collocavit.

Qui tamen ordo non ineleganter ſaepe invertitur, quum ab aſſumtione cepta ratiocinatio , in propoſitionem maiorem deſinit , quae illationem concluſionis ex aſſumtione probat. Idque fit , quum propoſitio generalem ſententiam continet , quam , ceu communem locum , tractare copioſe poſſumus. Verbi gratia : ſi quis ad carnis macerationem adhortetur , quod per eam Deo pro admiſsis ſceleribus ſatisfaciamus , ſyllogiſmum hoc modo conficiet : neceſſe eſt , ut Deo pro commiſsis ſatisfaciamus ; at hoc maxime praeſtat ieiunium , & carnis maceratio : ſtudioſe igitur ac diligenter haec virtus a nobis colenda eſt. Hic ordo rectus eſt. Poteſt autem maior illa propoſitio ad finem reſervari , & in locum communem coniici , in quo de ſatisfactionis neceſsitate differamus , ut acerbiſsimas ignis purgatorii poenas evadere poſsimus. Quarum acerbitatem poterimus ad hoc ipſum amplificare. Qua propoſitione latius , ſi videbitur , tractata, rurſum ad priorem concluſionem regrediemur , ut quorſum evagati fuerimus , aperte intelligatur. Ex hoc autem fonte digreſsiones ſaepe oriuntur , quae orationem ſplendidiorem faciunt ; quum ea, quae ſingularia ſunt , ad communes virtutum , & vitiorum locos referimus. Simili ratione quum ad miſericordiae opera adhortamur , quam ſit Deo miſericordiae virtus grata , late perſequi poſſumus. Quam quidem ſententiam , vel ante concluſionem , vel poſt illam tractare poſſumus. Sic Dominus in evangelio , ubi hanc ſententiam pronuntiaſſet: (a) qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt , &c. Digreditur in locum communem de ſcandali gravitate differens ; ſubdit enim : (b) vae mundo a ſcandalis. Neceſſe eſt enim , ut veniant ſcandala , & cetera,

quae

(a) *Matth.* 18. (b) *Ibidem.*

quae deinde in hanc ſententiam ſubiecit. Quae oratio maioris propoſitionis vicem gerit. Ex hac enim ſententia recte ſequitur concluſio illa, initio propoſita: nempe, qui ſcandalizaverit unum de puſilis iſtis, &c.

Poteſt autem ratiocinatio breviſsima oratione comprehendi: qualis illa:

..... finem qui quaeris amori:
Cedit amor rebus: res age, tutus eris.

Hic omnes ſyllogiſmi partes breviſsime comprehenſae ſunt. Illud etiam obſervandum, ut concionator non ſemper exactam illam dialecticorum formam, qua in diſputationibus uti ſolent, ſequatur. Alium enim habitum, aliamque loquendi figuram popularis argumentatio poſtulat. Exemplo ſit illa nobilis poëtae ratiocinatio: (a)

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum.

Haec propoſitio ſequenti ſyllogiſmo probatur. (b)

Degeneres animos timor arguit: heu, quibus ille
Iactatus fatis, quae bella exhauſta canebat!

Maior enim propoſitio ſimpliciter prolata eſt. At quum ad minorem ventum eſt, exclamat: heu, quibus ille iactatus fatis, &c. Quanto enim hoc vehementius eſt, quam ſi ſimplici oratione dixiſſet: multis ille iactatus fatis, multa bella confecit? Nec etiam neceſſe eſt, tres illas partes ſemper adhibere: non numquam enim duabus contenti erimus, quando una illarum perſpicua eſt, quod enthimema vocant. Interdum etiam una conſtat; quod epicherema appellant. Sic D. Ambroſius, Virginis intemeratae cruciatum in morte filii exaggerans, ait: nec illud Virgo ſolatium habebat, quod alium eſſet filium paritura. Quo in loco pro Mariae nomine Virginem poſuit: quo in hac argumentatione, ut dialectici loquuntur, medium erat, in quo tota vis argumentationis ſita eſt.

§. III.

(a) *Virgil. AEneid. lib. IIII. v. 12.* (b) *Ibid. v. 13. & 14.*

§. III.

COMPLEXIO, SIVE DILEMMA.

PRaeter has argumentandi formas, quae principem inter cereras locum obtinent, aliae quoque numerantur, quas, quoniam non vulgarem vim & acumen habent, hoc in loco attexere libuit. Eſt autem dilemma, in quo utrumlibet conceſſeris, reprehenditur. Cicero patriam cum Catilina ſic agentem inducit: (a) quam ob rem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe. Si verus, ne opprimar: ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Et in epiſtola ad Quintum fratrem: ſi implacabiles ſunt iracundiae, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma levitas. Dictum eſt autem dilemma, quod ita utrimque premat ac urgeat, ut ex altera parte capiat adverſarium: qua de cauſa cornutus etiam ſyllogiſmus vocatur. Sic enim argumentationis cornua in eo diſponuntur, ut qui alterum effugerit, in alterum incurrat. Cicero complexionem appellat. Ea ſi vera eſt, numquam reprehenditur: ſin falſa, duobus modis diluetur, aut converſione, aut alterius partis infirmatione.

Quum viderem, inquit Varro apud Ciceronem, (b) philoſophiam graecis litteris diligentiſsime explicatam, exiſtimavi, ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent graecis litteris eruditi, graeca potius, quam noſtra, lecturos: ſin a Graecorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne haec quidem curaturos, quae ſine eruditione graeca intelligi non poſſunt. Itaque ea ſcribere nolui, quae nec indocti intelligere poſſent, nec docti intelligere curarent. Hoc dilemma deinde Cicero in eum convertit hoc modo: immo vero & latina legent, qui graeca non poterunt: & qui graeca poterunt, non contemnent ſua. Ad hunc modum Eccleſiaſtes, Herodem propter Michaeae vaticinium innocentes pueros iugulare praecipientem, hoc dilemmate convenire poterit: dic mihi, perfide, an ſtellae nuntianti,

(a) *In L. Catil. I.* (b) *Acad. quaeſt. lib. I.*

ti, & vaticino Prophetae fidem habes, an non habes? Si non habes, ride insana haec hominum commenta & somnia: si vero habes, ut habere te ostendis, quandoquidem Prophetas consulis; quae dementia est, te vilissimum vermiculum divinae maiestatis consilia atque decreta infringere velle, & te ipsa divinitate superiorem facere? Item Cyprian. contra Demetrianum: quae est, inquit, haec insatiabilis carnificinae rabies, quae inexplebilis libido saevitiae? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Christianum esse, aut est crimen, aut non est: si crimen est, cur non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem.

§. IV.

SORES.

EST & alia argumentationis forma, quam soritem Graeci appellant, quae multas argumentationes acervatim complectitur: unde & nomen invenit. Cicero (a) hac forma probat, quod sit honestum, id solum esse bonum. Etenim quidquid sit, quod bonum sit, id expetendum: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbandum, id gratum acceptumque habendum. Ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum. Hactenus Cicero. Hoc argumentandi genus dialectici de primo ad ultimum vocant. Quo D. Hieronym. in epistola ad Heliodorum utitur his verbis: nemo Propheta in patria sua honorem habet. At ubi honor non est, ibi contemtus est: ubi contemtus, ibi frequens iniuria: ubi autem iniuria, ibi & indignatio: ubi indignatio, ibi quies nulla: ubi quies non est, ibi mens a proposito saepe deducitur: ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo, quod tollitur: & ubi minus est, perfectum non potest dici. Ex hac supputatione,

(a) *Tuscul. quaest. lib. V.*

ne, illa ſumma naſcitur, monachum perfectum in patria ſua eſſe non poſſe. Perfectum autem eſſe nolle, delinquere eſt.

§. V.

ENVMERATIO, SIVE EXPEDITIO.

EST etiam enumeratio, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmitatis, una reliqua neceſſario confirmatur, hoc pacto. Neceſſe eſt, quum conſtet, hominem occiſum inimicitiarum cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia: aut ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. Nam ſine cauſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiae fuerunt, nec metus ullus, nec ſpes ex morte illius, alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat: reliquum eſt igitur, ut ab hoc non ſit occiſus.

§. VI.

SVBIECTIO.

FInitima eſt enumerationi ſubiectio. Quidquid enim enumeratione tractatur, multo elegantius per ſubiectionem reddi poteſt. Ea vero eſt, ut Cornificius ait, (a) quum quaerimus ipſi, quid contra nos dici poſsit: deinde ſubiicimus id, quod dici oportet, hoc modo. Quaero igitur, unde iſte tam pecunioſus factus ſit? Amplum patrimonium relictum eſt? At patris bona venierunt? Hereditas aliqua obvenit? Non poteſt dici: ſed etiam a neceſſariis omnibus exheredatus eſt. Praemium aliquod ex lite, aut iudicio cepit? Non modo id non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione victus eſt. Ergo ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes videtis, aut iſti domi naſcitur aurum, aut, unde licitum non eſt, pecunias accepit.

Oſo-

(a) *Cic. lib. IIII. ad. Heren.*

Oſorius epiſcopus, ex diuturna Iudaeorum captivitate eos a Deo derelictos propter ipſorum perfidiam colligens, hac argumentandi forma acriter & eleganter utitur. Sic enim ait: (a) quam rem gerunt? quod ſcelus conflant? quae maleficia ſuſcipiunt? propter quae a Deo, quem tam propitium olim habebant, omnino deſerantur? Simulacris immolant? Immo eorum contactum perhorreſcunt. Commenticios Deos adſciſcunt? At eo nomine, quod Deum colant, efferuntur. Et id verum. Sed moribus immanibus efferati ſunt? At ipſi ſummam ſibi laudis, aequitatis, & pietatis aſſumunt. Quid ergo eſt? parum ne ſupplices ad Deum preces adhibent? Immo in precibus aſsidui ſunt, nec tamen exaudiuntur. Si igitur nec ſimulacra colunt, nec vanos Deos invocant, nec humanum ſanguinem fundunt, nec ſe impiae fraudis impuritate contaminant: cur illos Deus, quos in fidem ſuam recepit, tam diuturno tempore ope ſua deſtituit? cur gentem, illius numini conſecratam, tam diuturnis plagis inſequitur? Hactenus ille.

CAP. X.

DE COLLECTIONE ET EIVS PARTIBVS.

INter has autem argumentandi formas collectio praecipue numeratur: utpote quae pleniſsima argumentatio ſit. Ea namque, & quid ad probationem aſſumere debeamus, & quo ordine diſponamus, edocet. Quocirca, ut ego quidem ſentio, non tam ad eloquutionis, quam ad inventionis, ac diſpoſitionis rationem hoc genus argumentationis pertinere videtur: quod res ipſa non obſcure declarat. Ea namque quinque partibus conſtat, videlicet, propoſitione, ratione, rationis confirmatione, exornatione, complexione, ſive concluſione. Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit, quod probare volumus. Ratio eſt cauſa, quae demonſtrat, id verum eſſe, quod intendimus, brevi ſubiectione. Rationis confirmatio

eſt

(a) *Hieron. Oſor. lib. I. de Sapient.*

est ea, quae pluribus argumentis corroborat breviter expositam rationem. Exornatio est, qua utimur rei honestandae & locupletandae causa, confirmata argumentatione. Complexio, sive conclusio, est, quae concludit, breviter colligens partes argumentationis. Ex hac distributione apparet, quid oratoria argumentatio supra dialecticam addat: dialecticus enim, sola propositione, ratione, & conclusione contentus est: his enim tribus praecipue partibus pugnat, quamvis interdum confirmationes ex loco praecipue ab auctoritate adiiciat. Orator vero confirmationibus & exornationibus praecipue nititur: quorum alterum ad vim, alterum ad ornatum & elegantiam maxime pertinet. Nunc de his quinque partibus singulatim dicamus.

Et quidem de propositione, atque ratione, quoniam hae duae partes ad dialecticum praecipue pertinent, hoc in loco dicere supersedeo. De ceteris autem, quae orator supra dialecticum, & concionator supra oratorem addit, quoniam haec propria instituti nostri sunt, paullo fusius dicemus.

Confirmatio igitur, qua rationem munimus & stabilimus, a locis externis, quae extrinseca dialectici appellant, potissimum peti solet. Quum enim dialectici tria locorum genera esse statuant: interna, quae ex natura & substantia rei ducuntur; & externa, quae aliunde extra rem assumuntur; & media, quae partim a re, partim extra rem posita sunt: rationes quidem a locis internis & mediis frequentius; confirmationes autem ab externis potissimum ducuntur, nempe a similibus, dissimilibus, repugnantibus, exemplis, variisque auctorum testimoniis & auctoritatibus. Vt autem erudita sit oratio, his externis locis, quantum cuiusque facultas suppetit, locupletanda est. Hoc enim eruditae conciones ab ineruditis potissimum distant, quod istae solis propositionibus & rationibus, quae a quovis facile inveniuntur, refertae sunt: illae vero selectis divinarum scripturarum & sanctorum patrum sententiis & testimoniis illustrantur. Quae, ut suo loco diximus, multa lectione, & assiduo studio paranda & in locos communes coniicienda sunt: ut, quoties causa postulaverit, in promtu sint. Hos enim locos multo magis probo, magisque con-

cionatori neceſſarios & proprios duco, quam illos, qui topica appellantur. Haec enim topica quum latiſsime pateant, non facile, quid propoſitò noſtro conveniat, praebent: hi vero rem ipſam multo propius attingunt.

§. I.

DE EXORNATIONE.

QVartam argumentationis oratoriae partem diximus eſſe exornationem, ſive, ut alii vocant, expolitionem. Vtroque enim nomine ſic appellata eſt, quod in ea totus fere argumentationis cultus & ornatus ſit, & in qua maxime orator artis & ingenii ſui vim oſtendit. Ceterarum enim partium eloquutio prudentis hominis; exornatio autem non niſi diſerti & eloquentis eſt. Ea vero praecipue locum habet, quum ratio, aut confirmatio, aut etiam propoſitio latentem vim habet, quae brevi oratione explicari non potuit: tunc enim prudens orator, ubi, quidquid in illa virium aut gratiae latebat, ſollerter & acute penetravit, id auditoribus inſpiciendum & veluti ſpectandum proponit. Huius rei infinita apud ſanctos doctores exempla reperiuntur: quorum ego non nulla, quo res fiat dilucidior, hoc in loco attexere volui. D. Euſebius Emiſſenus, de innocentium caede agens, hanc propoſitionem ſic exornat: occiduntur, inquit, pro Chriſto parvuli, pro iuſtitia moritur innocentia. Haec propoſitio eſt. Sequitur deinde expolitio. Quam beata aetas, quae necdum Chriſtum poteſt eloqui, & iam pro Chriſto meretur interfici! Nondum opportuna vulneri, & iam idonea paſsioni. Quam feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine aeterna vita obviam venit! Incurrunt quidem inter ipſa principia acceptae lucis periculum, & finem ſalutis: ſed de ipſo protinus fine capiunt principia aeternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad vitam. Vix dum deguſtaverant praeſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſsi infantiae cunas, iam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem a complexibus matrum, ſed red-

redduntur gremiis angelorum. Hactenus ille.

Idem eriam hanc Isaiae sententiam: (a) parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, quorum alterum ad sacram humanitatem, alterum ad divinitatem refert, hoc modo exornat. Parvulus, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis. Datus est ergo ex divinitate, natus ex Virgine: natus, qui sentiret occasum, datus, qui nesciret exordium: natus, qui & matre esset iunior, datus, quo nec pater esset antiquior: natus, qui moreretur, datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic, qui erat, datus est: qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur: sibi regnat, & mihi militat. D. autem Gregorius parabolam mercatoris quaerentis bonas margaritas ad hunc modum & proponit & exornat: caeleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quaerit, sed unam pretiosam invenit: quam videlicet inventam, omnia vendens, emit. Haec propositio est. Sequitur deinde eius exornatio atque explicatio. Quisquis enim caelestis vitae dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea, quae in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in caelestibus animus, nihil in terrenis libet: deforme conspicitur, quidqu id de terrenae rei placebat specie; quia sola pretiosae margaritae claritas fulget in mente. His exornationibus D. Gregorius ubique scatet: quae enim semel exposuit, iterum latius explicat: & quidquid in sententia virium latebat, arguta quadam & peculiari phrasi sua in lucem profert.

Sic D. Bernardus in sermone: gaudete, inquit, in Domino, dilectissimi; qui inter continua suae pietatis beneficia indulsit beatum Victorem mundo, cuius multi salvarentur exemplo: iterum dico, gaudete, quia sublatus de medio appropinquavit Deo, ut multo plures eius intercessione salventur. Haec propositio bipartita est, quae duplicem nobis utilitatem a sanctis viris manare testatur, nempe suffragii, & exempli. Deinde addit expolitionem, quae id, quod breviter dictum erat, explicat & exornat his verbis:

(a) *Isai.* 9.

in terris visus est, ut esset exemplo; in caelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informavit ad vitam; illic invitat ad gloriam: factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Hactenus Bernard. Sic etiam D. Cyprian. dum exemplo viduae Sareptanae, quae Eliam modica farinula pavit, nos ad eleemosynam invitat, eam huic exemplo addit expolitionem. Nec Eliae cibum petenti obtemperare illa dubitavit, aut Eliae, filios mater in fame & egestate praeposuit, nec de abundantia portio, sed de modico totum datur: &, esurientibus liberis, alter prius pascitur, nec in penuria & fame cibus ante, quam misericordia, cogitatur: ut dum in opere salutari carnaliter vita contemnitur, spiritualiter anima reservetur. Neque filiis abstulit mater, quod Eliae dedit: sed magis contulit filiis, quod benigne & pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum praecepta eius audierat, non cruce & passione eius redemta, cibum & potum pro sanguine rependebat: ut ex hoc appareat, quantum in Ecclesia peccet, qui, se & filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat. Hoc exemplum ostendit, quonam modo exempla, vel similia, quae a minori vel maiori ducuntur, exornare & amplificare debeamus: dum per contentionem imparitas rerum, & circumstantiarum explicatur; ut, quanta sit in argumento vis, apertius intelligatur.

Subiiciam elegantissimum aliud ex vita B. Eduardi regis exemplum: qui virginitatis florem simul cum sanctissima uxore ad finem usque vitae incorruptum conservavit. Sic enim in eius vita, ab Arrhievalo, monacho & abbate, scripta, legimus: convenientes igitur in unum rex & regina, de castitate servanda paciscuntur: nec huc fidei alium, quam Deum, testem aestimant adhibendum. Haec velut propositio est, quae rem simpliciter breviterque exponit. Sequitur deinde expolitio, quae eam eleganter amplificat & exornat his verbis: fit illa coniux mente, non carne; ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos sine actu coniugali coniugalis affectus, & sine defloratione virginitatis, castae dilexionis amplexus. Diligitur ille, sed non cor-

rum-

ſumpitur : diligitur illa, nec tangitur : & quaſi nova quaedam Abiſag regem calefacit amore, ſed non diſſolvit libidine : mulcet obſequiis, ſed deſideriis non emollit.

Illud autem hoc in loco admonendum puto, ut quum argutas breveſque, vel ſacrarum litterarum, vel ſanctorum patrum & philoſophorum ſententias adducimus, quae multa brevi comprehendant ; demus operam, ut ea nos in lucem eruamus, & auditoribus velut ſpectanda proponamus. Quae res ad hoc genus exornationis pertinet. Huius generis eſt illa D. Bernardi ſententia : vae his, qui vocantur ad opera fortium, & non aluntur cibo fortium ! Idemque de ſponſa innixa ſupra dilectum ſuum ait : fruſtra nititur, ſi non innititur. Item Seneca : qui deſiderium clauſit, cum ipſo Iove de felicitate contendat. Idem, tantum ſcis, quantum non metuis, non concupiſcis. Et alibi idem, nihil refert, an habeas, an non concupiſcas. Hae ſententiae, aliaeque ſimiles, multa, eademque obſervatione digniſsima, paucis comprehendunt : quarum vim Eccleſiaſtes & diligenter inſpicere & ponderare, ac deinde in lucem edere & proferre debet : quod quidem ad hoc genus expolitionis pertinet. Quod tamen nemo facile aſſequetur, niſi ad hoc ingenii acumine, & diligenti rei indagine atque conſideratione iuvetur.

Haec a me tam multis exemplis expoſita ſunt, ut concionator vim, &, ut ita dicam, fecunditatem ſententiarum acute perſpiciens, eam verbis eruere & explicare norit. Sunt enim quidam adeo ſteriles atque ieiuni, quos rhethores aridos appellant, qui res non oratorio, ſed dialectico more, ſimplicibus verbis, ſine ulla amplificatione enuntient. Quae res ad ſcholas magis, & munus diſputandi, quam concionandi, accommodata eſt. Aliter enim in ſcholis apud viros doctos, aliter in concione apud populum agendum eſt. Alii contra, dum hoc vitium fugere ſtudent, rem eamdem aliis verbis idem ſignificantibus, ſine ulla figurarum aut ſententiarum varietate enuntiant : quae res oſtentationi magis, quam utilitati, ſervit. Si quis enim exempla, quae propoſuimus, attentius conſideret, facile deprehen-

der, in his exornationibus, rem quidem eamdem non tam aliis verbis, quam aliis ſententiis & figuris explicari. Alii vero multo foedius atque faſtidioſius eamdem ſententiam eiſdem verbis frequenter repetunt: quod vitium rhetores tautologiam appellant: nec his in mentem venit, quod vulgo dici ſolet, Crambebis poſita mors.

Exornationem ſequitur concluſio: quae quando ſit adiicienda, dicentis iudicio relinquitur. Non enim ſemper neceſſaria eſt, niſi quum longius oratio vagata fuerit: tunc enim velut in viam reducere auditores oportet, & totius argumentationis ſummam, quam breviſsime fieri poterit, complecti; ne, ſi longa id oratione fiat, auditorum aures, eiſdem ſaepe repetitis, obtundamus.

CAP. XI.

DE AFFECTIBVS PER TOTVM CORPVS *argumentationis, atque adeo per totam orationem adſpergendis.*

QVemadmodum autem orator ſupra dialecticum duas partes, nempe confirmationem, & exornationem, addit, quibus potiſsimum tota eius argumentationis vis & elegantia continetur: ſic Eccleſiaſtes duas item ſupra oratorem addit; nempe affectus, & accommodationem, ſive ad ſingularia deſcenſum. Liceat enim mihi his uti nominibus. Quamvis enim rhetor, per totius cauſae corpus adſpergi affectus, ubicumque rei magnitudo poſtulaverit, praecipiat: hoc tamen ſingulari ratione ad Eccleſiaſtem pertinet; cuius praecipuum munus potius in movendis, quam docendis auditorum animis poſitum eſt: quum homines magis peccent affectu corrupto, quam ignorantia veri. Affectus autem pravi, velut clavus clavo, contrariis affectibus pellendi ſunt.

Quum ſint autem duplices affectus, mites ſcilicet, & acres, quos Graeci Ithi, & Pathi nuncupant, utrique pro rerum, quae dicuntur, natura concitandi ſunt. Vbicumque enim

enim aliquid in ſuo genere magnum, hoc eſt, vel maxime miſerabile, vel admirabile, vel deteſtabile, vel indignum, vel etiam periculoſum eſſe, fuerit argumentatione vel quavis alia ratione comprobatum; tunc affectus, quos ipſa rei natura exigit, movendi ſunt. Exempli cauſa. Quum Maria, Moſi ſoror, inſigne illud miraculu m, quo patefacta maria iter tutum populo Dei ab A Egypto egredienti praebuerunt, commemoraſſet, ſic erga Deum pio affectu concitatur: (a) quis ſimilis tui in fortibus, Domine, quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. Verum hoc ad affectus pertinet mitiores. Vehementius tamen ex eodem miraculo Habacuc propheta aſſurgit; qui, ubi dixiſſet, (b) viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum; inclamat protinus: audivi, & conturbatus eſt venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Magnum enim animi ſui timorem, maximamque huius tantae rei admirationem ſtuporemque his verbis teſtatus eſt. Sic etiam ubi immenſam Servatoris noſtri benignitatem expoſuimus, qui pro hominibus, quos in ſe ingratos & ſceleratos expertus fuerat, terras inviſere, humanam formam induere, ſeque in ſacrificium pro omnibus offerre conſtituit, ut Patris numen eis propitium redderet; illoſque, iam morti ſempiternae deſtinatos, in vitam ſempiternam revocaret: ubi haec, inquam, ampla oratione expoſuimus, ſic amoris & grati animi affectus excitamus.

Haec igitur benignitas Dei animadverſa, non amoris incendium concitabit? Non animos ardore pietatis inflammabit? Non omnia vitae pericula adire compellet, ut caritatem, ſanguinis profuſione oſtenſam, ſanguinis effuſione penſemus? An non hoc Apoſtolus inſinuavit, quum ait: (c) caritas Chriſti urget nos? Hoc eſt, tanta vis dominicae caritatis non modo excitat & ſuadet, ſed impellit & urget, & vim obduratis etiam mentibus infert, ut ſi amare pigebat, redamare ſic amantem non pigeat. Quis enim tam ferreus eſt, cuius praecordia haec tanta vis dilectionis non

(a) *Exod.* 15. (b) *Habac.* 3. (c) 2. *Corinth.* 5.

molliat? Sed hi affectus mitiores. Multo tamen acriores illi, in quos idem Apoſtolus, eiuſdem beneficii magnitudine propoſita, exarſit, quum ait: (a) qui nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum, quod neque mors, neque vita, & cetera quae ſequuntur: quae certe admirabilem apoſtolicae caritatis vim & ardorem pari verborum acrimonia & aſſeveratione prae ſe ferunt. Neque minori affectu, quamvis in diſsimili cauſa, Ieremias, poſt expoſitum idololatriae peccatum, ipſum Dominum, quod eſt multo acrius, inducit loquentem: (b) obſtupeſcite caeli ſuper hoc, & portae eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, &c. Neque minus Moſes in Canticum exarſit, quum ait: (c) generatio prava atque perverſa! Haeccine reddis Domino, populе ſtulte & inſipiens? Nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creavit te? Et iterum: (d) gens abſque conſilio, & ſine prudentia eſt. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſsima providerent.

Sed commodiſsimum huius rei exemplum exſtat primo de Sapient. lib. in quo Oſorius epiſcopus, poſt nefarium illud ſcelus, quod Iudaei in Chriſti Domini morte commiſerunt, expoſitum & amplificatum, ſic in indignationis affectus erumpit: omnia crimina odii, invidiae, crudelitatis, immanitatis, & impietatis, non dico, quae in homines concipi, ſed quae in Deum ipſum ab hominibus audaciſsimis & profligatiſsimis committi poſſunt, unum in locum collata, minime partem aliquam tam infandi ſceleris conſequentur. Si muta elementa loqui poſſent, ſceleſtiſsimi facinoris crimen illis intenderent: quod interitum rerum omnium moderatori, per quem elementa conſiſtunt, attulerint. Caelum contra illos teſtimonium diceret, quorum ſcelere factum eſt, ut in tenebris & caligine verſaretur. Terra illos immani ſcelere damnaret, quae motibus horrendis, quantum facinus ab impiis hominibus in Chriſti nece commiſſum fuiſſet, indicavit. Mare gentem rebellem & immanem

(a) *Rom.* 8. (b) *Ierem.* 2. (c) *Deuter.* 32. (d) *Ibidem.*

nem fluctibus obrueret, quod viderit, illius Domini maiestatem contemni, cuius imperio id in omni turbida tempestate obedivit. Hactenus ille.

D. vero Cyprianus sermone de eleemosyna, proposita illa Domini sententia, (a) respicite volatilia caeli, quae non serunt, neque metunt; contra avaros & inhumanos his verbis incandescit: volucres Deus pascit, & passeribus alimenta diurna praestantur, & quibus nullus divinae rei sensus est, eis nec potus nec cibus deest. Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo caro aliquid putas defuturum? Nisi si putas quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt, quibus caelestia & divina tribuuntur. Vnde haec incredula cogitatio? & unde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid? qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus? Et mox: quid tibi, inquit, istis ineptis & stultis cogitationibus plaudis, quasi metu & sollicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid umbras & praestigias quasdam vanae excusationis obtendis? confitere immo, quae vera sunt; &, quia scientes non potes fallere, secreta & abdita mentis exprome. Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebrae, &, recendente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda avaritiae caligo caecavit: pecuniae tuae captivus & servus es: catenis cupiditatis, & vinculis alligatus es, & quem iam solverat Christus, denuo vinctus es. Servas pecuniam, quae te servata non servat: patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat; nec meministi, quid Deus responderit diviti exuberantium fructuum copiam stulta exsultatione iactanti: (b) stulte, inquit, hac nocte expostulatur anima tua a te: quae ergo praeparasti, cui erunt? Quid divitiis tuis solus incubas? quid in poenam tuam patrimonii tui pondus exaggeras, ut quo locupletior saeculo fueris, pauperior Deo fias?

Idem de habitu virginum, proposita illa Domini apud Isaïam formidanda sententia, (c) pro eo quod elevatae sunt fi-

(a) *Matth.* 6. (b) *Luc.* 12. (c) *Isai.* 3.

filiae Sion, & ambulaverunt extento colo; ſic adverſus corruptum virginum ornatum inſurgit: (a) exaltatae, inquit, ceciderunt: comtae turpitudinem, foeditatemque meruerunt; ſerico & purpura indutae, Chriſtum induere non poſſunt, auro & margaritis & monilibus adornatae, ornamenta corporis & pectoris perdiderunt. Quis non id exſecretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hauſto poculo moreretur ille, qui biberat; venenum ſcires eſſe, quod ille potavit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; ſcires, eſſe lethale, quod acceptum potuit occidere: nec ederes inde, nec biberes, unde interiiſſe alios ante conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt animi, quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper, & noceat? Et putare, quod inde ipſa non pereas, unde alios periiſſe cognoſcas? &c. quae in hanc ſententiam ibidem ſequuntur. Hactenus Cyprianus.

Hac igitur ratione nos, ubi vel lethalis peccati gravitatem, vel ſuppliciorum, quae in gehenna damnati patiuntur, atrocitatem & aeternitatem amplificaverimus; vehementer adverſus eos incandeſcere poterimus, qui tam facile, ſine ullo mordentis conſcientiae ſtimulo, tot lethalia crimina pro rebus nihili committunt. Qui plane licet non verbis, tamen operibus ipſis & moribus teſtari videntur, ſe neque divinae iuſtitiae ſeveritate commoveri, nec magnifica Dei promiſſa aeſtimare: immo ea pro nihilo ducere, atque rerum omnium Domino quodam modo dicere: neque tuam, Domine, gratiam & amicitiam & paternam curam & providentiam, quam mihi in praeſenti vitam offers, magni facio: nec caeleſtem hereditatem, quam in futuram mihi polliceris, accipio. Tua tibi dona habeto, & cui volueris, donato: ego enim momentaneam carnis voluptatem, aut exiguum pecuniae lucrum omnibus iſtis tuis promiſsis, & ſanguini etiam, a te in cruce profuſo, antepono. Quid igitur hoc contemtu & mentis caecitate horribilius? Quid exſecrabilius? An ſenſum ullum habere exiſtiman-

(a) *Cyprian. tract. 2. de habitu Virg.*

mandi ſunt, qui in tam horrendam caecitatis noctem inciderunt? Hoc igitur modo, poſt rei alicuius magnitudinem argumentis probatam aut amplificatam, excandeſcere, & auditorum affectus incendere, pro rerum, de quibus agimus, natura, valebimus.

Quam rem, quoniam eſt in dicendo potentiſsima, Quinctilianus, de ratione movendi affectus differens, commendat his verbis: (a) huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt: ſine quo cetera nuda, ieiuna, infirma & ingrata ſunt. Adeo ut velut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus commovendis. Haec ille. Quod ſi agentibus in foro cauſas hoc officium tantopere commendatur, quum tamen in quibuſdam bene inſtitutis civitatibus ſine prooemio, & ſine affectibus oratores dicere iuberentur: quid de concionatore dicendum, cuius vel ſolum vel praecipuum munus eſt, auditorum animos commovere, & ad timorem Domini, peccati odium, mundi contemtum, & caeleſtium rerum amorem, ceteroſque pios affectus auditorum animos inflammare? Quo modo autem hoc fieri debeat, ſequenti libro, in quo de amplificandi ratione, & affectibus concitandis agendum nobis eſt, paullo latius explicabimus.

CAP. XII.

DE ACCOMMODATIONE, SIVE AD SINGVLARIA deſcenſu.

ALteram vero concionatoris partem, accommodationem, ſive ad ſingularia deſcenſum, appellare voluit quod eius proprium ſit, ubi aliqua moralis ſententia generatim definita & probata eſt, ad ſingulares virtutum aut vitiorum actiones deſcendere; ad illas exhortando, & ab his deterrendo. Hic enim, ut ante docuimus, totius concionis ſcopus eſt, ad quem omnia referenda ſunt. Quum enim moralis doctrinae finis non ſpeculatio, ſed actio ſit, quae circa ſingularia opera verſatur: debet utique is, qui uti-

(a) *Quinctil. inſtit. lib. VI.*

utiliter doctrinam hanc tractare velit, quaecumque hac de re in communi dixerit, ad ſingulares actiones accommodate. Hinc apud Iſaïam Dominus, quum graviſsimis verbis Iudaeorum pravitatem & impietatem accuſaſſet, & futuram regni vaſtitatem praenuntiaſſet, quid illis faciendum eſſet, quo infenſum ſibi numen placarent, ſubiungit his verbis: (a) lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quaerite iudicium, ſubvenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus.

Iam vero magiſter caeleſtis hoc idem in Evangelio facit: ubi enim multa de formidabili iudicii die praenuntiaſſet; ex iis, quae dixerat, ſalutaria protinus documenta intulit his verbis: (b) attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitae, & ſuperveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terrae. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quae futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Ad hunc quoque modum regius propheta, ubi potentiam & iuſtitiam regni Chriſti expoſuiſſet, eam ſententiam ad vitae inſtitutionem tranſtulit, dicens: (c) & nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: ſervite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam, &c. D. autem Gregorius locum illum beati Iob enarrans, (d) ſi fructus terrae comedi abſque pecunia; propoſitionem, exornationem, & accommodationem breviter his verbis complexus eſt: fructus terrae abſque pecunia comedere, eſt ex Eccleſia quidem ſumtus accipere, ſed eidem Eccleſiae praedicationis pretium non praebere. Terrae igitur fructus abſque pecunia comedit, qui Eccleſiae commoda ad uſum corporis percipit, ſed exhortationis miniſterium non impendit. Quid ad hoc nos paſtores dicimus, qui adventum diſtricti iudicis praecurrentes, officium quidem praeconis ſuſce-

(a) *Iſai.* 1. (b) *Luc.* 21. (c) *Pſalm.* 2. (d) *Iob* 31.

ſcepimus, ſed alimenta eccleſiaſtica muti manducamus.

Sed haec breviter dicta ſunt. Nos in concione quadam (a) paullo fuſius locum illum Ioan. *6. hoc autem dicebat tentans eum*, latius perſequuti ſumus. Vbi enim docuimus, tentationes a Deo permitti, cum ob varias cauſas, tum vel maxime ut homines firmitatem, vel infirmitatem ſuam agnoſcerent, ſic intulimus: perfecta enim virtus eſt, quae tentata non corruit, quae laceſsita non vincitur, quae nec ſecundis rebus effertur, nec anguſtis contrahitur: quaeque tam firmas in anima radices egit, ut quemadmodum ignis vehementi aura exagitatus, adeo non extinguitur, ut magis etiam accendatur; ita ipſa multis modis impugnata, non modo victa non ſuccumbit, ſed etiam, ut quidam eleganter dixit, inflicto vulnere vireſcit. Ex hac autem doctrina, quae vera, quae falſa, quae conſummata, quae imperfecta virtus ſit, coniectura colligere licet. Itaque non eſt perfecte pudica mulier, quae a nemine impetita pudicitiam retinet; ſed quae multis modis tentata, illibatum & integrum conſervat pudorem. Non eſt item perfecte manſuetus, qui nulla laceſsitus contumelia non iraſcitur; ſed qui conviciis affectus, nihil acerbum reſpondet. Non eſt perfecte humilis, qui honores non appetit; ſed qui ſublatis etiam & ereptis non indignatur. Non eſt perfecte patiens, cui ad votum omnia cedunt; ſed qui in mediis calamitatibus poſitus, cum Propheta dicere poteſt: (b) probaſti, Domine, cor meum, & viſitaſti nocte, &c. Non eſt perfecte obediens, qui nullum inobedientiae crimen admiſit; ſed qui, propria voluntate & iudicio reluctante, alienum ſequitur imperium atque iudicium. Hoc exemplo aperte liquet, quantum lucis & utilitatis doctrinae adiiciatur, quum ad haec ſingularia deſcenditur. Hac enim ratione, qui audiunt, ſe ipſos explorare ſciunt, &, quid de ſe ipſis ſentire debeant, iudicare.

Illud etiam hoc in loco admonendus concionator eſt, ut non ſolum peracta argumentatione ad hanc ſingularium rerum enumerationem deſcendat: ſed frequenter etiam alias,

(a) *Dominic. 4. quadrag.* (b) *Pſalm. 15.*

alias, ubicumque ſe illi occaſio docendi obtulerit. Quicumque enim vere & ex animo prodeſſe ceteris ſtudent, hanc praecipue docendi rationem ſequi debent. Sic Paullus, doctor gentium, multa virtutum officia in epiſtolis ſuis fidelibus commendat. Quam multa enim ad Romanos cap. 12. congerit, quum ait: obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, & cetera, quae uſque ad finem capitis ſequuntur? Quae vir divinus, humanae eloquentiae expers, tanta eloquentia perſequitur, totque ſententiarum & verborum luminibus exornat, ut nihil nec uberius, nec elegantius dici potuiſſe videatur.

Sed ne exemplis omnia ex ſacris litteris petamus, duo adiiciam ex una D. Euſebii Emiſſeni homilia. (a) Illum namque evangelicae lectionis locum, quo Magi per aliam viam in regionem ſuam reverſi memorantur, explanans, ſic ad ſingulares actiones accommodat. Illud quoque quod per aliam viam regreſsi ſunt, intelligamus, utilitati ac ſaluti noſtrae peculiarius convenire. Viae enim immutatio, vitae intelligitur emendatio. Nos ergo per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem; quando ſuperbiam, ſuſcepta humilitate, deponimus; quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus; quando veteres voluptates & conſuetudines priſtinas ac deſideria antiqua damnamus. Ad viam utique aliam de errore tranſimus, quando univerſas concupiſcentias, honeſtatis ac paupertatis amore, calcamus: quando caſtitate luxuriam ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextro tramite iter ſpirituale conficimus. Haec ille. Et paullo inferius, quum nos ad Chriſti imitationem, & vias eius ſequendas hortatur, ſic rem univerſam in partes diſtribuit. Certum eſt, inquit, quia Chriſti carpimus vias, quum, relicto itinere terreno, iter ſpiritale conficimus: quando obedientia & humilitas, mentis gubernaculum moderantur: quando, terrenis cupiditatibus repudiatis, ſpes futurorum illuminatam occupat mentem: quando illam bonorum caeleſtium pulchritudinem cordis ima

(a) *Homil. Epiphan.*

ima ſuſpirant. Per ſalutiferas, inquam, gradimur vias, quando anima, damnatis omnibus praeſentium rerum voluptatibus, id potius cogitat; quando ſepoſitura ſit tabernaculum corporis ſui, rurſumque illud reſurrectionis tempore receptura, ut cum eodem recipiat, prout geſsit, ſive bonum, ſive malum.

Videbor cuiquam fortaſſe longior in hac admonitione fuiſſe: deſinet tamen mirari, quiſquis concionatorum officium, & quorumdam ex ipſis abuſum conſideraverit. Moleſtiſsime enim fero, non nullos ita muneris & inſtituti ſui oblitos, ut nihil minus agant, quam quod ex praeſcripto ſibi munere agere tenentur. Quum enim hoc ſit concionatori propoſitum, ut quaecumque dicit, ad animarum ſalutem, ad caſtigandos hominum mores, ad virtutis praecepta tradenda, ad mundi contemtum, ad divini numinis timorem pariter & amorem, ceteraque his ſimilia dirigere debeat; quidam per res otioſas & ſupervacaneas ita vagantur, ut miſeri auditores, qui eo confluxerant, quo ſalutarem aliquam doctrinam haurirent, aridi prorſus atque ieiuni a concione redeant. Quis autem ferat medicum, cui aeger commendatus eſt, aliud agere, & officii ſui curam negligere? Quiſquis igitur apte dicere, & officio ſuo ſatisfacere cupit, inſtar periti ſagittatoris, nuſquam oculos a miniſterii ſui ſcopo deflectat, ut ad illum totam orationis ſuae vim dirigat. Itaque ut caementarii numquam vel unum lapidem in aedificio collocant, quin ſtatim amuſim & regulam adhibeant, qua, recte, an ſecus collocatus ſit, explorent: ita fidelis ac prudens divini verbi diſpenſator, quaecumque dicere inſtituit, ad hanc regulam expendere debet. Itaque quum aliquid ad dicendum excogitavit, a ſe ipſo inquirat, quid hoc ad animarum ſalutem? quid ad bonos mores componendos? quid ad vitam hominum rectis inſtitutis moderandam? Quod ſi ad hoc minus pertinet, quamlibet illud ſibi ſubtiliter & acute excogitatum videatur, ſi recte ſapit, nec ſe populo venditare cupit, tamquam otioſum, & ab inſtituto ſuo alienum, repudiabit. Sed operae pretium tamen me facturum puto, ſi omnia ea, quae

ad

ad orationem ſuam Eccleſiaſtes accommodare atque defle-ctere debeat, hoc in loco, velut in tabella quadam, ſpe-ctanda propoſuero.

§. I.

VBi concionator ſuggeſtum conſcenderit, & circumfu-ſam ex eo turbam fuerit contemplatus, proponat ſi-bi in animo, illam eſſe aegrotorum multitudinem, qui pi-ſcinam olim circumſiſtebant, ut a morbis ſuis liberarentur: ſe vero velut angelum eſſe caelitus miſſum, qui variis di-vini verbi medicamentis non unum aliquem, ſed omnes, qui adſunt, ſanare ſtudet. Fingat igitur animo, multos ibi eſſe claudos, qui viam quidem veritatis agnoſcant; inertia tamen & langore animi, ac laboris metu deterriti, per eam ingredi detrectent. Alios vero eſſe aridos, qui nullum devotionis, nullum humanitatis & miſericordiae ſuccum habeant. Alios autem caecos, qui nulla divinarum rerum cognitione illuminati, in tenebris ambulent, & paſsim of-fendant. Sunt & alia his finitima vitia, quae pius concio-nator ſaepe lamentatur. Cernit enim alios avaritiae & am-bitionis facibus inflammari: qui videlicet pecuniam & ina-nes ſaeculi honores pro Deo colunt: alios livore & invi-dia contabeſcere: alios fraterno odio & vindictae cupidi-tate aeſtuare: alios ſuperbiae ſpiritu efferri, ceteroſque prae ſe ipſis faſtidire atque deſpicere: alios libidinis con-cupiſcentia uri: alios ira praecipites ferri, ceteroſque aut conviciis & maledictis inſectari, aut diris omnibus devo-vere: alios contra ſervili animo blandiri, & turpiter maio-ribus adulari: alios, qui animas ſuas venales habent, quas pro rebus nihili ſub daemonis & peccati iugum mittunt. Quid vero illos referam, qui fluxum cogitationum & affe-ctuum quodam modo patiuntur; qui nullum eis obicem po-nunt, neque ullum iuſti & iniuſti delectum habent? Quid illos commemorem, qui eodem, ut ita dixerim, fluxu in oculis & lingua laborant: qui videlicet nullam oculis cuſtodiam, nullum linguae frenum adhibent, ſed quidquid illis in buc-cam venerit, effutiunt; & quidquid vident, concupiſcunt?

Quid

Quid illos, qui, paralyſis morbo diſſoluti, ad omnia ſpiritualia atque divina adeo inſenſibiles effecti ſunt, ut non modo ſine ullo doloris ſenſu peccent, ſed (a) laetentur, etiam quum malefecerint, & exſultent in rebus peſsimis? Quid illos, quorum Deus venter eſt; qui omnia vitae ſtudia ad corporis indulgentiam & voluptatem referunt, nullamque aut animae ſuae, aut futurae vitae rationem habent, perinde atque omnia ſimul cum vita finirentur, nullamque futurorum ſpem haberent?

Adde his etiam ſex illa ſcelera, (b) quae odit Dominus, & ſeptimum, quod deteſtatur anima eius: nempe oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſsimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat diſcordias inter fratres. Sed in his fere omnibus adverſus homines delinquimus. Quid vero illa, quanto atrociora, quae adverſus caeleſtem Patrem committimus: quem ſupra omnia diligere, in quo ſpem omnem & felicitatem noſtram collocare, cuius mandatis obedire, cuius ſanctum nomen venerari, quem rebus omnibus anteferre, cui immortales pro innumeris eius in nos beneficiis gratias agere, quem in ore & corde ſemper habere, ac de eo dies noctesque cogitare deberemus? Quam longe autem Chriſtianorum multi ab hoc officiorum obſequio diſtant, qui, ut Apoſtolus ait, (c) ſine Deo in hoc mundo vitam agere videntur? His igitur morbis, reputet Eccleſiaſtes, pleroſque eorum, qui illum audiunt, laborare; qui omnes ſunt ad mortem, & mortem quidem ſempiternam. Quid ergo indignius, quam eum, qui tot tantiſque malis curandis deſtinatus ſit, per aëra quodam modo volitantem muſcas venari, & aliud agere, quo tempore tantis malis ſalutarem opem ferre deberet?

Quia vero ad medicum ſpectat, non ſolum morbos curare, ſed integris etiam tuendae ſanitatis praecepta dare; in hoc quoque Eccleſiaſtes medici curam & ſollertiam i-

(a) *Prov.* 2. (b) *Prov.* 6. (c) *Epheſ.* 2.

mitabitur: praeſertim quum non ſatis ad perfectam iuſtitiam ſit, a malo declinare, niſi bonum facias. Vbi ergo a malis deterruerit, ad bona quoque opera, hoc eſt, ad omnia virtutum officia exhortari debet: maxime quum vitia adverſarum virtutum actionibus ſuperanda ſint. Ad ea vero praecipue ſtimulare debebit, quae,praeter quam quod virtutes egregiae ſunt, ad aliarum quoque virtutum ſtudia plurimum iuvant. In hoc autem genere primas tenent aſsiduum precandi officium, dominicae paſsionis, ceterorumque divinorum beneficiorum ſedula meditatio, ſacramentorum frequentior uſus, devota piorum librorum lectio, affectuum cohibitio diligens, ac ſollicita cordis cuſtodia, carnis caſtigatio, externorum ſenſuum, ac praecipue oculorum & linguae, moderatio, & omnia miſericordiae & humanitatis opera, ſive quae corporibus, ſive quae animabus proximorum impendimus.

Poſtremo Eccleſiaſtes, exemplo Paulli, (a) omnibus omnia fieri, & in omnes ſe formas, velut alter Protheus, transformare debet, ut omnes faciat ſalvos. Alios enim terrere, alios in ſpem allicere, alios conſolari ſtudeat, qui videlicet variis calamitatibus & aerumnis premuntur: quum omnia, quae ſcripta ſunt, (b) ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus; ſtantes confirmet, lapſos erigat, puſillanimes confortet, currentibus calcar addat, obfirmatos in ſceleribus ſuis divini iudicii metu perterreat, & ſingulis quibuſque convenientia ſalutis medicamenta adhibeat. Deinde vero ad varios hominum ſtatus atque fortunas, variaque vitae officia inclinanda oratio eſt. Quod quidem Apoſtolus in fine epiſtolarum ſuarum facere ſolet, quum dominis & ſervis, parentibus & filiis, viris & uxoribus, viduis, atque divitibus huius ſaeculi, quid quiſque in ſtatu ſuo facere debeat, ſollicite praeſcribit. Quod etiam Ioannes Baptiſta fecit, dum omnibus ad ſe confluentibus, pro cuiuſque perſonae conditione, varie tradidit praecepta vivendi. Ad haec igitur, & his ſimilia, quae-

(a) 1. *Corinth.* 9. (b) *Rom.* 15.

quaecumque dicimus, flectere debemus, si pie, fideliter, atque prudenter caelestis doctrinae panem esurientibus frangere, non populi plausum captare, volumus. Nec tamen sic dicenti salutaris plausus deerit. Multis namque experimentis constat, nulla magis re populum capi, nullamque attentius audire, quam quae vulneribus suis curandis accommodata est.

CAP. XIII.

DE SENTENTIARVM ET EPIPHONEMATVM ornamentis.

SEntentiae & epiphonemata inter varia eloquutionis ornamenta numerantur. Quae tamen, quoniam cum inveniendi ratione maxime coniuncta sunt, hoc in loco adscribere libuit: praesertim quod quemadmodum affectus & accommodationes argumentationi oratoriae adiunximus, & velut partes eius fecimus; ita & sententias & epiphonemata cum ipsa argumentatione frequenter commiscentur. Quod tamen ornamenti genus, qui brevitati nimium student, negligere solent: qui nesciunt, quantam non modo decoris, sed etiam utilitatis partem orationi detrahant. Hac autem in re mihi etiam concionator ab oratore distare videtur, quod hic raro & verecunde admodum his ornamentis utitur, ne magis vitam hominum instituere, quam causam agere videatur; concionator autem, quum non causas agat, sed mores hominum instruat, his duabus orationis virtutibus maxime utitur: idque adeo, ut sanctorum evangeliorum enarrationes in hac praecipue re positae sint, ut ubicumque occasio tulerit, sententias & epiphonemata eruamus, quibus mores & vitam hominum instituamus, quas quum variis scripturarum & sanctorum patrum testimoniis confirmamus, plenam concionem efficimus. Quo minus mirandum est, si nos hisce duabus virtutibus magis, quam oratores, utamur, easque inter inventionis praecepta numeremus.

Sententia autem eſt oratio ſumta de vita, quae, aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breviter oſtendit, hoc modo: difficile eſt primum virtutem revereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Item, liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſervit. Item, egens aeque eſt is, qui non ſatis habet, & is, cui nihil ſatis poteſt eſſe. Item, optima vivendi ratio eſt eligenda; eam iucundam conſuetudo reddet. Huiuſmodi ſententiae ſimplices non ſunt improbandae, propterea quod habet brevis expoſitio, ſi rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque probandum eſt genus ſententiae, quod confirmatur ſubiectione rationis, hoc modo: omnes bene vivendi rationes in virtute ſunt collocandae, propterea quod ſola virtus in ſua poteſtate eſt: omnia, praeter eam, ſubiecta ſunt fortunae dominationi. Item, qui fortunis alicuius inducti, amicitiam eius ſequuti ſunt, hi, ſimul ac fortuna dilapſa eſt, devolant omnes. Quum enim receſsit ea res, quae fuit conſuetudinis cauſa, nihil ſupereſt, quare poſsint in amicitia retineri.

Sunt item ſententiae, quae duplices efferuntur, vel ſine ratione, vel cum ratione. Sine ratione, hoc modo: errant, qui in proſperis rebus omnes impetus fortunae ſe putant fugiſſe. Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus adverſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto: qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quod aetas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis: at hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maxime caſtigant, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri, eas in aetate maturiſsima velint comparare. Haec omnia ex Herenniana rhetorica.

His porro ſent entiis, quae ex contrariis rebus conſtant, Salomon in Proverb. frequentiſsime utitur. Lege cap. 10. cuius eſt initium: filius ſapiens laetificat patrem; filius vero ſtultus maeſtitia eſt matris ſuae. Vndecimum quoque eiſdem ſententiis refertum eſt: ſtatera doloſa abominatio eſt ante Deum, & pondus aequum voluntas eius, &c. quae ſequuntur.

Quinctilianus ſententiis addit , quas graece *gnomas* vocant : quod nomen ex eo acceperunt , quod ſimiles ſint conſiliis atque decretis. Sub hoc autem nomine adagia, quae inſignem aliquam ſententiam continent , comprehendimus ; quae non vulgarem orationi & fidem & ornamentum addunt , quorum non eſſe inops Eccleſiaſtes in lingua ſua debet. Quamvis in hoc genere quaedam nimium humilia ac paene ſordida ſunt , quae dicentis auctoritatem & gravitatem minuunt.

Sunt item ſententiae ad rem tantum relatae , ut , nihil eſt tam populare , quam bonitas : interim ad perſonam, quale eſt illud : princeps , qui vult omnia ſcire , neceſſe habet, multa ignoſcere. Sunt autem ſententiae rectae , ſunt & figuratae. Rectae ſunt : tam deeſt avaro , quod habet, quam quod non habet. Figuratae autem , ut , uſque adeone mori miſerum eſt ? Recte enim dixiſſet , mors miſera non eſt , ſed illud tamen acrius. Rectum eſt : nocere facile , prodeſſe difficile. Sed vehementius Medea apud Ovidium dicit : ſervare potui , perdere an poſsim rogas ? Vertit autem hanc paene ſententiam ad perſonam Cicero : nihil , inquit , habet Caeſar , nec fortuna tua maius , quam ut poſsis ; nec natura melius , quam ut velis conſervare quam plurimos.

Eſt ſententiarum genus , non illud quidem petitum ab auctoribus , ſed a nobis ad praeſentis rei commoditatem confictum. Eas licebit omnibus orationis partibus admiſcere. Atque adeo unus locus complures ſaepe numero ſententias parit. Incidunt enim , & in enarrando , & in movendis affectibus , non ſolum in probationibus. Quin etiam haud raro tranſitiones per ſententias fiunt. Quae ſi in loco adhibeantur , haud mediocrem orationi copiam adiungent , neque id ſine gravitate aut gratia. Sunt etiam ſententiae , quae catholicae dicuntur , vulgo iam ab omnibus receptae, qualis illa : invidentia ipſa ſui ſupplicium eſt. Et , ira eſt brevis ad tempus ſtultitia.

Eſt & aliud tacitum & acutum ſententiae genus, quod frequenter epithetis conficitur : ut , praeceps iuven-

ta, inconſultus amor, eſca malorum voluptas, moroſa, ac difficilis ſenecta, vitiorum expultrix philoſophia, humanae vitae ſpeculum comoedia, vitae magiſtra hiſtoria. Sic Virg. & caeco carpitur igne. Quod Ovid. explicuit, dicens, tectus magis aeſtuat ignis. Item in narrando: pars maior vincit meliorem: explicabis, ſi dixeris: fere fit, ut pars maior vincat meliorem.

Quiſquis igitur concionem ſuam huiuſmodi ſententiis ornare vult, omnes autem velle debent, rerum naturam, de quibus dicit, prudenter exploret, & quidquid in illis, quod ad vitae inſtitutionem faciat, introſpexerit, brevi oratione explicet. Vt enim ante diximus, ſententia eſt, quae, quid ſit in vita, aut quid eſſe oporteat, breviter oſtendit. Aliquando enim ex his, quae dicuntur, ſententiae manant: aliquando vero, ut cauſae & rationes eorum, quae dicimus, afferuntur. Sic D. Gregorius (a) ex Phariſaeorum murmure adverſus Dominum, quod peccatores reciperet, in hunc modum philoſophatur. Ex qua re colligimus, quia vera iuſtitia compaſsionem habet, falſa vero indignationem. Interdum etiam ex una aliqua ratione plures ſententiae conſequuntur. Sic Seneca in epiſtola ad Polyb. conſolatoria de morte fratris: illud quoque... te adiuvet cogitantem, non iniuriam tibi factam, quod talem fratrem amiſiſti, ſed beneficium datum, quod tam diu pietate eius tibi uti fruique licuit. Iniquus eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non reliquit: avidus, qui non lucri loco habet, quod accepit, ſed damni, quod reddidit. Ingratus eſt, qui iniuriam vocat finem voluptatis: ſtultus, qui nullum fructum eſſe putat bonorum, niſi praeſentium, qui non & in praeteritis acquieſcit, & ea iudicat certiora, quae abierunt, quia de illis, ne deſinant, non eſt timendum. Nimis anguſtat gaudia ſua, qui eis tantum modo, quae habet ac videt, frui ſe putat, & habuiſſe eadem pro nihilo ducit.

D. vero Cyprianus ſententiis pro rationibus utitur ad confirmanda ea, quae ſuadet, his verbis: (b) neque perſe-

(a) *Gregor. in Homil.* (b) *Cyprian. in Epiſt.*

ſequutio ſola metuenda eſt, & ea, quae ſubruendis ac deiiciendis Dei ſervis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, ubi manifeſta formido eſt. Et ad certamen animus ante praeſtruitur, quando ſe adverſarius confitetur. Plus metuendus eſt & cavendus inimicus, quum latenter obrepit; quum, per pacis imaginem fallens, occultis acceſsibus ſerpit. Idem in epiſt. ad Confeſſ. ut felicibus confeſsionis ſuae initiis finem adiungant, ſic ait: danda vobis opera eſt, ut poſt haec initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus eſſe coepiſtis. Haec propoſitio eſt, cui rationes ex ſententiis ſubiiciuntur, hoc modo: parum eſt, adipiſci, aliquid potuiſſe: plus eſt, quod adeptum eſt, poſſe ſervare. Sicuti & fides ipſa & nativitas ſalutaris, non accepta, ſed cuſtodita vivificat. Nec ſtatim conſequutio, ſed conſummatio hominem Deo ſervat. Haec fere de ſententiarum ornamentis rhetores praecipiunt: in quibus qui volet eſſe dives, legat ex ethnicis quidem ſcriptoribus Senecam, ex noſtris vero D. Gregorium, qui in hac virtute principes exſtiterunt.

§. I.

DE EPIPHONEMATE.

SEntentiis epiphonemata, quod tenui limite ab illis dividantur, adiunximus. Eſt autem epiphonema, ut Fabius ait, (a) rei narratae vel probatae ſumma acclamatio. Quale eſt illud: (b)

Tantae molis erat, Romanam condere gentem.

Quia vero haec definitio ſubobſcura eſt, illam ego rudi, quod aiunt, Minerva explicandam curabo. Cuius explicationem facile intelliget, quiſquis vel paullulum in dialectica arte verſatus fuerit. Ea enim, quae dialectici vel ex definitionibus, vel expoſitionibus, aut concluſioni-

(a) *Quinctil. inſtit. lib. VIII. cap. 5.* (b) *Virg. AEneid. lib. I. v. 37.*

bus inferunt, corollaria vocant. At epiphomena, de quo nunc agimus, quaedam corollarii ſpecies eſt. Corollarium namque latiſsime patet. Omnia enim, quae ex ante dictis referuntur, ſive unum, ſive multa ſint, corollaria appellantur: epiphonema autem corollarium quidem eſt, ſed ad certam definitamque materiam contractum. Non enim quidquid ex rebus, quas tractavimus, elicitur, epiphonema eſt: ſed id ſolum, quod admirationem, vel rei, de qua agitur, amplificationem, vel inſignem aliquam ſententiam continet, epiphonema eſt. Sic Cicero pro Milone: pudicitiam quum eriperet militi tribunus in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Hic breviter res geſta narrata eſt. Subdit protinus Cicero epiphonema hoc modo: facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit. Haec ſententia ex re narrata aperte conſequitur, quae adoleſcentis conſtantiam atque virtutem amplificat: quando is, cum periculo etiam vitae, flagitium a ſe propulſavit. Interdum etiam epiphonema cauſam continet facti. Quum videlicet ex natura rei cauſa colligitur. Vt enim ex cauſis effectus, ita ex effectibus intelliguntur cauſae. Tale eſt illud Ioannis:(a)multi etiam ex principibus crediderunt: ſed propter Phariſaeos non confitebantur, ne de ſynagoga eiicerentur: hic effectus eſt. Subdit autem Evangeliſta cauſam: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Haec oratio & cauſam continet facti, & ſententiam ad perſonas relatam. Sulpitius Severus in vita D. Martini, poſtea quam illam ſancti viri in agone mortis conſtituti orationem commemoraſſet: Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua; huiuſmodi epiphonema ſubiecit: o virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit.

Hac eadem ratione, in quavis evangelica lectione, multa ſimilia his epiphonemata colligere licet. Sumamus, exempli gratia, Matthaei evangeliſtae vocationem, eiuſque

(a) *Ioan.* 12.

que obedientiam, & publicanorum convivium. Quam multa ex hac ſacra lectione epiphonemata, quae admirationem & amplificationem continent, colligere licet! Quam larga enim illa Domini pietas & miſericordia, quae publicanum ad apoſtolici & evangelici muneris dignitatem vocavit! Item, quam ſtupenda iudicia Dei, qui, multis aliis iuſtitiae cultoribus praetermiſsis, hominem turpi negotio victitantem ad tantam gloriam eligere voluit? Quanta item vis illa divini Spiritus, qui unico verbo ita cor hominis immutavit! Quanta rurſus illa obedientia, quae, ad unum vocantis Domini verbum, quae habebat, omnia deſeruit! Quanta item eiuſdem caritas & alacritas, quae amicos & publicanos ad Domini convivium invitavit; ut eius monitis & exemplis, ſuaviſsimoque convictu, in eius amorem raperentur, & exemplo ſuo relictis omnibus eumdem Dominum ſequerentur!

Praeterea, quanta eiuſdem Domini benignitas, caritas, & humilitas, qui neque peccatorum convivia dedignatus eſt, quo illos ad ſe benigne traheret, neque Phariſaeorum obtrectationes curavit! Ac deinde, quanta Phariſaeorum malitia, qui virtuti, qua ipſi carebant, vitii nomen impoſuerunt; ne in hoc caritatis officio Chriſto Domino inferiores viderentur! Haec omnia non dubium quin epiphonemata ſint, quae ex ſacra hac hiſtoria colliguntur: quae nos fuſius perſequentes, integram concionem in eiuſdem apoſtoli feſto confecimus.

Mirus eſt in hoc genere D. Ambroſius, qui Agnetis virginis fortitudinem atque conſtantiam in tam tenera aetate, hac potiſsimum orationis virtute illuſtrat & amplificat. Sic enim ait: nomen virginis titulus eſt pudoris: appellabo martyrem: praedicavi ſatis. Prolixa laudatio eſt, quae non quaeritur, ſed tenetur. Hanc ſenes, hanc iuvenes, hanc pueri canant. Nemo eſt laudabilior, quam qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot praecones, qui martyrem praedicant, dum loquuntur. Haec duodecim annorum martyrium feciſſe traditur. Quo deteſtabilior crudelitas, quae nec minuſculae pepercit aetati?

Im-

Immo magna vis fidei, quae etiam ab illa teſtimonium invenit aetate. Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? Et quae non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Novum martyrii genus! Nondum idonea poenae, & iam matura victoriae: certare difficilis, facilis coronari. Non ſic ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicii locum. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari plerique, quod tam facile vitae ſuae prodiga, quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. Stupere univerſi, quod iam divinitatis teſtis exſiſteret, quae adhuc arbitra ſui per aetatem eſſe non poſſet. Effecit denique, ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non credebatur: quia quod ultra naturam eſt, de auctore naturae eſt. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet: tremere percuſſoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, quum puella non timeret ſuo. Hactenus Ambroſius.

In cuius oratione facile ſtudioſus lector epiphonemata ſingulis paene periodis adiecta deprehendet: quae non vulgari acumine rem, per ſe alioqui illuſtrem, illuſtriorem atque mirabiliorem reddunt. Eſt autem hoc pulcherrimum orationis ornamentum, in quo quidem abundant, qui ingenii acumine plurimum valent. Quo enim plenius rei naturam comprehendunt, eo plura ex his, quae dicta ſunt, colligunt: quae ubi rem amplificant, epiphonemata dicuntur. Narratio quippe & expoſitio rerum, cuique vel rudi etiam ingenio in promtu eſt. At ſententias, & quidquid admirationem vel amplificationem continet, quod e rebus iam expoſitis aut probatis infertur, animadvertere, & argute breviterque proferre, quod epiphonematis eſt proprium, non vulgaris ingenii eſt. Eius autem praecipuus uſus in clauſulis eſt. Ideo enim epiphonema eſſe dicitur, rei narratae vel probatae ſumma acclamatio. Denique quidquid in clauſulis aurem acute ferit, epiphonema eſt.

Sic D. Auguſt. expoſita breviter beatiſsimi martyris

Vin-

Vincentii paſsione, adiecit epiphonemata, quae inſuperabilem martyris conſtantiam mire attollunt, & rem expoſitam amplificant. Si conſideretur in hac paſsione humana patientia, incipit eſſe incredibilis: ſi agnoſcatur divina potentia, deſinet eſſe mirabilis. Tanta graſſabatur crudelitas in martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce: tanta poenarum aſperitas ſaeviebat in membris, tanta ſecuritas ſonabat in verbis; ut putaremus, Vincentio patiente, alium loqui, alium torqueri. Clariorem nobis martyrem tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confoſſus, non deſerebat pugnam, ſed acrius iterabat. Putares, quod eum duraret flamma, non ureret. Hactenus Auguſt. In cuius verbis, quidquid, expoſita martyris conſtantia, acute colligitur, quod rem amplificet, atque mirabilem faciat, merito epiphonema eſſe dicitur.

CAP. XIV.

DE PROLEPSI, QVAE LATINE PRAESVMTIO, vel anticipatio, dicitur.

POſt ſententias & epiphonemata, prolepſim quoque addere libuit. Quae quamquam inter ſententiarum figuras, quae ad eloquutionem pertinent, ſicut epiphonemata & ſententiae, numeratur; quia tamen plurimum cum inveniendi ratione, ſicut & illa, convenit, plurimumque & ornatus, & utilitatis, & conſilii continet: hoc in loco adſcribendam, & argumentationi adiungendam duxi; quamvis ea non minus in ceteris inventionis partibus locum habeat. Quemadmodum enim ea, quae dicimus, tum ſententias, tum epiphonemata pariunt; ita ex iiſdem haec orationis virtus oritur. Quid autem Fabius de hac figura dicat, primo loco ſubiiciam. Ait igitur: (a) mire vero in cauſis valet praeſumtio, quae prolepſis dicitur, quum id, quod obiici poteſt, occupamus. Id neque in

(a) *Quinctil. inſtit. lib. VIIII. cap. 2.*

in aliis partibus parum eſt, & praecipue prooemio convenit. Sed quamquam generis unius, diverſas tamen ſpecies habet. Eſt enim quaedam praemunitio, qualis Ciceronis contra Q. Caecilium, quod ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderat. Quaedam confeſsio, ut pro Rabirio Poſthumo, quem ſua quoque ſententia reprehendendum fatetur, quod pecuniam regi crediderit. Quaedam praedictio, ut: dicam enim, non augendi criminis gratia. Quaedam emendatio, ut: rogo ignoſcatis mihi, ſi longius ſum evectus: frequentiſsima praeparatio, ſi pluribus verbis, vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus, dici ſolet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur, vel praeſumtione, cuiuſmodi eſt illud: quamquam illa non poena, ſed prohibitio ſceleris fuit; aut reprehenſione, quale eſt illud: cives, inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt. Hactenus Fabius.

Sed quoniam is breviter hunc locum abſolvit, quid ego de hac virtute ſentiam, familiari dialecticorum exemplo indicabo. Duos hi rerum conceptus eſſe ſtatuunt, quos directum, & reflexum appellant. Et directum quidem eſſe dicunt, quum ſimpliciter id ſolum concepimus, quod propoſita vox aut oratio ſignificat: reflexum autem, quo ſupra id, quod directe concepimus, reflectimur, ſingulare aliquid in eo, quod concepimus, expendentes, aut commentantes, aut etiam obiicientes. Ex hac enim poſteriori animi conceptione haec virtus manat: quo videlicet prudens concionator prudentis auditoris perſonam quodam modo induit; & quidquid ille tacita cogitatione vel adnotare, vel ponderare, vel obiicere poterit, ipſe propter tardiores adnotat, ponderat, aut diluit. Itaque duas quodam modo perſonas ſuſcipit, & dicentis, & audientis: atque tacitis huiuſmodi cogitationibus prudenter occurrit. Verbi gratia. Ex iis, quae dicimus, quaedam prima fronte apparent arroganter, aut ſordide, aut obſcure, aut minus utiliter, aut ſubtiliter, aut longius, aut brevius, aut aſperius atque liberius, aut minus apte dicta.

His igitur veluti querelis prudentis auditoris breviter

ter occurrendum eſt, & ratione oſtendendum, nos id non temere, ſed conſilio dixiſſe, aut aliter fieri minime potuiſſe. Sic D. Chryſoſt. accuſare eos volens, qui ſorores adoptivas domi foverent, parumque honeſtam huius cohabitationis cauſam eſſe contenderent, obiurgationis aſperitatem hac figura mollivit. Sic enim ait: afferemus autem in medium, quam nos potiſsimum cauſam huius cohabitationis ſuſpicemur. Et quaenam illa? Omnino ſi a ſcopo aberravero, fas vobis eſto, ut me redarguatis. Et quaenam cauſa? Quis ille praetextus? Videtur mihi mulieris convictus, etiam abſque nuptiis ac congreſſu, voluptatis habere non nihil. Quod ſi non recte ſentio, non eſt quod dicam. Meam vobis ſententiam narro, mox autem non meam ſolum, ſed & illorum dicam: nam & illis ſic videtur. Quod inde colliqueſcit. Tantam enim gloriam, & tanta ſcandala neutiquam deſpicerent, niſi ingens quaedam & vehemens cohabitandi voluptas eſſet. Precor, ut nobis venia detur, deſitque indignatio. Neque enim temere & ſimpliciter inimicos vellem. Non ſum tam miſer atque aerumnoſus, qui temere omnes offendere velim: ſed valde doleo ac crucior, & gloriam Dei blaſphemari, & multorum ſalutem propter voluptatem hanc paullatim perire. Et habet voluptas haec maiorem cohabitandi amorem, quam legitimae nuptiae. Quod nunc forte vobis mirum videtur: ſed ubi, quod auditis, declarabo, eritis & vos mihi teſtes.

Et paullo inferius, obiurgationis acrimoniam iterum mollire volens, his verbis utitur: nec valde ſuccenſeamus eis, neque difficiles ſimus & importuni. Nam qui aegrum vult reſtituere, non hoc agit ira & verberibus; ſed aptat magis pharmaca magna cura, & blanda adhortatione. Nobis quamvis illos punire, & eis indignari liceret, utpote in iudicum adſcitis ordinem, non tamen hoc facimus: ſed medicorum magis, & eorum, qui curare ſolent, morem ſequi lubet. Vnde obſecramus & adhortamur, & eorum, ſi opus eſt, genua attingimus, ſi forte, quod agendum ſuſcepimus, perficiamus. Hactenus Chryſoſt.

ſoſt. In cuius verbis ſatis liquet, quanta arte & conſilio occurrit omnibus, quae cauſae, quam tractabat, obſiſtere poſſent.

Praeter haec autem, quum res paullo obſcurior, aut ſubtilior, aut etiam illuſtrior eſt dicenda, attentio ab auditoribus ſine ulla arrogantia & oſtentatione petenda eſt. Breves etiam exclamatiunculae, quae rerum dignitatem, neceſsitatem, & pondus oſtendant, interiici non incommode hac virtute ſolent. Quum autem quaedam ex iis, quae dicimus, ad viros, quaedam ad uxores, quaedam ad dominos, quaedam ad ſervos, non nulla ad divites, alia ad pauperes magis pertineant; hoc quoque breviter indicandum eſt, quo eorum excitet attentionem, ad quos ea potiſsimum ſpectant. Iam vero quum aliquid mirabile, incredibile, ſupraque communem hominum fidem poſitum narramus, non modo affectus ex rei magnitudine concitandi, ſed veritas etiam rei aliqua ratione munienda eſt, & interdum etiam iureiurando confirmanda. Sic D. Hieronym. ſancta, inquit, Melania noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpuſculo, duos ſimul perdidit filios. Rem dicturus ſum incredibilem, ſed, teſte Chriſto, non falſam. Lacrimae gutta non fluxit, ſed ad pedes advoluta Chriſti, expeditius, inquit, tibi, Domine, ſervitura ſum, quia tanto me onere liberaſti.

Iam vero B. Iob, rem omnium maxime mirabilem, praeſertim ſuo tempore, dicturus, nempe reſurrectionis corporis, & incarnationis dominicae ſacramentum, quam appoſita praefatiuncula uſus eſt? (a) Quis, inquit, mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Subdit deinde rem maxime mirabilem. Scio enim, quod Redemtor meus vivit, & noviſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & quae ſequuntur. Id interdum longiori etiam oratione fit. Sic Theodoretus in vita Simeonis Stilitis, quum novum illud & inauditum vitae genus in altiſsima columna ſub dio conſidentis, narrare vellet, ne res adeo

(a) *Iob* 19.

adeo nova ac mirabilis fide careret, hac ſimilitudine rei fidem fecit. Quemadmodum, inquit, ii, quibus obtigit, ut eſſent reges hominum, poſt aliquam temporis converſionem, mutant imagines nummorum, aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem ſtellarum, & aliquando angelorum, novo charactere tentantes aurum reddere pretioſius; ita etiam ſummus rex univerſorum, veluti quaſdam figuras ac characteres, haec nova & multiplicia vivendi inſtituta pietati veraeque religioni adiiciens, non ſolum Chriſtianorum, ſed infidelium etiam ad laudandum linguas excitat. Hactenus ille.

Sic etiam quiſquis beatiſsimae Catherinae Senenſis virtutes celebrare, & admiranda illa divinae familiaritatis indicia, quibus illam ſibi Dominus devinxit, narrare parat; quod videlicet illam ſibi Chriſtus Dominus mira ratione deſponſaverit, quod ab eius pectore abſtractum cor triduo apud ſe retinuerit, quod cum ea canonicas horas recitaverit: haec omnia, quae humanam fidem ſuperare videntur, ex immenſa Dei bonitate, & mira in ſanctos ſuos caritate, eiuſque aliis operibus, maiori admiratione dignis, credibilia facere debet. Haec exempli gratia dicta ſint: praeceptio enim haec latiſsime patet. Quam tamen dicentis acumen & prudentia, & auctorum obſervatio magis, quam praecepta, explicabunt. Haec enim virtus concionatoris & oratoris propria eſt: qui, cum rudi frequenter & indocta multitudine agentes, his eam rationibus erudire & excitare debent. Mirus eſt in hac figura Gregor. Theolog. Ex cuius lectione prudens lector obſervationis huius rationem magis, quam ex ullis artis praeceptionibus, intelliget, ſi illius tamen ſcripta non oſcitanter legerit. Quiſquis igitur ea, quae Fabius de hac figura praecepit, & quae nos admonuimus, diligenter adnotaverit, & legendis auctoribus obſervaverit; facile eius rationem & naturam comprehendet.

Ex his ergo, quae hactenus a nobis dicta ſunt, liquet, nos collectioni, quam rhetores quinque partibus conſtare dicunt, quinque alias concionatori maxime utiles

les & neceſſarias addidiſſe: nempe affectus, accommodationem, ſententias, epiphonemata, & prolepſim: quae tamen non omnes in omni argumentatione cadunt. Quae autem cadant, ex natura rerum, quas tractat, prudens concionator colligere poterit.

Harum autem partium cognitio mire utilis eſt. Ea namque admonetur concionator, ut, propoſitionem aliquam probaturus, primum ex locis, quos ante commemoravimus, rationes quaerat, praecipueque ex iis, quos intrinſecos appellari diximus. Deinde rationum confirmationes inveſtiget, quae ab extrinſecis potiſsimum locis oriuntur. Tertio loco, ſi natura rei exigat, exornationem adhibebit; quae non ad ſolam confirmationem, ſed ad quamvis aliam argumentationis partem, pertinet. Quarto, inſpecta diligenter rerum natura, de quibus dicit, videat, an materiam ei ad tractandos affectus, accommodationes, ſententias & epiphonemata ſuppeditent. Haec enim omnia ex ipſa rerum natura oriuntur: quemadmodum philoſophi, ex potentia materiae formam educi, aiunt.

Prolepſis vero, quae confutationis naturam refert, non ſolum ex natura rerum, quas dicimus, quando videlicet ex illis dubitandi materia naſcitur; ſed ex auditorum etiam ingeniis & conditione colligitur, quemadmodum paullo ante a nobis eſt dictum. Has autem figuras, quae ad eloquutionem pertinent, ideo cum inventionis praeceptis copulare voluimus, quoniam, ut paullo ante diximus, ex ipſis, ut ita dixerim, rerum viſceribus, de quibus dicimus, oriuntur: quarum materiam res ipſae concionatori dabunt, ſi eas penitius altiuſque conſideraverit. Quibus non gravabor exclamationem adiungere, quae etiam inter eloquutionis figuras numeratur, quae tunc aptiſsime cadit, quum ex ipſa rerum natura velut ſponte ſua incurrit; ut magis ab ipſa nata, quam dicentis ingenio adſcita, eſſe videatur.

CAP.

CAP. XV.

DE ELOQVVTIONIS GENERE, QVO argumentationes ſupra poſitae tractandae ſunt.

AD plenam abſolutamque partis huius tractationem hoc unum deſiderari videtur, ut, quando tum de inventione argumentorum, tum de formis earum diſſeruimus, quo eloquutionis genere, quibuſque dicendi figuris in argumentatione uti debemus, breviter aperiamus; ne quidquam ſit, quod ad huius doctrinae partem deſiderari poſsit. Qua de re ubi Fabius de ſyllogiſmis, ceteriſque argumentationum formis, multa dixiſſet, ſic in fine ait: (a) peregiſſe mihi videor ſacra tradentium artes, ſed conſilio locus ſupereſt. Namque ego ut in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando uti, nefas non duco; ita, conſtare totam, aut certe confertam eſſe aggreſsionum & enthymematum ſtipatione, minime velim.

Dialogis enim & dialecticis diſputationibus erit ſimilior, quam noſtri operis actionibus, quae quidem inter ſe plurimum differunt. Namque illi homines docti, & inter doctos verum quaerentes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidum confeſſumque perducunt, ut qui ſibi & inveniendi & iudicandi vindicent partes. Nobis ad aliorum iudicia, componenda eſt oratio, & ſaepius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros litterarum, loquendum eſt: quos niſi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & non numquam turbamus affectibus, ipſa, quae iuſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia: quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis, & crebris, & in unam prope formam cadentibus, conciſa, & contemtum ex humilitate, & odium ex quadam ſervitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis: non uti fontes anguſtis fiſtulis colligantur, ſed ut latiſsimi omnes totis vallibus, fluat,

(a) *Quintil. inſtit. lib. V. cap.* 14.

ac ſibi viam , ſi quando non acceperit , faciat.

Nam quid illa miſerius lege velut praeformatas infantibus litteras perſequentium , ut Graeci dicere ſolent, quem mater amictum dedit , ſollicite cuſtodientium ? Propoſitio , ac concluſio , ex conſequentibus & repugnantibus non inſpiret , non augeat , non mille figuris variet ac verſet ; ut ea naſci , & ipſa provenire natura, non manufacta , & arte ſuſcepta , magiſtrum fateri ubique videantur ? Quis umquam ſic dixit orator ? Nonne apud ipſum Demoſthenem pauciſsima huiuſmodi reperiuntur ? Quae apprehenſa Graeci magis , nam hoc ſolum nobis peius faciunt , in catenas ligant , & inexplicabili ſerie connectunt , & indubitata colligunt , & probant confeſſa , & ſe antiquis per hoc ſimiles vocant. Deinde interrogati , numquam reſpondebunt , quem imitentur. Sed de figuris alio loco.

Nunc illud adiiciendum , ne his quidem conſentire me , qui argumenta ſermone puro & dilucido & diſtincto , ceterum minime lato ornatoque putant eſſe dicenda. Namque ea diſtincta quidem ac perſpicua debere eſſe confiteor : in rebus vero minoribus etiam ſermone ac verbis quam maxime propriis , & ex uſu. At ſi maior erit materia , nullum ornatum his , qui modo non obſcuret , ſubtrahendum puto. Nam & ſaepe plurimum lucis affert ipſa translatio , quum etiam ipſi iuriſconſulti , quorum ſummus circa verborum proprietatem labor eſt , litus eſſe audeant dicere , qua fluctus alludit. Quoque quid natura magis aſperum , hoc pluribus condiendum eſt voluptatibus , & nimis ſuſpecta argumentatio diſsimulatione , & multum ad fidem adiuvat audientis voluptas. Niſi forte exiſtimamus , Ciceronem male in hac ipſa argumentatione dixiſſe : (a) ſilere leges inter arma , & gladium nobis interim ab ipſis porrigi legibus. His tamen habendus modus , ut ſint ornamento , non impedimento.

Hactenus de praecipua inventionis patte , hoc eſt , probban-

(a) *Cic. pro Milone.*

bandi ratione, & argumentorum formis, quae in commune dicenda videbantur, perſtrinximus: nunc conſequens eſt, ut in ſequenti libro de ratione amplificandi, quae huic finitima eſt, quaeque concionatoribus cum primis neceſſaria eſt, diſſerere incipiamus.

LIBER TERTIVS ECCLESIASTICAE RHETORICAE,

SIVE DE RATIONE CONCIONANDI: IN QVO DE AMPLIFICANDI RATIONE, & affectibus agitur.

CAP. I.

QVID AMPLIFICATIO AB ARGVMENTATIONE differat.

AMplificationem, quam inventionis partem esse constat, ab argumentatione, & probandi ratione, de qua hactenus loquuti sumus, secernere voluimus: non quod ab ea modis omnibus seiuncta sit, sed quod argumentatio ad omnia quaestionum genera latissime pateat: in quibus quaerimus, sitne res, an non sit, quid sit, qualis item sit, & cuius rei gratia talis sit, & multa his similia. Amplificatio autem ad certa quaestionum sive propositionum genera contrahitur in quibus de sola rei magnitudine & amplitudine quaeritur. Hoc est, quum ostendere nitimur, aliquid esse in genere suo vehementer indignum, calamitosum, laetum, triste, miserabile, amabile, detestabile, formidandum, vel optandum, & quae sunt eius generis. Hac enim ratione ad affectus concitandos, ad suadendum vel dissuadendum, ad laudandum aut vituperandum viam munimus: ad haec enim tria amplificandi ratio potissimum conducit.

Ita-

Itaqūe āmplificatio, velut argumentatio quaedam, ad certum genus contracta est. Differunt etiam hae duae orationis partes argumentorum tractatione. Argumentatio enim syllogismis utitur, hoc est, genere orationis in orbem quodam modo redacto, quamvis fusius orator, quam dialecticus, syllogismum tractet. Amplificationis autem oratio expositioni & enumerationi, quam argumentationi, similior est. Sic Paullus propositionem hanc, ministri Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus ego, laborum suorum enumeratione amplificat his verbis: (a) in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, & cetera, quae deinceps sequuntur. Postremo differunt etiam fine. Argumentationis enim est, fidem facere, & intellectum ad assensum vi argumentationis perducere. Amplificationis autem est, non solum intellectum convincere, ut rem esse in suo genere maximam credat, sed etiam voluntatem ad amandum vel detestandum, vel in quemvis alium affectum inducere.

Inventio autem earum rerum, quae ad amplificandum pertinent, ex eisdem locis, unde argumenta petuntur, sumenda est. Si enim amplificatio, ut paullo ante diximus, velut species quaedam argumentationis est; efficitur sane, ut utriusque inventio ex eisdem locis oriatur. Sed ex his tamen locis quaedam magis ad amplificandum valent, ea videlicet, quae multa in una aliqua re esse ostendunt. Vnde loci a partibus, a causis, ab affectibus, & quae his finitima sunt, nempe ab adiunctis, hoc est, antecedentibus & consequentibus, quae omnia exemplis, similibus, & scripturarum, vel sanctorum patrum testimoniis augentur & confirmantur. Quarum rerum exempla paullo post subiiciemus.

Verumtamen hoc in loco ad memoriam revocare necesse est, quod ante diximus, videlicet duplices esse propositiones, quae probantur vel amplificantur; hoc est, hypotheses aut theses, quae latine finitae aut infinitae dicuntur. Finita, sive hypothesis, est, si quis vel obedientiam

(a) 2. *Corinth.* 11.

Abrahae, filium immolare parantis, vel adulterium, a Davide Vriae uxori illatum, amplificare velit; utraque propositio finita erit, quae videlicet ad has tantum personas pertineat. Contra vero, si quis obedientiam in commune laudare, adulterium vituperare velit; propositio infinita erit, quae videlicet late ad omnia personarum genera pateat. Haec igitur propositio infinita, ex his praecipue locis, quos supra memoravi, argumenta, hoc est, amplificandi rationes, quaerit. Finita vero, quae circumstantiis implicita est, non modo ab his locis, sed ab omnibus etiam circumstantiis rem attollit & amplificat. Quae res in augenda peccatorum gravitate Theologis valde nota est: qui duplices esse circumstantias statuunt: alias, quae in infinitum peccata aggravent, & interdum etiam eorum speciem mutent; quas necessario in peccatorum confessione detegendas aiunt. Alias vero, quae citra infinitum aggravent; quae tamen non sint necessario confitendae. Hoc autem peccatorum exemplo, facile Theologi intelligent, quonam modo virtutum quoque officia, quae certis personis ac temporibus tribuuntur, ex circumstantiis quoque augenda & amplificanda sint, quum eadem contrariorum disciplina sit. Sed operae pretium erit, ut haec ipsa, quae diximus, propositis exemplis illustremus.

CAP. II.

A PARTIBVS AMPLIFICATIO.

A Partibus, prophetae variorum regnorum casus miserandos amplificant: qui, non contenti simplici oratione regni excidium & vastitatem indicasse, calamitates omnes enumerant, quas una illa vastatio complectitur. Sic Ieremias in Threnis (a) Ierosolymorum ruinam, sic etiam Babylonis eversionem cap. 50. & 51. amplificat. Sic etiam Ezechiel (b) Tyri, & AEgypti, & Assiriorum vastationem lamentatur: dum opes omnes horum regnorum, quae diripien-

(a) *Thren.* 1. (b) *Ezech.* 26. 27. *seqq.*

piendae erant, longa oratione enumerat. Sic etiam Ioab ſervorum Davidis beneficium, & intempeſtivas eius lacrimas hac ratione amplificat: (a) confudiſti hodie vultus omnes ſervorum tuorum, qui ſalvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. Hic aperte videmus rem ab eius partium enumeratione auctam.

Sic etiam Gregorius Theologus, homilia de ſeptem Machabaeis, matris eorum conſtantiam amplificat; quae, omnibus tormentorum generibus ante illam propoſitis, de gradu virtutis & conſtantiae depelli non potuit. Vnde ait: matris vero robur, animique conſtantiam nihil flectere & emollire ac debilitare potuit. Non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotae propoſitae, non exquiſitiſsima quaeque tormentorum genera, non ferrearum ungularum acies, non furentes beſtiae, non enſes, qui acuebantur, non ferventes ollae, non ignis, qui excitabatur, non miſcellanea turba, non urgentes ſatellites, non generis adſpectus, non membra, quae diſcerpebantur, non carnes, quae lacerabantur, non defluentes ſanguinis rivi, non flos aetatis, qui abſumebatur, non praeſentia mala, non impendentes acerbitates. Hactenus ille. Quo in loco a partibus, hoc eſt, ab enumeratione omnis generis tormentorum, mirabilem huius mulieris conſtantiam amplificavit.

Ad hunc etiam modum Lactantius Firmianus (b) dominicae crucis acerbitatem ex eius partibus, hoc eſt, ex cunctis eius membris ſauciatis, amplificat. Sic enim Chriſtum Dominum hoc modo loquentem inducit:

Vertice ad uſque pedes me luſtra, en adſpice crines
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpiniſque caput crudelibus hauſtum,
Vndique diva pluens vivum ſuper ora cruorem.
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictaſque genas: arentem ſuſpice linguam,

(a) 2. Reg. 19. (b) *Carmina ſunt incerti auctoris, Lactantio aliquando adſcripta.*

Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clavis fixas, tractoſque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, foſſoſque pedes, artuſque cruentos.
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Hactenus ille. Quo in loco vides totum, enumeratis partibus, quas integrantes appellant, amplificatum.

Magis enim rem auget ſingularum partium diſtincta enumeratio, quam confuſa totius rei propoſitio. Hac eadem ratione ſecundus de rerum copia commentarius hanc propoſitionem amplificat: rem omnem luxu perdidit. Eam ſententiam in ſumma comprehenſam, quaſique convolutam, hunc ad modum licebit evolvere, ſi plurimas poſſeſſionum formas enumeremus, & varias perdendae rei vias explicaverimus. Quidquid vel matris, vel patris nomine hereditate obvenerat, quidquid aliorum affinium morte contigerat, quidquid ex uxoris dote, quae quidem neutiquam erat vulgaris, acceſſerat, quidquid ex legatis accreverat, accreverat autem permultum, quidquid ex principis acceperat liberalitate, quidquid peculii caſtrenſis conflaverat: pecuniam omnem, vaſa, veſtes, fundos, agros, una cum ipſis villis & pecoribus: breviter, rem omnem ſeu mobilem, ſeu ſoli, denique familiam etiam ipſam in foediſsimis ſcortorum amoribus, quotidianis comeſſationibus, ſumtuoſis obſonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupediis, unguentis, alea, luſibus, paucis diebus ita abſumſit, abligurivit, abſorbuit, ut ne teruntium quidem ſibi reliquum fecerit. Hic duo illa verba, *rem omnem*, & *luxu perdidit*, ſuis partibus explicantur.

His igitur rationibus totum, enumeratione partium, quae ſub illo continentur, augetur. Totum autem appellamus, primum quod multas ſub ſe partes claudit, ut in hoc exemplo propoſito luxus; quae vox, quam multa in ſe vitia complectatur, explicatum eſt. Deinde totum appellamus, quod univerſale ſignum habet adiunctum, ut in eodem exemplo, rem omnem perditam, dicimus: in quo omnia, quae ſub illo univerſitatis ſigno continentur, enumeramus.

Hoc

Hoc dialectici descensum & ascensum appellant : quibus vel a toto ad singularium enumerationem, vel a singularibus ipsis ad totum argumentamur. Postremo totum appellamus, quod non singularibus rebus, sed partibus, quas dialectici integrantes vocant, complectitur. Cuius rei exemplum ex Lactantio proposuimus: ubicumque igitur totum aliquod ex his tribus generibus inciderit, si res ita exigat, hoc modo amplificari poterit. Exempla sunt vel negligenter attendentibus, in sanctis litteris, & sanctorum patrum scriptis, praesertim apud Chrysostom. & Gregor. Theol. passim obvia.

CAP. III.

AB ADIVNCTIS: HOC EST, ANTECEDENTIBVS, comitantibus, & consequentibus.

AB antecedentibus, quae sub adiunctorum ambitu continentur, rem amplificamus, quoties non contenti semel exitum rei protulisse, ex quo reliqua, quae praecesserunt, intelligi possunt, sed singulatim ea quoque commemoramus, per quae ad eum exitum perventum est. Huius praeceptionis in eodem commentario hoc proponitur exemplum. Ex ea virgine perditissimus & profligatissimus adolescens filium sustulit. Hanc sententiam ab antecedentibus sic & dilatare & amplificare licebit. Eam virginem, quod esset singulari forma, misere deperibat. Deinde, amoris impatiens, simplicem puellae animum promissis sollicitavit, muneribus corrupit, blanditiis deliniit, officiis in mutuum amorem pellexit, improbitate vicit, denique consuetudinem cum ea habuit. Aliquanto post tempore uterus virginis coepit intumescere, fetu videlicet concepto: demum puerum peperit. Aliud exemplum. Cicero Catilinae conatus oppressit. Eam sententiam hac ratione dilatare atque amplificare licebit. Catilinae nefarios conatus per iuvenes perditissimos, totius Romanae civitatis exitium atque internecionem molientes, M. Tullius Cicero consul sua

ſagacitate ſtatim odoratus eſt, ſingulari vigilantia perveſtigavit, ſumma prudentia deprehendit, miro in rempub. ſtudio prodidit, incredibili eloquentia convicit, graviſsima auctoritate repreſsit, armis exſtinxit, magna felicitate ſuſtulit.

Hac autem amplificandi ratione, ut ante diximus, in iis praecipue rebus uti poterimus, in quibus, explorata eius natura, multa alia praeceſsiſſe intelliguntur. Cauſae enim, ſive naturales, ſive morales, effectus ſuos antegrediuntur, per quas ad eos explicandos pervenimus. Hac autem ratione locum illum Luc. 2. tractare poterimus, reſponſum acceperat Simeon a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Ante hoc enim divinum reſponſum multa praeceſsiſſe credendum eſt. Nam primum vir ſanctiſsimus, divinae gloriae & ſalutis animarum amore incenſus, vehementer angebantur, quum univerſum paene mundum infidelitatis tenebris obrutum animadverteret, & in parvo illo Iudaeae angulo iuſtitiam paene exſtinctam, & pro vera religione ſuperſtitionem fere & hypocriſim dominari. Sciebat autem, ſummum tantorum malorum remedium in unius Salvatoris adventu poſitum eſſe, qui evangelii lumen ad revelationem gentium erat praelaturus. Clamabat igitur, & gemitibus inenarrabilibus eius adventum accelerari poſtulabat, ſciens ſcriptum eſſe: (a) qui reminiſcimini Dominum, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & ponat Ieruſalem laudem in terra.

His ergo ſancti viri precibus, his gemitibus, his continuis lacrimis pius & miſericors Dominus, qui (b) reſpicit orationem humilium, & non ſpernit preces eorum, hunc gratiſsimum & iucundiſsimum illi reſponſum dedit, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Hac item ratione beatiſsimi patris Dominici mentem atque propoſitum, quo praedicatorum ordinem in Eccleſia erigi poſtulavit, amplificare licebit. Neque enim hoc tam praeclarum inventum vir ſanctiſsimus excogitare potuit, ni-

(a) *Iſai.* 62. (b) *Pſalm.* 101.

niſi prius arderet, quaſi facula, animarum pereuntium zelo, multiſque ieiuniis, precibus & lacrimis hoc ipſum a Domino aſsidue poſtularet.

A comitantibus vero & conſequentibus rem amplificamus, quum ea, ſive mala, ſive bona, ſive commoda, ſive incommoda, quae rem aliquam ſemper aut frequenter comitantur aut conſequuntur, enumeramus. Vt ſi quis accuſare aliquem velit, quod is alicuius belli auctor exſtiterit, hoc modo eius temeritatem amplificabit. Exhauſtum in barbaros milites aerarium, fractam laboribus iuventutem, proculcatas ſegetes, abacta pecora, incenſos paſsim vicos ac villas, deſertos agros, everſa moenia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos ſenes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indigne conſtupratas, tot adoleſcentium licentia depravatos mores, tantum funerum, tantum luctus, tantum lacrimarum: praeterea extinctas artes, oppreſſas leges, obliteratam religionem, confuſa divina, humanaque omnia, corruptam civitatis diſciplinam. Vniverſum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello naſcitur, tibi uni feremus acceptum, ſi quidem belli fueris auctor.

Eſt autem hic a comitantibus & conſequentibus locus mire utilis, vel ad virtutes ex iis, quae illis conveniunt, amplificandas, vel ad vitia quoque exaggeranda, quum ea mala, quae ab illis proficiſcuntur, enumeramus. Qui quidem locus, ab eo, qui eſt ab effectibus & adiacentibus, oriri videtur. Eſt autem haec amplificandi ratio concionatori valde neceſſaria, praeſertim quum ad virtutis ſtudium & amorem hortatur, aut a vitiis deterret: quod ad genus ſuaſorium vel diſſuaſorium pertinet. Sic D. Cyprianus, ſermone de zelo & livore, invidiae virus elegantiſsime exaggerat his verbis: late patet zeli multiplex & fecunda pernicies, radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum: inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis non poteſt ſuo eſſe contentus, videns alterum ditiorem: ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in ho-

honoribus altiorem. Hinc dominicae vinculum pacis rumpitur, hinc caritas fraterna violatur. Hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, atque in haereſes & ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur ſacerdotibus, dum epiſcopis invidetur, dum quis queritur, aut ſe non ordinatum, aut indignatur, alterum ſe ferre praepoſitum. Hactenus ille.

Ab his autem tribus locis, nempe ab antecedentibus, comitantibus, & conſequentibus, Oſorius epiſcopus humanae vitae miſeriam elegantiſsime deſcribit his verbis: quam gravis & acerba ſit humanae vitae conditio, quam multis incommodis agitata, nemo poterit vel explicando conſequi, vel enumerando percenſere. Vt enim a natali cuiuſque die capiamus exordium, omneſque vitae partes oratione perſtringentes, ad exitum tamdem illius veniamus, horam nullam videbimus aut dolore vacuam, aut labore ſolutam, aut metu liberam; ſed omnem aetatem infinitis difficultatibus affectam, & ſummis curis & angoribus implicatam.

Vitae namque principium a fletu ducimus, devinctiſque membris omnibus, in terram abiecti, labores immenſos ploratibus auſpicamur. Quum autem reliqua animantia praeſidiis naturae tecta atque veſtita in lucem prodeant, ſolum hominem nudum, & ab omnibus rebus inopem, cernimus, atque miſerabiliter impeditum in vitae primordio vagientem, ſtatuſque ſui miſeriam in ipſo ſtatim initio lamentantem. Quis autem poterit morborum vim & multitudinem, qui in illam naturam teneram, & imbecillam confeſtim incurrunt, oratione complecti? Quae cura nutrices, quae ſollicitudo parentes afficiat? Quae pericula ſint pueris infantibus primis illis menſibus intenta? Iam vero quum aetate progreſsi, metu & cupiditate magis atque magis turbari incipiunt; omnia mala, quae minus antea ſentiebant, fiunt eis quotidie graviora. Quum autem ad pubertatem perveniunt, tunc ingens vis tempeſtatis exſiſtit, quae miſeros homines exagitat, nec eos ullo in loco conſiſtere patitur.

Hinc enim acerbi amores invadunt, inde turbulenta

diſsidia ſtatum animi convellunt. Quid quum amariſsimae voluptates, multis doloribus emtae, nervos omnes incidunt? Quid quum dolores admoti totum hominem impetu proſternunt? Quid deinde quum adulta aetate dominandi libido imflammat animum? Quid quum invidia eumdem conficit atque conſumit? Adde, ſi lubet, nuptiarum moleſtias, familiae labes, vitae ſollicitudines, fori contentiones. Adde lubricam amicorum fidem, ſociorum proditiones, rerum civilium turbines atque procellas. Quid autem ipſius aetatis extremae morbos atque moleſtias, & corporis exhauſti deformitatem referam? Quid denique cadaveris ipſius horrificam ſpeciem commemorem? Eſt ne aliquid in vita vel odore tetrius, vel adſpectu truculentius, vel contagio peſtilentius? Sic igitur in ſumma vitae brevitate, vis ingens malorum circumquaque volitat: laborem labor excipit, dolor ex dolore nectitur, maerorem atque luctum gravior quidam luctus ſaepe conſequitur. Vnde colligitur, nihil eſſe in terris homine calamitoſius. Hactenus Oſorius. In hoc autem exemplo primum quidem ab humanae vitae partibus, ſuo ordine deſcriptis, deinde ab adiunctis unicuique parti miſeriis tota res amplificatur.

CAP. IV.

A CAVSIS RERVM AMPLIFICATIO.

A Cauſis D. Baſilius paſsionis ac doloris magnitudinem ſanctorum quadraginta martyrum amplificat, diligenter cauſas omnes, quae dolorem illum augere poſſent, ob oculos ponens. Quum enim, inquit, (a) tyrannus, martyrum conſtantiam & reſpondendi libertatem vidiſſet, in iram excanduit: expendebatque ſecum, quamnam machinam excogitaret, ut longam ſimulque amaram ipſis mortem conſtrueret. Invenit itaque, & videte quam gravem. Quum enim conſideraſſet regionis naturam, quod frigore horrida eſſet, & anni tempus, quod hibernum: obſerva-

ta

(a) *Homil.* 40. *init.*

ta nocte, in qua maxime malum ipſum augeſceret, & alias tunc aquilo in ipſa ſpiraret, iuſsit omnes denudatos ſub dio in media urbe congelatos mori. Noviſtis autem omnes, qui hiemem experti eſtis, quam intolerabilis ea tormenti ſpecies exſiſtat. Neque enim poſsibile eſt, aliis ipſam demonſtrari, quam iis, qui iam experimento exempla eius apud ſe repoſita habent. Nam corpus, frigori expoſitum, primum quidem totum lividum eſt, ſanguine congelato. Deinde agitatur ac efferveſcit; dentes colliduntur, fibrae convelluntur, & tota moles involuntarie contrahitur.

Dolor autem quidam acris, & afflictio inenarrabilis, uſque ad medullas ipſas progrediens, intolerabilem facit his, qui congelantur, doloris ſenſum. Deinde extremitates ipſius amputantur, quum extremae partes velut ab igne exurantur. Caliditas enim ab extremis corporis fugata, & ad profundum diffugiens, partes, a quibus diſcedit, mortuas relinquit: eas vero, ad quas detruditur, doloribus affligit, morte paullatim per congelationem procedente. Tunc itaque ſub dio pernoctare condemnati ſunt, quando ſtagnum, circum quod urbs habitatur, in qua hoc certamen ſancti decertarunt, velut planities aliqua ad agitandos equos, expoſitum erat: quum glacies ipſum tranſmutaſſe, & per frigus ad continentem ac firmam terram redactum, accolis ſecuram ſuper dorſum viam exhibebat. Fluvii vero perpetuo fluentes, glacie ligati, a fluxu ceſſarant; teneraeque aquae natura ad lapidum duritiam tranſmutata erat. Acres autem aquilonis flatus omne animatum ad mortem urgebant. Tunc itaque ubi mandatum audiviſſent, vide mihi, virorum hic inſuperabilem conſtantiam, cum gaudio, abiecta etiam poſtrema tunica, unuſquiſque ad mortem per frigus procedebant, velut ad ſpolia diripienda ſe mutuo inhortantes. Hactenus Baſilius: qui hac ratione, cauſis omnibus doloris explicatis, doloris magnitudinem, ac proinde martyrum conſtantiam, exaggeravit.

§. I.

§. I.

AB EFFECTIBVS AMPLIFICATIO.

AB effectibus autem, qui interdum conſequentibus, vel comitantibus adnumerantur, frequentiſsime rem amplificamus, quum omnem, ut ita dicam, eius ſobolem & fecunditatem ob oculos ponimus. Hoc modo D. Bernard. conſiderationis ſtudium ex fructibus, quos illa parit, commendat. Sic enim ait: primum quidem conſideratio ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Poſtremo divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Conſideratio eſt, quae confuſa diſcriminat, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, verum inveſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Haec eſt, quae agenda praeordinat, acta recogitat, in proſperis adverſa praeſentit, in adverſis quaſi non ſentit. Hactenus ille.

Hoc autem loco ab effectibus ducto, quo commoda aut incommoda, quae ex rebus conſequuntur, enumeramus, cum alias, tum maxime in ſuaſoriis & diſſuaſoriis concionibus utimur. Ex iis namque rem, de qua agimus, vel eſſe amplectendam, ſi ſuademus, vel fugiendam, ſi diſſuademus, probare contendimus.

§. II.

DE AMPLIFICATIONE A COMMVNIBVS LOCIS, & circumſtantiis ſimul.

PLeniſsima tamen amplificatio eſt, quae a locis, quos ſupra recenſuimus, ſimul & ab omnibus rerum & perſonarum circumſtantiis proficiſcitur. Eius commodiſsimum exemplum exſtat apud D. Thom. 3. *part. quaeſt.* 46. in quo, dominicae paſsionis dolorem omnium maximum fuiſſe, ex omnium partium & cauſarum & circumſtantiarum enumeratione probat.

Eſt

Eſt autem hoc ipſum exemplum commodiſsimum, quodque apertiſsime, quaecumque hactenus diximus, declarat. In quo etiam manifeſte apparet, amplificationem eſſe argumentationem quamdam, qua idem ſanctus doctor hanc propoſitionem probat, nempe dominicae paſsionis dolorem fuiſſe omnium maximum. Itaque ſtudioſum lectorem ad hoc exemplum remitto.

Eadem ratione mundi converſionem, per apoſtolos factam, cum ex locis, quae ante commemoravimus, tum ex rerum & perſonarum circumſtantiis amplificamus. Ex perſona quidem apoſtolorum, quod exigui numero, genere infimi, lingua barbari, armis, opibus, & potentia, atque terrena ſapientia deſtituti, quique profiterentur, ſe nihil ſcire, niſi Chriſtum, & hunc quidem ſupplicio crucis affectum. A re vero, quod ea praedicarent, quae eſſent ad agendum aſpera, multoque magis ad credendum difficilia: nempe hominem, inter latrones crucifixum, eſſe ſummum Deum, rerum omnium conditorem, & alia, quae de beatiſsima Trinitate, & ſacra Euchariſtia, & corporum reſurrectione fides noſtra praedicat. Praemia vero, quod ad moventis cauſae rationem pertinet, vix ulla in hac vita proponebant, niſi vincula, verbera, exſilia, bonorum proſcriptiones, mortes, & cruciatus religionis gratia ſuſtinendos. Contra vero ex perſequentium perſonis rei magnitudo augetur: quod eſſent reges, imperatores, populi, nationes, ac poſtremo omnes omnium ordinum homines. Sed quonam modo? Ferali crudelitate, immani odio, & incredibili furoris impetu. Patres etiam in filios, & viri in uxores atrociſsime ſaeviebant.

Sed quibus machinis & inſtrumentis adverſus illos dimicabant? Hoc D. Cyprianus explicat his verbis: innoxios, iuſtos, Deo caros, domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignibus punis. Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia: nec feritas & immanitas tua uſitatis poteſt contenta eſſe tormentis. Excogitat novas poenas ingenioſa crudelitas. Sed videamus

ta-

tamen, quid iis tot machinis atque tormentis mundus profecerit. Tantum abeſt, ut virtutem ſanctorum, apoſtolorum atque martyrum infringere potuerit; ut vinctas illis manus porrexerit, atque, idolorum templis everſis, Chriſti crucem adoraret, eius paupertatem & patientiam imitari, & omnes mundi opes atque divitias & carnis oblectamenta reſpuere, & cruciatus omnes propter Chriſti amorem amplecti coeperit. Hoc exemplo cernere licet, quantum ad res inſignes amplificandas conducat, varias, tum rerum, tum perſonarum, circumſtantias diligenter excutere.

Simili ratione D. Chryſoſtomus ex omnibus circumſtantiis, diligentiſsime congeſtis, calamitatem ſancti patriarchae Iacob exaggerat, quum ei Ioſeph filii mors a ceteris filiis nuntiata eſſet. Sic enim ait: quum autem adoleviſſet amantiſsimae uxoris filius, ſolarique illius deſiderium huius praeſenti & iugi contubernio ſperaret, tunc ſibi multiplices parantur clades: fratres enim illius, tunicam intinctam ſanguine patri oſtendentes, vario illum luctu confecerunt. Neque enim ſolam lugebat mortem, ſed ipſum quoque mortis genus: plurimaque erant, quae illius animum confunderent; quod amatae illius coniugis filius, quod melior reliquis, quod maxime dilectus, quod in ipſo aetatis flore, quod ab eo miſſus, quod nec in domo, neque in lecto, nec patre coram aſsiſtente, nec dicens aliquid & audiens, quod non communi morte omnium, quod vivens a ferarum immanitate diſcerptus fuerat, quod ne reliquias quidem illius reperire poterat, & humo condere: iſta illi non in iuventute contigiſſent, quando melius ferre potuiſſet, ſed in ſenectute ultima. Erat miſerandum omnino ſpectaculum, videre canos verendos pulvere foedatos, ſimileque pectus diſciſa tunica nudatum, lamentaque admittentia conſolationem nullam: (a) ſcidit enim, inquit, Iacob veſtimenta ſua, & circumpoſuit cilicium lumbis ſuis, lugebatque filium diebus plurimis. Hactenus Chryſoſtomus: qui in excutiendis omnibus circumſtantiis mirus artifex eſt.

(a) *Geneſ.* 37.

Si quis autem appoſitiſsima, & elegantiſsima huius amplificationis exempla videre cupit, legat eiuſdem ſancti patris ſecundum & tertium de providentia libros, in quibus, ut Stagiritem, monachum arrepticium, conſolaretur, ſanctorum patriarcharum Noë, Abrahae, Iacob, Moſi ac Davidis labores & calamitates & perſequutiones, expoſitis & amplificatis omnibus perſonarum & rerum circumſtantiis, divina quadam orationis ubertate & facundia exaggerat. His namque exemplis multo magis, quam artis praeceptionibus, concionator amplificandi rationem, quae maxime ad omnia valet, adiicere poterit.

Ceterum quae hactenus dicta ſunt, ad inveniendi rationem pertinent: hoc eſt, unde argumenta ſumi debeant, quibus, quod volumus, amplificare valeamus. His autem varias amplificandi rationes adiungemus, quas Quinctilianus enumerat, quae huius loci propriae eſſe videntur.

CAP. V.

DE MODIS AMPLIFICANDI ex Quinctiliano.

PRima eſt igitur amplificandi vel minuendi ſpecies, in ipſo rei nomine, ut quum eum, qui ſit caeſus, occiſum: eum qui ſit improbus, latronem; contraque eum, qui pulſavit, attigiſſe; qui vulneravit, laeſiſſe dicimus. Haec autem prima amplificandi ratio ad hyperbolem pertinere videtur, de qua ſuo loco dicemus, quae rebus dare ſolet excedentia fidem nomina. Quod maxime naturale & uſitatum eſt his, qui aliquid augere aut minuere conantur; ut ſupra, vel citra id, quod res habet, oratio feratur.

Hoc autem genus increſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus, pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur. Vt Cicero in Verrem: (a) non enim

(a) *Accuſ. lib. III.*

enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque; non ſiccarium, ſed crudeliſsimum carnificem civium, ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus. Illo enim modo, ut ſit multum, hoc etiam plus ut ſit, efficitur.

Quattuor tamen maxime generibus video conſtare amplificationem, incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementum eſt potentiſsimum, quum magna videntur, etiam quae inferiora ſunt. Id aut gradu uno fit, aut pluribus: per id venitur non modo ad ſummum, ſed interim quodam modo ſupra ſummum. Omnibus his ſufficit vel unum Ciceronis exemplum: (a) facinus eſt, vincire civem Romanum; ſcelus, verberare; prope parricidium, necare: quid dicam, in crucem tollere? Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt. Nam etſi tantum verberatus eſſet, uno gradu increverat, ponendo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius. Et ſi tantum occiſus eſſet, per plures gradus adſcenderat. Quum vero dixerit: prope parricidium necare, ſupra quod nihil eſt; adiecit: quid dicam, in crucem tollere? Ita quum id, quod maximum eſt, occupaſſet; neceſſe erat, in eo, quod ultra eſt, verba deficere.

Hac autem amplificandi ratione in iis rebus uti poſſumus, quae multa etiam in eodem genere magna ſub ſe comprehendant: quale eſt admirandum atque omni laude praedicandum redemtionis noſtrae beneficium. Magnum eſt enim, quod propheta quoque miratur, quum ait: (b) quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Maius autem, quod Moſes inauditum ab exordio mundi fuiſſe ait, ut populus Deum audiret de medio ignis ad homines loquentem, & caeleſtibus ipſum praeceptis imbuentem. Quod ſi hoc adeo magnum & mirabile eſt; quid erit, Deum ipſum propter hominum ſalutem mortale corpus induere, cum hominibus in terra verſari, ab hominibus vinciri, caedi & re-

(a) *Accuſ. in Verrem, lib. VII.* (b) *Pſalm.* 8.

probari? Quid vero in crucem inter maleficos & ſceleratos homines ſuſpendi? Hanc tantam divinae bonitatis dignationem quae vis orationis pro meritis amplificare queat?

Fit & aliter ſupra ſummum adiectio: ut apud Virgilium de Lauſo: (a)

..... *quo pulchrior alter*
non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum eſt enim, quod pulchrior alter non fuit. Huic deinde aliquid ſupra poſitum eſt.

Tertius quoque eſt modus, ad quem non per gradus itur; ut quod non eſt plus, quam maximum, ſed quo nihil maius eſt: matrem tuam occidiſti. Quid dicam amplius, matrem tuam occidiſti? Nam & hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere, ut non poſsit augeri.

Creſcit oratio minus aperte, ſed neſcio an hoc ipſo efficacius, quum citra diſtinctionem in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, ut de vomitu Antonii Cicero: (b) tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet, in populi Romani conſpectu vomere poſtridie... Si inter coenam in tuis immanibus illis populis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit. Singula incrementum habent: per ſe enim deforme erat, vel non in coetu vomere, in coetu etiam non populi, populi etiam non Romani, vel ſi nullum negotium ageret, vel ſi non publicum, vel ſi non magiſter equitum. Sed alius divideret haec, & circa ſingulos gradus immoraretur: hic in ſublime etiam currit, & ad ſummum pervenit, non nixu, ſed impetu.

Verum ut haec amplificatio in ſuperiora tendit, ita, quae fit per comparationem, incrementum ex minoribus pe-

(a) *AEneid. lib. VII. verſ. fin.* (b) *In M. Antonium Philip. II.*

petit. Augendo enim quod est infra, necesse est, ut extollat id, quod supra positum est. Haec autem amplificandi ratio ab imparium comparatione sumitur, quae dialectici argumenta a minori vel maiori ducta vocant: nisi quod quum argumenta sunt, probant aliquid, hic vero probando amplificant, &, rem maiorem esse, demonstrant. Hac autem amplificandi ratione qui dicit, pictorum artem atque sollertiam imitatur; qui ubi insignem aliquem colorem eminere inter ceteros volunt, alium ei substernunt, qui illum magis conspicuum reddat.

Ad hunc ergo modum qui dicit, exempla & similia requirit: quorum comparatione res, quam attollere cupit, maxima videatur. Huius rei exempla in litteris sanctis passim reperiuntur. Sic enim Dominus apud Ieremiam, (a) exemplo Rechabitarum, populi sui intemperantiam & inobedientiam amplificat. Idemque apud eumdem, eiusdem populi perfidiam acri & figurata oratione, gentilium exemplo, amplificat, quum ait: (b) transite ad insulas Cethim, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est huiuscemodi, si mutavit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt Dii, populus autem meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite caeli super hoc, &c. Sic etiam Dominus, Iudaeorum caecitatem & ingratitudinem, exemplo Ninivitarum, & reginae Sabaeorum, declarat, praesertim quum personae circumstantiam subdit: (c) ecce plusquam Ionas hic. Et: (d) ecce plusquam Salomon hic.

Illud autem in huiusmodi comparationibus curandum, ut utriusque partis circumstantias, quae rem attollere possunt, diligenter excutiamus. Non solum enim tota totis, sed etiam partes partibus comparantur. Sic in Catilinam Cicero: (e) an vero vir amplissimus Scipio, pontifex maximus, Tiberium Graccum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam vero, orbem terrae caede atque incendio vastare cupientem, nos con-

(a) *Ierem.* 35. (b) *Ierem.* 2. (c) *Matth.* 12. (d) *Ibidem.* (e) *Orat. I.*

ſules perferemus? Hic & Catilina Graccho, & ſtatus reipublicae orbi terrarum, & mediocris labefactatio caedi, incendiis & vaſtationi; & privatus conſulibus comparatur: quae ſi quis dilatare velit, plenos per ſingula locos habent.

Sic D. Cyprianus (a) hoc argumentum, a minori ductum, nempe, ſi Dominus delinquentem ſervum punit, cur Deus de peccante homine ſupplicium non ſumat; collatis circumſtantiis, hoc modo amplificat. Ipſe de ſervo tuo exigis ſervitium; & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & quum ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio una moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, aequali iure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtmodum recedatur: tamen niſi pro arbitrio tuo tibi ſerviatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus, & nimius ſervitutis exactor, flagellis verberas; fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro & carcere, affligis & crucias, & non agnoſcis Dominum Deum tuum, quum ſic exerceas ipſe dominatum. Hactenus Cyprianus.

Hac eadem amplificandi ratione, & virtutes virtutum, & vitia vitiorum comparatione, ex omnibus circumſtantiis amplificare ſolemus. Ad hunc enim modum idem Cyprianus, gravius ſchiſmaticorum, quam lapſorum, hoc eſt, eorum, qui idolis ſacrificarent, crimen eſſe, demonſtrat his verbis: peius hoc crimen eſt, quam quod admiſiſſe lapſi videntur: qui tamen, in poenitentia criminis conſtituti, Deum plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hic Eccleſia quaeritur & rogatur, illic Eccleſia impugnatur. Hic poteſt neceſsitas fuiſſe, illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi tantum nocuit, illic qui haereſim vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hic animae unius eſt damnum, illic periculum plurimorum. Certe, peccaſſe ſe, & hic intelligit, & lamentatur, & plangit: ille, tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſuis delictis placens, a matre filios ſegregat, & oves a paſtore ſollicitat, & Dei ſacramenta diſturbat. Et quum

la-

(a) *Contra Demetr.*

lapſus ſemel peccaverit, ille quotidie peccat. Poſtremo lapſus, martyrium conſequutus, poteſt regni promiſſa percipere: ille, ſi extra Eccleſiam fuerit occiſſus, ad Eccleſiae non poteſt praemia pervenire.

Eſt & alius amplificandi modus, cui Fabius ratiocinationis nomen impoſuit:(a) quod videlicet haec amplificatio, alibi poſita, alibi valeat; &, ut aliud creſcat, aliud augetur: atque inde ad id, quod extolli volumus, ratio deducitur. Obiecturus Antonio Cicero merum & vomitum, (b) tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem? Minime ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad haec poſſumus aeſtimare, quantum ille vini in Hippiae nuptiis exhauſerit, quod ferre & concoquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo ſi ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inuſitatum nomen eſt ratiocinationis... qua ex inſequentibus amplificatio ducitur. Siquidem tanta vis fuit vini erumpentis, ut non caſum afferret aut voluntatem, ſed neceſsitatem, ubi minime deceret, vomendi, & cibus non recens, ut accidere interim ſolet, redderetur, ſed qui uſque in poſterum diem redundaret.

Idem hoc praeſtant, quae anteceſſerunt. Nam quum AEolus a Iunone rogatus, (c)

..... *cavum converſa cuſpide montem*
impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,
qua data porta, ruunt;

apparet, quanta ſit futura tempeſtas.

Huc etiam pertinet, quum res atrociſsimas, quaſque in ſummam ipſi extulimus invidiam, elevamus conſulto, quo graviora videantur, quae ſequutura ſunt, ut a Cicerone factum eſt, quum diceret: (d) levia ſunt haec in hoc reo crimina: metum virgarum navarchus nobiliſsimae civitatis pretio redemit, humanum eſt: alius, ne ſecuri feriretur, pecuniam dedit, uſitatum eſt. Non vult populus

(a) *Inſtit. lib. VIII. cap. 4.* (b) *In M. Ant. Philip. II.* (c) *AEneid. lib. I.* (d) *Accuſ. in Verrem, lib. V.*

Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem: nova poſtulat, inaudita deſiderat; non de praetore Siciliae, ſed de crudeliſsimo tyranno fieri iudicium arbitratur. Hoc in loco Cicero ratiocinatione uſus eſt, qua colligerent audientes, quantum illud eſſet, quod inferebatur, cui comparata haec, humana viderentur, atque uſitata. Hoc quidam conceſsionem vocant: quum is, qui dicit, iniquum aliquid pati atque concedere videtur, ut quae deinde dicturus eſt, graviora appareant.

Sic D. Cyprianus contra Chriſti hoſtem Demetrianum, parum eſt, inquit, quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita veſtra maculatur, quod ſuperſtitionibus falſis religio vera ſubvertitur: adhuc inſuper Dei ſervos, & maieſtati ac nomini eius dicatos, iniuſtis perſequutionibus flagellatis. Satis non eſt, quod tu ipſe Dominum non colis: adhuc inſuper eos, qui colunt, ſacrilega infeſtatione perſequeris? Hic augendi modus diſſimili ratione idem efficit, quod incrementum, de quo ſuperius diximus. In incremento enim magna facinus, quae anteceſſerunt; ut maius appareat, quod deinde augere volumus. Hic autem, quae vere maxima ſunt, levia facimus & extenuamus, ut eorum comparatione longe maius eſſe videatur, quod amplificare volumus. Sic etiam (a) ſolet ex alio aliud augeri, ut quum Annibalis bellicis laudibus, ampliatur virtus Scipionis; & fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo ſit maior C. Caeſaris gloria.

Illud quoque eſt ex relatione ad aliquid, quod non eius rei gratia dictum videtur, amplificationis genus. Tale eſt illud: (b) non putant indignum Troiani princeps, Graios, Troianoſque propter Helenae ſpeciem tot mala, tanto temporis ſpatio ſuſtinere. Quaenam igitur illa forma credenda eſt? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit, non aliquis iuvenis, aut unus e vulgo, ſed ſenes, & prudentiſsimi, & Priamo aſsidentes. Verum & ipſe rex, decenii bello exhauſtus, amiſsis tot liberis, imminente ſummo

diſ-

(a) *Quinctil. inſtit. lib. VIII. cap. 4.* (b) *Homer. Iliad. lib. III.*

diſcrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrimarum origo fluxiſſet, inviſam atque abominandam eſſe oportebat, & audit haec, & eam filiam appellans, & iuxta ſe locans, & excuſat etiam, atque ſibi eſſe malorum cauſam negat. .....Quin ex inſtrumento quoque heroum illorum magnitudo aeſtimanda nobis datur. Ad hoc pertinet Clypeus Aiacis,(a) & haſta Achillis.(b) Qua virtute egregie eſt uſus in Cyclope Virgilius:(c) nam quod illud corpus mente concipiam, cuius trunca manum pinus regit? Quid? quum vix loricam duo multiplicem connixi humeris ferrent; quantus Demoleos, qui, indutus eam, (d) curſu palantes Troas agebat? Ad hunc autem modum in lib. Reg. (e) proceritas corporis & fortitudo Goliae ex haſta eius, quod eſſet quaſi liciatorium texentium, & lorica, quae erat quinque millium ſiclorum ponderis, demonſtratur. Et Deuter. 3. eadem corporis proceritas regis Baſan, ex ferrei lecti eius magnitudine, qui novem cubitos longitudinis, & quattuor latitudinis haberet, oſtenditur. Haec autem corporum & virium amplificatio, aliam quoque parit amplificationem, nempe Davidis, qui Goliam interfecit, & Iſraëlitici populi, immo divinae virtutis, qua is regem adeo potentem ſuperavit. Eſt hoc ſimile illi, quae emphaſis dicitur, ſed illa ex verbo, hoc ex re coniecturam facit; tantoque plus valet, quanto res ipſa verbis eſt firmior.

Poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque verborum ac ſententiarum idem ſignificantium. Nam etiamſi non per gradus aſcendant, tamen velut acervo quodam allevantur. Tale eſt illud Ciceronis: (f) quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie pharſalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Simile eſt hoc figurae, quam Synathriſmum vocant. Sed illic plurium rerum eſt congeries, hic unius multiplicatio. Haec etiam creſcere ſolet, verbis omnibus altius atque altius inſurgentibus: (g)aderat ianitor car-

(a) *Hom. Iliad. lib. VI.* (b) *Iliad. XVI.* (c) *AEneid. lib. III.* (d) *AEneid. lib. V.* (e) 1. *Reg.* 17. (f) *Pro S. Roſcio Amerino.* (g) *Cic. in Ver. VII.*

carceris, carnifex praetoris, mors terrorque ſociorum, & civium Romanorum, lictor Sextius.

Eadem fere eſt ratio minuendi: nam totidem ſunt aſcendentibus, quot deſcendentibus gradus. Scio poſſe videri quibuſdam ſpeciem amplificationis, hyperbolem quoque. Nam & haec in utramque partem valet, ſed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda eſt. Facit etiam ad vim & amplitudinem rerum oſtendendam aſſeveratio: quum vel adverbiis, vel nominibus, vel aliis partibus appoſitis amplificamus, vel in laudem, vel in vituperium. Maiorem in modum me Senecae lectio delectat. Dici non poteſt quam tibi faveat ſocer. Verbis conſequi nequeo, quam me delectet Cicero. Notus & uſitatus eſt & ille modus amplificandi, quum ſpeciem augemus generi collatam. Vt quum omnes diſciplinae liberales plurimum homini concilient vel ornamenti vel commodi, tum in primis philoſophia.

Haec fere rhetores de ratione amplificandi, cuius praecepta propoſitis exemplis apertiora & illuſtriora fiunt. Quae ſtudioſus concionator legendis ſacris doctoribus, atque his praecipue, qui eloquentiae laude floruerunt, quales fere Graeci ſunt, obſervare debet: ut hac virtute, quae praecipua in dicendo eſt, plurimum valeat. Eius autem praeceptionis, quam Fabius (a) ratiocinationem vocat, quae quum aliud dicat, alio tendat, tria commodiſsima exempla apud Ezechielem invenies. Amplificaturus enim caſum & ruinam Tyri, primum eius gloriam, immenſas opes, & emporii celebritatem cap. 27. longa & magnifica oratione amplificat. Simili ratione cap. 31. regni Aſſyriorum vaſtationem praenuntiaturus, primum quidem gloriam extollit: ſimilique ordine cap. ſequenti AEgypti everſionem amplificat. Eademque ratione, verbiſque ſplendidiſsimis, Iſraëlitici populi ingratum animum & ſcelera exaggerat, divinis beneficiis primum longa oratione enumeratis. Sic enim cap. 16. populum ſuum Dominus ſub mulieris nomine alloquitur: tranſiens per te, vidi, te con-

cul-

(a) *Inſtit. lib. VIII. cap. 4.*

culcari in ſanguine tuo : & dixi tibi, quum eſſes in ſanguine tuo, vive. Multiplicatam quaſi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta : & cetera, quae ſequuntur. Simili quoque modo Nathan propheta (a) Davidis adulterium accuſavit, divinis beneficiis, quae in illum Dominus contulerat, primum expoſitis. Sed his exemplis prophetarum libri pleni ſunt.

CAP. VI.

DE RERVM DESCRIPTIONIBVS.

QVemadmodum quum de argumentorum inventione diceremus, formas etiam argumentationum, quae ad eloquutionem magis pertinere videbantur, expoſuimus, ut quae ſimul in oratione coëunt, ſimul etiam ab arte traderentur : ita nunc quum de locis, unde omnis amplificandi inventio petatur, dictum a nobis ſit, figuras etiam, quae amplificationi maxime deſerviunt, quae ad eloquutionem magis ſpectant, his locis adnectere voluimus : ut res inter ſe finitimae ſimul collocarentur ; & concionator, ubi aliquid amplificare voluerit, & quid dicere, & quemadmodum dicere debeat, in proſpectu habeat. Inter ea vero eloquutionis ornamenta, quae amplificationi deſerviunt, rerum & perſonarum deſcriptiones praecipue numerantur : quae quamvis ad alia quoque valeant, ſaepe enim huiuſmodi deſcriptiones delectationis gratia adhibentur ; frequentiſsimus tamen earum uſus in re amplificanda & exaggeranda eſt. Quum enim amplificatio ad commovendos affectus inſtituta ſit, nihil hos magis excitat, quam ſi ita res verbis exprimatur, ut non tam dici, quam geri, & ante oculos poni videatur. Conſtat enim, affectus omnes, rei magnitudine ante oculos poſita, potiſsimum concitari. Quod quidem tum rerum, tum perſonarum deſcriptionibus fit. De quibus iam iam dicere incipiemus.

DE-

(a) 2. *Reg.* 12.

DESCRIPTIO REI.

DEſcriptio eſt, quum id, quod fit, aut factum eſt, non ſummatim aut tenuiter exponimus, ſed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus, ut auditorem ſive lectorem, iam extra ſe poſitum, velut in theatrum avocet. Hanc, ab effingenda rerum imagine, Graeci vocant hypothypoſin. Etiamſi vocabulum hoc commune eſt, quoties aliquid oculis ſubiicitur. Hoc autem genus praecipue conſtat circumſtantiarum explicatione, earum praeſertim, quae rem oculis maxime ſubiiciunt ac moratam reddunt narrationem: hoc eſt, quae ſingularum perſonarum affectus, mores & ingenium oſtendunt. Non mediocriter tamen adiuvatur collationibus, ſimilibus, diſsimilibus, imaginibus, metaphoris, allegoriis, & ſi quae praeterea ſunt figurae, quae rem illuſtrant. Quin epitheta quoque in hunc uſum plurimum valent. Verum ut iſta probe exprimas, non modo confert ars & ingenium, verumetiam oculis ſpectaſſe, quae velis effingere, aut ipſis interfuiſſe, aut etiam, ſi natura rei ita ferat, in perſona ſua expertum fuiſſe. Vt ſi quis hominis in agone mortis conſtituti, & de ſalute ſua ſolliciti, & peccatorum conſcientia anxii, trepidationem & maerorem deſcribere vellet, non parum conduceret, hoc ipſum periculo & experimento ſuo didiciſſe.

Hoc modo Gregorius Theologus vitae contemplativae tranquillitatem & felicitatem, quam expertus ipſe fuerat, his veluti coloribus in Apologetico depingit. Nihil enim mihi fortunatius eo homine eſſe videtur, qui, clauſis compreſsiſque corporis ſenſibus, atque extra carnem mundumque poſitus, in ſeque collectus, nec niſi ſumma neceſsitate impellente, quidquam humanarum rerum attingens, & ſecum in ſe, & cum Deo, colloquens, ſuperiorem rebus in adſpectum cadentibus vitam agit; divinaſque ſpecies & imagines puras ſemper, nec ullis terrenis & errabundis formis permixtas, in ſe ipſo circumfert, ac Dei rerumque divinarum purum omnino ſpeculum

eſt,

eſt, in dieſque efficitur; lucique lucem, obſcuriori videlicet clariorem, adiungit, ac iam futuri aevi bono fruitur, & cum angelis verſatur; & licet adhuc in terris agens, terram deſerit, atque a ſpiritu in caelo collocatur: ſi quis veſtrum hoc amore correptus tenetur, quid dicam, intelligit; atque affectui ei, in quem tum incidi, facile ignoſcet. Hactenus ille.

D. quoque Cyprianus, tract. de habitu virg. quarumdam feminarum laſciviam deſcriptione amplificat his verbis: quaſdam non pudet nubentibus intereſſe, & inter illam laſcivientem libertatem ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non decet, quod non licet dicere: obſervare, & eſſe praeſentes inter verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi in nuptiis locus eſt, qui animus ad nuptias non eſt? Aut voluntariae illic, & laetae eſſe quae poſſunt, ubi & ſtudia & vota diverſa ſunt? Quid illic dicitur? quid videtur? Quantum a propoſito ſuo virgo deficit, quando pudica quae venerat, impudicior diſcedit? Corpore licet virgo ac mente permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa, quae habebat.

Quid vero quae promiſcuas balneas adeunt, quae oculis ad libidinem curioſis pudori ac pudicitiae corpora dicata proſtituunt? Quae quum viros, atque a viris, nudae, vident turpiter, ac videntur; nonne ipſae illecebram vitiis praeſtant? nonne ad corruptelam & iniuriam ſuam deſideria praeſentium ſollicitant & invitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpuſculi cura eſt, & lavandi. Non te purgat iſta defenſio, nec laſciviae & petulantiae crimen excuſat. Sordidat lavatio iſta, non abluit; nec emundat membra, ſed maculat. Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris: ſpectaculum de lavacro facis: theatra ſunt foediora quo convenis: verecundia illic omnis exuitur; ſimul cum amictu veſtis,

ho-

honor corporis ac pudor ponitur, denudanda & contrectanda virginitas revelatur. Hactenus Cyprianus.

Sed commodiſsimum huius rei exemplum exſtat apud D. Gregor. Niſſenum homil. de nativitate Domini, in qua puerorum innocentum crudeliſsimam ſtragem copioſe deſcribit his verbis: quare horrendum illud edictum emittitur, ut miſelli puelli trucidarentur? quid maleficii commiſerunt? quam mortis ac ſupplicii cauſam adverſus ſe ſe praebuerunt? Quibus unum illud ſolum crimini datur, quod ſcilicet nati ſunt, & in lucem prodierunt: atque hac de cauſa civitatem carnificibus repleri oportebat? Quis vero oratione calamitates delineaverit atque deſcripſerit? quis ante oculos ponere narrando clades & funera poſsit? promiſcuam illam lamentationem, flebilem concentum puerorum, matrum, cognatorum, patrum ad carnificum minas miſerabiliter exclamantium? Quo modo quis cum enſe nudo carnificem, iuxta infantem ſtantem, torvis ac caede micantibus oculis intuentem, atque alias conſentaneas voces edentem, ſiniſtra manu puellum ad ſe trahentem, ſuaſque proprias cervices enſis mucroni ſubmittentem, ne ſuis oculis videat, miſerum filium carnificis manibus trucidari? Qua ratione quis affectus patrum expoſuerit? Imploratione, exclamationes, gemitus, extremos filiorum amplexus, quum multa etiam talia eodem tempore ſimul acciderent? Quis multiplices ac varias calamitatis facies ac modos deploraverit, ut miſer infans ſimul & mammae adhaereſceret, & per viſcera lethale vulnus acciperet? Vt miſera mater & papillam ori infantis admoveret, & ſanguinem filii ſinu exciperet? Saepe autem alicubi carnifex, ruente manu, uno impetu gladii, filium una cum matre transfixit, atque unum ſanguinis flumen exſtitit, quod tam ex materna plaga, quam ex lethali vulnere filii commiſceretur.

Quoniam autem etiam hoc ſceleſta vox Herodis adiecit, ut non ſolum adverſus modo genitos infantes funeſta capitaliſque ſententia proferretur, verum etiam ſi quis ad alterum annum progreſſus eſſet, ut is quoque de medio tol-

tolleretur; ſcriptum eſt enim, (a) bimatu, & infra: alteram ex veriſimilitudine cladem in his ratio cernit, quod ſaepe tempus interiectum, duorum filiorum matrem fecerit eamdem. Quale igitur rurſus in talibus ſpectaculum erat, duobus circa matrem unam carnificibus occupatis, uno quidem praetercurrentem ad ſe trahente; altero vero eum, qui mammae etiam nunc admoveretur, a ſinu revellente? Quo modo miſeram matrem hac de cauſa affectam fuiſſe credibile eſt, quum adverſus duos filios natura quaſi finderetur, utroque aequaliter maternis viſceribus ignem accendente; quum ambigeret, utrum ex improbis carnificibus ſequeretur, uno quidem hinc, altero autem illinc ad caedem attrahentibus infantes? Accurrat ad recens natum, obſcurum adhuc & indiſtinctum ploratum emittentem? At alterum audit iam loquentem, ac voce balbutiente matrem cum lacrimis implorantem. Quid agat? quo evadat? quo ſe vertat? ad utrius vocem clamorem referat? utrius gemitui opploret? Vtrius morti illacrimabitur, quum ex aequo naturae ſtimulis utriuſque nomine urgeatur?

§. I.

POſſumus autem deſcriptionibus, ubi res poſtulaverit, vel longioribus, vel brevioribus uti. Longiores ſunt illae deſcriptiones, quibus D. Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdotio indignitatem ſuam ad epiſcopale miniſterium Baſilio probare contendit. Quas, quoniam & ſingularem doctrinam continent, & virtutis huius, quae eſt in dicendo maxima, rationem apertiſsime demonſtrant, hoc in loco attexere libuit. Is igitur volens ſe purgare Baſilio, quod epiſcopi dignitatem refugiſſet, muneris amplitudinem & difficultatem, ſuamque infirmitatem & indignitatem eius rei cauſam exſtitiſſe, ait. Tum deinde, quo metu atque maerore animi contabuerit, quum ea res tractari coepta eſt, incredibili dicendi facultate amplificat his verbis: ab eo ipſo die, quo tute mihi epiſcopatus ſuſpicionem

(a) *Matth.* 2.

nem hanc iniecisti; factum est idemtidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur: tam ingens pavor, tam ingens maestitia animum meum occupavit. Nam quum apud me considerarem Christi sponsae gloriam, sanctimoniam, venustatem spiritualem, prudentiam, ornatum; tum vero animi mei vitia expenderem: fiebat, ut assiduis tum illam, tum etiam me, gemitibus luctibusque prosequerer. In tanto ego aestu antea vixi, quum id tute ignorares, meque in tranquillitate victitare existimares. Ego vero tibi hic animi mei aestum detegere tentabo: hinc enim fortasse veniam mihi dabis, meque tamdem insimulare desines. Qui igitur illum detegam? Nam si eum aperte oculis istis cernere velis, id nimirum haud aliter liceat, quam corde hoc tibi per me prius detecto, nudatoque. Quod quia fieri non potest, tibi hunc ego per obscuram quamdam imaginem, utcumque potero, experiar, maestitiae meae fumum repraesentare.

Fingamus puellam aliquam regis filiam, & eius quidem, cui terra ea universa, quae sub Sole posita est, pareat, a proco quodam expeti: tum vero demus, novam quamdam in ea inesse formae venustatem, quae sic humanam naturam transcendat, ut per eam puella muliebre genus universum magno admodum discrimine superet. Praeterea tantam illi inesse animi virtutem, ut virorum genus, eorum, inquam, qui vel antea fuere, vel futuri olim sunt, longo per se intervallo relinquat: tum autem & morum honestate tanta eamdem excellere, ut vel omnes philosophiae terminos excedat: denique talem esse, ut proprii adspectus gratia, oculorumque venustas, universam illam corporis totius elegantiam obscuret.

Addamus item, si placet, ipsius procum, non ex iis tantum, quae diximus, virginis amore ardere, sed furore item nescio quo erga illam affici: quo quidem insanissimos quosque, qui antea umquam exstiterint, amatores superet. Postea procum hunc, dum hoc philtro ac furore deflagrat, alicunde accepisse, futurum, ut puellam illam, quam miro amore depereat, homuncio nescio quis humilis, abiectus obscuro atque ignobili genere natus, qui-

que

que idem corpore ſit mutilo, denique mortalium omnium nequiſsimus in uxorem ducat. Tibine hic exiguam doloris noſtri partem repraeſentavimus? Satin tibi a me facturum putas, vel finita hic a nobis imagine? Equidem ſatis me feciſſe puto, quod ad animi mei maeſtitiam repraeſentandam ſpectat, cuius unius rei gratia imaginem ipſam adhibuimus. Atque ut tibi item hic metus ſtuporiſque noſtri modum oculis ſubiiciam, ad aliam rurſus hypotheſim deſcriptionemque me confero.

Ponite ante oculos exercitum, ex militibus, tum peditibus, tum equitibus, tum nauticis viris conſtantem, ac mare quidem obtegat triremium numerus. Rurſum ipſas camporum planities, ipſos montium vertices hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant: aes item armorum, oppoſitum Soli, ſplendorem reddat, atque a ſolaribus radiis, & galearum, & clypeorum coruſcatio vibretur: haſtarum fragor, equorumque hinnitus in caelum feratur, neque mare, neque terra appareat; ubique aes, ubique ferrum. Tum ſint contra hos inſtructi, armati, efferi quidam ac truces viri. Inſtet iam & conflictus tempus: poſtea rapiat quis de repente adoleſcentem aliquem in agro educatum, ac qui nullius prorſus artis alterius gnarus ſit, quam lyrae paſtoricae ac pedi: eumdemque armatura aerea quum induerit, per totum illum exercitum circumiens deducat, oſtendatque manipulos, manipulorum ductores, ſagittarios, funditores, centuriones, duces, cataphractos, equites, iaculatores, triremes, triremium ductores, milites inibi confertos, navalium machinarum copiam: oſtendat hoſtium procinctam aciem univerſam, & averſandos formidoloſoſque quoſdam in illis adſpectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diverſum, & immenſam multitudinem, & convalles, & alta praecipitia, & montium iniquitates. Oſtendat & adverſarios in equis volantibus incantatione quadam inſidere, & cataphractos per aërem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi ac forma.

Recenſeat porro & belli calamitates, miſsilium, iaculorum, nivis inſtar ingruentium, impetum, multam illam ca-

liginem & tenebras, obſcuriſsimam noctem, quam ſagittarum multitudo efficiat, Solis radios denſitate ſua avertens, pulverem, tenebris non minorem, omnium oculos obcaecantem, ſanguinis torrentes, cadentium gemitus, ſtantium clamores, iacentium acervos, rotas ſanguine tinctas, equos, prae cadaverum multitudine, una cum ſuis ſeſſoribus in caput praecipites, terram univerſam mixtim haec omnia continentem, ſanguinem, arcus, ſagittas, equorum ungulas, hominum capita ſimul iacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixum, cerebella enſibus traiecta, iaculi cuſpidem effractum, cui hominis oculus tamquam infibulatus haereat.

Recenſeat item & claſsis mala atque incommoda. Triremes alias in mediis aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipſis peſſum euntes, fluctuum fragorem, nautatum tumultuationem, militum clamorem, ſpumam tum undarum, tum ſanguinis mixtam, eamdemque in naves ſimul omnes irrumpentem, cadavera alia ſuper ipſa navium tranſtra iacere, alia ſubmergi, alia adnatare, alia ad litora aeſtuantis maris impetu eiici, alia intra ipſos fluctus ſic obrui, ut navibus iter veluti obſepiant. Poſtremo quum exacte belli tragoedias omnes edocuerit, addat item & captivitatis calamitates, & ſervitutem, nulla non morte duriorem. At, ſecundum haec omnia, iubeat illum continuo in equum aſcendere, univerſique illius exercitus ducem agere. Hic tu adoleſcentulum illum cenſes, vel nudae harum rerum narrationi ſuſtinendae parem eſſe poſſe; ac non potius, vel a primo ſtatim adſpectu, animo defecturum? Proinde, ne me ipſe hic putes rem oratione attollere, neque hoc ipſo quod corpore, ſicut carcere aliquo incluſi, nihil prorſus rerum inviſibilium cernere poſsimus, magna ea eſſe ducas, quae a me dicta ſunt.

Videas enim eo praelio longe tum maius, tum horribilius, ſi tibi forte caliginoſiſsimam illam diaboli aciem, conflictumque inſanum oculis iſtis cernere liceat. Non enim illic aut aes, aut ferrum, non equi, non currus, non rotae, non ignis, non iacula iſta, quae cernimus; verum alia quae-

dam

dam machinamenta, iis, quae dixi, longe terribiliora. Certe adverſariis iſtis nequaquam opus eſt thorace, non ſcuto, neque enſibus, neque haſtis: ſed vel nudus exſecrandae illius militiae adſpectus talis eſt, ut humanam animam a corpore ipſo diſſolvere poſsit, niſi ea admodum generoſa fuerit; atque adeo, antequam a viribus ipſa ſuis auxilium petat, divinae in ſe clementiae providentiam ſenſerit.

Ac ſane, ſi liceret, corpore hoc exuto, aut una etiam cum ipſo corpore perſpicue atque intrepide univerſam illius aciem, bellumque contra nos inſtructum ipſis oculis coram contueri; videres utique non ſanguinis torrentes, neque corpora demortua, ſed animarum lapſus tam multos, ſed vulnera ſic gravia, ut tibi ſtatim belli univerſa illa pictura, quam modo expreſsi, puerorum delectamenta, & ludicrum potius, quam bellum, videri poſsit: tam multi certe ac frequentes ii ſunt, qui in dies ſingulos feriuntur, quorum vulnera non idem mortis genus pariunt; ſed quantum inter ſe diſsident anima atque corpus, tantum eſt certe inter mortem hanc atque illam diſcrimen. Nam quoties plagam anima accipit, eademque cadit, hic proſtrata quidem iacet, malae iam conſcientiae cruciatu contabeſcens: poſtea vero quam ſeparata a corpore hinc emigrarit, aeterno crucianda ſupplicio traditur. Quod ſi quis exſiſtat, qui diaboli plagas non perſentiat, nimirum illius morbus ex ea indolentia ingraveſcit. Quemcumque enim plaga una inflicta non mordet neque attriſtat, is certe facile & alteram excipit; itemque &, hac accepta, tertiam: neque enim intermittit ad extremum uſque ſpiritum feriens nefarius ille, quoties invenit animam ſupinam, prioreſque plagas contemnentem.

Porro autem ſi congreſſus modum expendere velis, hunc vero longe acriorem ac magis diverſum comperies. Neque enim quiſquam eſt, qui tam multas fraudis, doli, artificii formas norit, quam multas ſceleratus ille hoſtis. Qua quidem in parte maior illius vis ac potentia ineſt: neque inimicitias quis tantas, tamque inconciliabiles adverſus hoſtes ſibi infenſiſsimos gerere poteſt, quantas ille

adverſus humanam naturam gerit.

Porro ſi quis examinet, quanta cum inhumanitate is depugnet; ridiculum certe fuerit, homines hoc in loco conferre. Sin iracundiſsimas ac truculentiſsimas quaſque feras delegeris, quas cum huius furore atque inſania conferas; re vera manſuetiſsimas, humaniſsimaſque eas hac comparatione comperies: tantum ille in animas noſtras furorem ſpirans evomit.

Adde, quod & pugnae inter homines geſtae tempus breve quidem eſſe ſolet, qua etiam in temporis brevitate multae dantur induciae. Nam & natura ſic comparatum videmus, ut & noctis ſuperventus, & iugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi reſpirandi poteſtatem ſic faciant, ut & armaturam exuere, tum vero paullulum reſpirare, ſeque & cibo & potu reficere, multiſque rebus aliis priſtinas vires recuperare valeat. Adverſus autem diabolum dimicanti numquam licet, arma ipſa ponere, ſomnumve ullum capere, ei praeſertim, qui perpetuo invulneratus praelio excedere volet. Ex duobus enim neceſſario alterum conſequitur, ut aut cadat quis, ac pereat armis ſpoliatus; aut continenter vigilet, armatuſque ſtet. Siquidem ille continenter cum ſua ipſius acie ſtat, ſocordias noſtras obſervans, ac maius quidem afferens ſtudium ad noſtram internecionem, quam ad noſtram ipſi nos ſalutem afferamus.

Poſtremo, ut ſemel finiam, quod a nobis hoſtis ille minime cernatur, quodque de repente atque improviſo nos adoriatur; quae res iis, qui non aſsidue in excubiis vigilantes fuerint, infinitorum malorum cauſa eſſe ſolet: facit nimirum, ut bello hoc aegrius, ac maiore cum negotio, quam illo, defungi poſsis. In hoc ergo campo voluiſti nos Chriſti militibus duces eſſe? Hoc ipſum vero quid aliud erat, quam diabolo potius duces eſſe? Quum enim is, qui ceteros debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis inſtruere, omnium ſimul infirmiſsimus, ſimul & imperitiſsimus fuerit; fit nimirum, ut ſuae fidei creditos prodat, & diabolo magis, quam Chriſto, ducem agat. Hactenus Chryſo-

ſoſtomus. Cuius verba huic praeceptioni inſerere libuit, non ſolum quod deſcribendi rationem apertiſsimo exemplo doceant, ſed etiam quod ſingularem doctrinam contineant.

In quo quidem exemplo illam quoque amplificandi rationem animadvertere licet, quam Quinctilianus adnotavit: in qua impari exemplo, hoc eſt, a maiori vel minori ducto, omnes circumſtantias excutimus: quo, id de quo agimus, multo eſſe maius, comprobemus. Sic enim hoc in loco D. Chryſoſtomus, collatione facta, aperte oſtendit, quanto acies daemonum inſtructiſsimo quovis exercitu formidabiliores ſint.

§. II.

ILlud tamen hoc in loco admonendum eſt, ſermocinationes perſonarum, & illud ſimilitudinis genus, quod a rhetoribus imago ſimilis appellatur, de quibus ſuis in locis differemus, ad has rerum deſcriptiones plurimum lucis afferre. Quod ſequenti deſcriptione, qua in amplificanda matris ſeptem Machabaeorum conſtantia D. Gregorius Theologus uſus eſt, aperte liquet. Sic enim ait: (a) at vero egregia mater gaudio ſimul ac maerore afficiebatur, atque in duorum affectuum meditullio poſita erat. Nam ut filiorum fortitudine, certaminumque ſpectaculo mirifice delectabatur; ſic rurſus quum incertum pugnae eventum, incredibilemque tormentorum magnitudinem ſecum reputaret, timore commovebatur. Ac proinde illos, non ſecus atque avicula, pullos ſuos arripiente angue, aut alia quapiam inſidiatrice beſtia, circumvolabat, ſtridebat, obſecrabat, certantes adiuvabat: nihil denique non dicebat ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores inſtructioreſque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat. Omnibus acclamabat: euge filii mei, euge ſtrenui milites, euge in corporibus ferme incorporei, euge legis, canaeque ſenectutis meae, atque ci-

(a) *Gregor. Homil. de VII. Machab.*

vitatis, quae vos aluit, atque ad eam virtutis magnitudinem evexit, antiſtites atque patroni. Paullum adhuc & vicimus: paullum adhuc & ego inter mulieres beata, & vos inter adoleſcentes beati. Hactenus Theologus. Hoc autem genus ſimilitudinis ad rem oculis ſubiiciendam maxime pertinet.

Alia quoque ſimilitudinum genera & exempla, quae a pari, maiori vel minori, ſimili, diſsimili, & contrario ducuntur; plurimum ad res amplificandas valent, ut ſuo loco (a) ex Fabii ſententia expoſuimus. Quo in genere prudens lector duo praecipue in D. Chryſoſtomo, qui in hac parte maxime excellit, animadvertere poterit. Alterum, quod in exemplis imparibus, hoc eſt, a maiori vel minori deductis, perſonarum circumſtantias, quae imparitatis rationem continent, diligenter excutit & amplificat. Deinde, non contentus rem maximam cum alia maxima comparaſſe, dat etiam operam, ut ea, quam augere vult, adhuc longe maior appareat. Hac autem ratione in ſermone, quo eos accuſat, qui domi ſorores adoptivas foverent, quo eorum periculum oſtendat, beati Iob exemplum inducit, oculos ſuos, ne virginem viderent, cuſtodientis: & apoſtoli Paulli, (b) corpus ſuum caſtigantis, & in ſervitutem, ne reprobus fieret, redigentis.

Sic igitur ait: ſanctus ille Iob, qui omnem tranſcenderat virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, qui & primus & ſolus tantam fortitudinem demonſtravit, & omne ferrum & adamantem ſua continentia praetergreſſus, ſubnervavit diaboli poteſtatem: ſic veritus erat talem pugnam, & putavit, impoſsibile eſſe, cohabitare virgini purum & ſine damno; adeo ut non ſolum a cohabitatione tali procul & longe ſe ipſum, ſed & ab adſpectu prorſus & occurſu ſubduxerit, legemque poſuerit oculis ſuis, omnino in virginem ne reſpicere quidem: ſciebat enim manifeſte, quod non ſolum cohabitantem, ſed & videntem curioſe in faciem virginis, difficile, forte autem & impoſsibile eſſet, effugere damnum, quod inde oritur. Propter quod

(a) *Cap. praecedenti.* (b) *1. Corinth. 9.*

quod & dicebat: (a) ne cogitarem quidem de virgine. At ſi parvus videtur vobis ad certamen Iob, quamvis re vera neque ſtercore illius ſimus digni; verumtamen, licet minus tua magnanimitate eſſe putas exemplum, cogita vocaliſsimum praeconem veritatis, qui totum orbem circuiit; & dicere potuit verba illa multa ſapientia referta, quod non iam ipſe ſit vivens, ſed Chriſtus in ipſo: & quod crucifixus ſit mundo, & mundus ſibi: & quod quotidie moriatur.

Poſt tantam ergo ſpiritus gratiam, & tanta certaminum ſpecimina, poſt tam innumera pericula, poſt tam eximiae diligentiae & ſapientiae ſtudium, declarat nobis & commonſtrat, quod donec ſpiraverimus, & hac carne fuerimus circumdati, certaminibus nobis opus eſt & laboribus: neque umquam otio temperantia paratur, ſed multis ſudoribus & laboribus opus eſt. Ad hoc enim tropaeum parandum dicebat: (b) caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne, dum aliis praedicavero, ipſe reprobus fiam. Haec autem dicebat, declarans ſeditionem carnis, & concupiſcentiae rabiem, praeliumque continuum, ac vitam ſemper in agone conſtituram. Hactenus ille. In quibus exemplis aperte liquet, quam ſtudioſe perſonarum circumſtantias, beati ſcilicet Iob & Paulli, excuſſerit & amplificaverit: ut facile quiſque intelligeret, in quo periculo verſarentur, qui tam longe ab ea animi firmitate & perfectione diſtarent.

Superioris autem obſervationis in eodem ſermone clariſsima exſtant exempla: quae, ne in re ſatis aperta ſim longior, ſtudioſo concionatori legenda relinquo. Eſt enim hic ſermo adverſus eos, qui fovent domi ſorores adoptivas, digniſsimus, qui ab omnibus legatur, ut qui ſit tum magno divinae gloriae ſtudio, tum maxima eloquentia refertus. Exemplo item huic obſervationi erit navalis praelii ſimilitudo, paullo ante a nobis ab eodem auctore inducta: in qua hic vir divinus, poſt utriuſque militiae collationem, exponit etiam, quanto ſpiritualis militiae certamen & periculum ſit atrocius, magiſque pertimeſcendum.

(a) *Iob* 31. (b) 1. *Corinth.* 9.

CAP. VII.

DE PERSONARVM DESCRIPTIONIBVS.

POst rerum descriptiones, sequitur personarum descriptio, quae varias habet species. Quamvis autem non omnes ad amplificandi rationem, de qua nunc sermonem instituimus, pertineant; ratio tamen praecipiendi exigit, ut, quoniam rerum descriptiones tradidimus, personarum quoque tradamus. Primum autem earum genus est, quum personae ingenium, mores, ceteraque circumstantias, quas personis attributas superius diximus, sive laudis, sive vituperationis gratia, brevi oratione depingimus: quemadmodum Sallustius Catilinae, Caesaris, & Catonis personas descripsit. Sic in litteris sanctis vita sanctissimi Iob, Tobiae, Iudith in veteri testamento, & Simeonis, & Annae viduae in novo mores & vita breviter describuntur. Hoc autem genus descriptionis docendi magis gratia, quam amplificandi, solet adhiberi.

Est aliud proposito nostro accommodatius, quod notationem appellant: quoties amantis, luxurioси, avari, voracis, temulenti, somniculosi, garruli, glorioси, ostentatoris, invidi, sycophantae personam depingimus. Mirus est in hoc descriptionis genere Ioannes Cassianus: in iis enim libris, quos de octo principalium vitiorum remediis scripsit, ingenium, mores, facta, dicta eorum, qui his vitiis contaminati sunt, appositissime depingit. Duci autem huiusmodi notationes videntur a concomitantibus, & consequentibus, & effectibus, & ab eo loco, quem dialectici a communiter accidentibus appellant. Docendi autem gratia, duo solum exempla hic adscribam: reliqua autem in iis libris studiosus concionator videre poterit. Is igitur in X. de accidia libro, eum, qui hoc morbo laborat, quem non nulli seniorum, meridianum daemonem appellabant, ita describit. Quum hic daemon miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellae, fratrum quoque, qui vel cum eo, vel eminus commorantur, tamquam neg-

ligentium ac minus ſpiritualium , adſpernationem gigni atque contemtum. Ad omne quoque opus , quod intra ſepta ſui cubilis eſt , facit deſidem & inertem. Non eum in cella reſidere , nec operam ſinit impendere lectioni ; nihilque ſe proficere , tanto tempore in eadem commorantem, crebrius ingemiſcit ; & ab omni ſe dolet ſpiritali quaeſtu inanem in eo loco vacuumque conſiſtere : utpote qui , quum poſſet etiam alios regere , ac prodeſſe plurimis , nullum aedificaverit , nec quemquam inſtitutione ſua doctrinaque lucratus ſit. Abſentia longeque poſita magnificat monaſteria : loca etiam illa magis ad profectum utilia , & ſaluti congruentiora deſcribit : conſortia quoque ibidem fratrum ſuavia & plena ſpiritali converſatione depingit.

Contra , univerſa,quae habentur in manibus, aſpera : & non ſolum aedificationem nullam eſſe in fratribus , qui morantur in loco , ſed ne ipſum quidem victum corporis abſque ingenti labore conquiri. Poſtremo , non poſſe ſe ſalvari putat in eo loco durantem , niſi relicta cella , cum qua ſibi , ſi adhuc in ea fuerit remoratus , pereundum erit , exinde ſemetipſum quamtocius adſportaverit. Deinde laſſitudinem corporis , cibique eſuriem , quinta ſextaque hora tantam ſuſcitat , ut velut longo itinere , graviſsimoque labore confectus ſibimet laſſuſque videatur ; aut quaſi refectionem cibi biduano ieiunio , triduanove diſtulerit. Tum praeterea huc illucque anxius circumſpectat , & nec fratrem ſibi quempiam adventare ſuſpirat : ſaepiuſque egreditur , & ingreditur cellam : ac Solem , velut ad occaſum tardius properantem , crebrius intuetur. Et ita quadam irrationabili mentis confuſione , velut tetra impletur caligine , omnique actu ſpiritali redditur otioſus ac vacuus : ut nulla re alia tantae oppugnationis remedium , quam viſitatione fratris cuiuſpiam , ſeu ſomni ſolius ſolatio poſſe exiſtimet inveniri. Deinde honeſtas idem morbus ac neceſſarias ſuggerit ſalutationes fratribus exhibendas , viſitationeſque infirmorum , vel eminus , vel longius poſitorum. Quaedam etiam pia ac religioſa dictat officia : illos vel illas debere parentes inquirere , & ad ſalutandos eos crebrius properare : illam

lam religioſam, devotamque Deo feminam, omni praeſertim parentum praeſidio deſtitutam, magnum opus eſſe pietatis, frequentius inviſere: ac ſi quid ei ſit neceſſarium, quae a propriis parentibus negligitur atque deſpicitur, ſanctiſsimum procurari, magiſque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuoſe ac ſine ullo profectu in cellula reſidere. Hactenus Caſsianus.

Idem etiam lib. XII. ſuperbi monachi mores & ingenium hoc modo deſcribit: quiſquis ſuperbiae morbo fuerit occupatus, non ſolum nullam ſubiectionis aut obedientiae regulam cuſtodire dignatur, verum ne ipſam auribus quidem ſuis doctrinam perfectionis admittit: tantumque concreſcit in corde eius ſpiritalis verbi faſtidium, ut quum forte talis fuerit oborta collatio, uno in loco ſtare neſciat eius obtutus; ſed huc illucque ſtupidus circumferatur intuitus, & aliorſum, atque in obliquum, quam moris eſt, oculi defigantur. Pro ſuſpiriis enim ſalutaribus ſputa de ſicco gutture contrahuntur, excreationis etiam ſine ulla interpellatione flegmatum provocantur, digiti ludunt, & in modum ſcribentis volitant, & ita huc atque illuc univerſa membra corporis commoventur: ut dum ſpiritalis agitatur collatio, totum ſe vel ſcatentibus vermibus, vel acutiſsimis ſudibus credat inſidere: & quidquid ſimplex collatio ad aedificationem protulerit audientium, ob ſuam ſuggillationem aeſtimet eſſe prolatum: totoque tempore, quo ſpiritalis vitae examinatio ventilatur, ſuis ſuſpicionibus occupatus, non, quid inde ad profectum ſuum capere debeat, aucupatur; ſed cauſas, cur unum quodque ſit dictum, ſollicita mente perquirit; vel quid eis poſsit obiicere, tacita intra ſe cordis volutatione coniectat.

Deinde poſt haec, excelſa vox, ſermo rigidus, amara & turbulenta reſponſio, inceſſus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec umquam taciturnitatis amica, niſi quum contra fratrem rencorem quemdam in ſuo corde conceperit: fitque ſilentium eius non compunctionis nec humilitatis ullius, ſed ſuperbiae & indignationis indicium: ita ut, quid in eo deteſtabilius ſit, haud facile diſcer-

cernatur, utrum diffusa illa petulansque laetitia, an dira haec virulentaque feritas. In illa namque sermo non opportunus, risus levis ac fatuus, effrenata ac indisciplinata cordis elatio: in ista vero ira plenum, virulentumque silentium; & quod ob hoc tantum concipitur, ut adversus fratrem rancor, taciturnitate servatus, protelari diutius possit, non ut ex eo virtus humilitatis ac patientiae praebeatur. Et quum ipse, tumore possessus, facile cunctis tristitias inferat, atque ad satisfactionem laesi fratris semetipsum submittere dedignetur; etiam ab illo sibimet oblatam respuit atque contemnit. Hactenus Cassianus, qui suis quasi coloribus & accidiosi & superbi monachi mores & ingenium ad vivum depinxit.

D. vero Bernardus detractorum mores, qui quodam simulato verecundiae fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur, describit his verbis: (a) videas a detractore alta suspiria praemitti, sicque cum quadam gravitate & tarditate, vultu modesto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem: quae quidem tanto persuasibilior est, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiose, proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum, ut scitis, & numquam potui de hac re corrigere eum: & alias mihi bene compertum fuerat; sed per me numquam innotuisset, per alterum patefacta res est. Veritatem negare non possum, dolens dico, re vera ita est: nam alias quidem in pluribus valet, ceterum in ista parte, ut verum fateamur, minime excusari potest. Haec Bernardus. D. vero Hieronymus in epistola quadam fictam humilitatem hac eadem figura describit his verbis: (b) fictam humilitatem fugiens, illam sectare, quae vera est, quam Christus docuit, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim huius virtutis umbram, veritatem pauci sequuntur. Perfacile est, aliquem habere vestem contemtam, salutare submissius, manus & genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque deiectis, humilitatem atque man-

(a) *Super Cantic. serm.* 24. (b) *Hieron. in epist.*

manſuetudinem polliceri, lenta voce tenuique ſermones infringere, ſuſpitare crebrius, & ad omne verbum peccatorem ac miſerum ſe clamare: ſed ſi vel levi ſermone offenſus fuerit, continuo videbis attollere ſupercilium, levare cervicem, & delicatum illum orationis ſonum inſano clamore repente mutare. Hactenus ille. His exemplis, quid haec orationis figura poſtulet, facile erit intelligere.

CAP. VIII.

DE SERMOCINATIONE.

EST etiam ſermocinatio, quae inter perſonarum deſcriptiones numeratur: qua neſcio quid magis ad concionatoris officium pertinere putem, non modo ad rationem amplificandi, ſed ad multa quoque alia. Quo eſt mihi eius ratio & natura diligentius aperienda, & exemplis illuſtranda. Prius tamen Cornificii definitionem & exempla ſubiiciam: (a) ſermocinatio eſt, quum alicui perſonae ſermo attribuitur; & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: quum militibus urbs redundaret, & omnes, timore oppreſsi, domi continerentur; venit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens iaculum: quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur. Irrumpit in aedes ſubito: deinde magna voce, ubi eſt iſte beatus, inquit, aedium dominus? quin mihi praeſto fit? quid tacetis? Hic alii omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Vxor illius infeliciſsimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abiecit ſe ſe. Parce, inquit, & per ea, quae tibi dulciſsima ſunt in vita, miſerere noſtri: noli exſtinguere exſtinctos. Fer manſuete fortunam: nos quoque fuimus beati: noſce te eſſe hominem. At ille: quin illum mihi datis, ac vos auribus meis applorare deſinitis? Non abibit. Illi nuntiatur interea, veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari.

Quod ſimul ut audivit, heus, inquit, Gorgia pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac ut incolumes

(a) *Apud Cic. ad Heren. lib. IIII.*

mes ad adoleſcentiam perducas. Vix haec dixerat, quum ecce iſte praeſto: ſedes, inquit, audax? Non vox mea tibi vitam ademit? Exple meas inimicitias, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille, cum magno ſpiritu: metuebam, inquit, ne plane victus eſſem: nunc video, in iudicio mecum contendere non vis, ubi ſuperari turpiſsimum eſt, ſuperare pulcherrimum. Interficere me vis: occidar equidem, ſed victus non peribo. At ille: in extremo vitae tempore etiam ſententioſe loqueris; neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare? Tum mulier: immo quidem iſte rogat & ſupplicat: ſed tu, quaeſo, commoveare; & tu, per Deos, inquit, hunc amplexare. Dominus eſt, vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non deſinis, inquit, uxor, loqui? Quae me digna non ſunt, tace, & quae curanda ſunt, cura. Tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi ſpem mea morte eripere? Iſte mulierem repulit a ſe lamentantem: illi neſcio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius virtute eſſet, gladium in latere defixit. Puto in hoc exemplo datos eſſe unicuique ſermones ad dignitatem accommodatos: quod oportet in hoc genere obſervare. Sunt item ſermocinationes conſequentes hoc genus. Nam quid putamus illos dicturos, ſi hoc iudicaveritis: nonne hac omnes utentur oratione? Deinde ſubiicere ſermonem.

Eſt quidem haec figura frequens in libro Sapientiae. Lege ſecundum eius libri caput, in quo longa quaedam perditorum hominum ſermocinatio continetur. Sic enim ſe ipſos ad luxum & impietatem adhortantur: exiguum, & cum taedio eſt tempus vitae noſtrae, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt haec erimus tamquam ſi non fuerimus, &c. Venite ergo, fruamur bonis quae ſunt, & utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, & quae ſequuntur. Item eiuſdem libri cap. V.

ti-

timor & horror impiorum in extremo iudicii die, & fermo eorum deſcribitur his verbis : tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubita & inſperata eorum ſalute, gementes prae anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, poenitentiam agentes : hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii : nos inſenſati vitam illorum aeſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quo modo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus a via veritatis, & lumen iuſtitiae non luxit nobis, & Sol intelligentiae non ortus eſt nobis, &c. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis ? Tranſierunt illa omnia tamquam umbra volans, & cetera quae ſequuntur.

Simili modo in Proverbiis Salomon procacitatem adulterae feminae primum deſcribit, deinde ſermonem illi convenientem tribuit. Sic enim ait : (a) conſidero vecordem iuvenem, qui tranſit per plateas iuxta angulum : & prope viam domus illius graditur in obſcuro adveſperaſcente die: & cetera, quae ſequuntur.Sic etiam in eodem libro Salomon improborum ſermones, quibus ſimplicem hominem ad pravitatis ſuae conſortium inducere contendunt, ita deſcribit: (b) fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis: ſi dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra ; omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpoliis; ſortem mitte nobiſcum, marſupium unum ſit omnium noſtrum : fili mi, ne ambules cum eis. Eadem dicendi figura Iſaïas regis Aſsyriorum ſuperbiam amplificat : poſtquam enim de eo Dominus dixerat : (c) vae Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe : in manu eorum indignatio mea, &c. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicet enim: numquid non principes mei ſimul reges ſunt? & cetera.

Nec

(a) *Prov.* 7. (b) *Prov.* 1. (c) *Iſai.* 10.

Nec ſolum, quid perſonae dicant, ſed quid etiam dicere merito debuiſſent, hac figura ſignificamus. Sic Ieremias, ut filiorum Iſraël ingratum animum exaggeraret, quid ii dicere debuiſſent, exprimit his verbis: (a) & non dixerunt: ubi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra AEgypti; qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem & inviam? & cetera. Et infra idem: (b) & non dixerunt, metuamus Dominum, qui dat nobis pluviam temporaneam & ſerotinam, plenitudinem annuae meſsis cuſtodientem nobis. Et iterum: (c) ſacerdotes non dixerunt, ubi eſt Dominus? &c. Hoc etiam modo ſermonem tribuimus homini ſe ipſum admonenti, atque ad opus aliquod virtutis adhortanti. Vnde Euſebius Emiſſenus fidelem virum, vitam & mores ſuos expendere, adhortatur his verbis: (d) unuſquiſque conſcientiam ſuam ante conſpectum interioris hominis conſtituat: ipſi noſmetipſos quotidie caſtigemus, ipſi nobiſcum rationem de quotidiana converſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecreto cordis unaquaeque anima, & dicat: videamus, ſi hanc diem ſine peccato, ſine invidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi: videamus, ſi aliquid hodie, quod ad profectum meum, quod ad aedificationem aliorum pertinet, operatus fui: puto, quod hodie mentitus ſum, peieravi, ira vel concupiſcentia victus ſuum, nec alicui benefeci, nec pro timore aeternae mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem, quam in vanis rebus perdidi, quam in cogitationibus noxiis peſsimiſque conſumſi? Hactenus ille.

Hoc etiam modo tacitam Spiritus ſancti exhortationem deſcribere ſolemus, ſermonem eidem Spiritui accommodantes, quo nos, propoſito vitae noſtrae periculo, mortis incerta conditione, gehennae ſuppliciis, caeleſtibuſque praemiis, diviniſque beneficiis commemoratis, ad oſtium cordis noſtri pulſans, a ſcelerata vita ad poenitentiam revocare conatur. Similique ratione varias daemonum ſuggeſtiones deſcribere poſſumus, ſermonem illis, malitiae eorum con-

(a) *Ierem.* 2. (b) *Ierem.* 5. (c) *Ierem.* 2. (d) *Euſeb. Emiſſen. in Homil.*

convenientem, tribuentes. Ad hunc quoque modum rationes, quibus improbi homines in ſceleribus ſuis ſe ipſos conſolantur, ſalutemque ſibi pollicentur, deſcribere licet; quid quiſque eorum intra ſe dicat, ſermocinatione exprimentes. Longam enim ſibi vitam pollicentur, Dei miſericordiam, Chriſti ſanguinem, beati latronis exemplum, extremam in fine vitae poenitentiam, ceteraque his ſimilia in conſolationem ſuam adhibent. Hac etiam virtute commodiſsime in amplificandis martyrum certaminibus utimur: quum explicamus, quibus ipſi ſermonibus partim iudicibus reſpondebant, partim ſe ipſos ad fidei conſtantiam & patientiam adhortabantur. Exſtant commodiſsima huius rei exempla apud Baſilium in homilia quadraginta martyrum. Itemque apud D. Gregorium Theologum in homilia de ſeptem Machabaeis: in qua ſermones deſcribit, quibus mater filios ad patientiam adhortabatur, quibuſque ipſi ſe ad eiuſdem virtutis conſtantiam excitabant. Ad quae exempla ſtudioſum concionatorem remitto.

CAP. IX.

DE CONFORMATIONE.

SErmocinationi finitima eſt conformatio, quae maiorem adhuc vim habet in loco adhibita. De qua ſic idem Cornificius: (a) conformatio eſt, quum aliqua, quae non adeſt perſona, confingitur, quaſi adſit: ut quum res muta aut informis fit eloquens & formata: & ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio quaedam, hoc pacto: quod ſi nunc haec urbs invictiſsima vocem emittat, nonne hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis tropaeis ornata, triumphis ditata certiſsimis, clariſsimis locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus, o cives, vexor: quam dolis malitioſa Carthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit; eam patiemini nunc ab homunculis teterrimis proteri atque con-

(a) *Cic. ad Heren. lib. IIII.*

conculcari? Item: quod ſi nunc L. ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac utetur oratione? Ego reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quae non erat, peperi; vos partam ſervare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi; vos liberi ſine periculo eſſe non curatis. Haec conformatio licet in plures res mutas atque inanimatas transferatur, proficit plurimum in amplificationis partibus, & commiſeratione. Cicero vero adverſus Catilinam, patriae proditorem, ſic eamdem loquentem inducit: (a) quae tecum, Catilina, ſic agit, & quodam modo tacita loquitur: nullum iam tot annis facinus exſtitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum impunita fuit ac libera. Tu non ſolum ad negligendas leges & quaeſtiones, verumetiam ad evertendas perfringendaſque valuiſti. Superiora illa quamquam ferenda non fuerunt; tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam eſſe in metu propter te unum, quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod a tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Hactenus Cicero.

Ad hunc etiam modum Oſorius epiſcopus eidem patriae ſermonem adverſus parentes tribuit, qui liberorum ſuorum licentiam, & corruptos mores minime caſtigant. Sic igitur ait: (b) quod ſi patria eiuſmodi verbis tecum expoſtulet, quid illi reſpondebis? Homo, cur, quantum eſt in te, mihi moliris exitium? cur in me peſtem nefarie machinaris? cur parentem, quam omni pietate complecti debebas, iugulandam ſuſcipis? Meis enim legibus & inſtitutis in lucem editus & enutritus fuiſti; per me non ſolum a feris, ſed etiam a morum feritate revocatus, & omni humanitate cultus exſtitiſti; meo praeſidio vitam non ſolum clementer atque benigne, verumetiam ſecure traduxiſti. Si enim in ſolitudine & vaſtitate vitam ageres, non modo belluarum laniatus extimiſceres, ſed nihil inter te & belluas immanes intereſſet: mea igitur ope factum eſt, ut in periculis auxilium, in morbis remedium, in aeru-

(a) *In Catil. orat. I.* (b) *De regis inſtit. & diſc. lib. VII.*

mnis ſolatium, in perturbatione diſciplinam, in curis allevamentum invenires. Quum vita tua tam multis ſimul rebus indigeat, omnes illae fuerunt a me tibi large atque munifice ſuppeditatae. Quod ſi ita non eſſe putas, a me ſecede, lucem meam atque celebritatem fuge, & te in ſolitudinem abde; & videamus, quo tandem modo poſſis abſque meo praeſidio vitam ſuſtentare. Quod igitur opibus abundas, quod humanitatem retines, quod ſecure vitam degis, quod lucis iucunditate frueris, id totum mihi eſt in acceptis referendum. Magis igitur ſum mater tua, quam illa, quae te peperit, exiſtimanda. Si igitur mihi necem attuleris, non modo te improbum hominem, ſed impium & ſceleratum parricidam fateare, neceſſe eſt.

Sed dices fortaſſe, te numquam de meo interitu cogitaſſe. An non intelligis, vitam atque ſalutem meam civium moribus & honeſtate contineri? adeo ſine mente es, ut non videas, ſi illi, quum ad aetatem maturam pervenerint, flagitiis efferati fuerint, eſſe mihi eorum ſcelere miſerum funeſtumque fatum neceſſario ſubeundum? Nec illud quidem recogitas, te non tam tibi, quam mihi, filios genuiſſe? cur igitur illos flagitiis obrui ſinis? cur illorum peccatis indulges? cur illorum inconſideratam cupiditatem alis? cur eorum pudorem exſtingui pateris? cur denique illos honeſtatis ſtudium negligere, & libidini ſervire permittis? Quod enim eſt aliud rerum publicarum exitium & funus, niſi id, quod corrupta & vitioſa civium inſtitutione comparatur? Cives igitur, qui male filios ſuos inſtituunt, me perdunt, mihi peſtem parant, mihi interitum & exitium moliuntur. Haec ſi reſp. dicat hominibus in filiorum educatione diſſolutis, venitne vobis in mentem, quo modo homines, in tanta re negligentes, a maximi & immaniſsimi criminis ſuſpicione liberetis? Hactenus Oſorius.

Haec etiam figura non infrequens in ſanctis litteris eſt. Vnde apud Salomonem & Eccleſiaſticum Sapientia laudes ſuas praedicat, & homines ad ſui ſtudium advocat. Quale eſt illud: (a) o viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios ho-

(a) *Prov.* 8.

hominum, & cetera. Tale eſt etiam illud eiuſdem: (a) ſapientia foris praedicat, in plateis dat vocem ſuam, in foribus portarum urbis profert verba ſua, dicens: uſquequo, parvuli, diligitis infantiam, & ſtulti ea, quae ſunt ſibi noxia, cupient? & cetera. Exſtat libellus quidam de conflictu vitiorum & virtutum; quem quidam Leoni papae, quidam D. Auguſtino tribuunt, in quo vitiis, tamquam rebus animatis, ſermones tribuuntur, quibus ſe ſe hominibus probent atque inſinuent. Similique ratione virtutes ipſae pro ſe reſpondent, & cauſam atque dignitatem ſuam adverſus vitia tuentur. D. vero Cyprianus contra feminas, quae exquiſitis coloribus faciem depingunt, Deum ipſum hoc modo inducit loquentem: (b) non metuis, oro, quae talis es, ne, quum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat; & ad ſua praemia & promiſſa venientem removeat & excludat; & increpans vigore cenſoris & iudicis dicat: opus hoc meum non eſt, nec haec imago noſtra eſt. Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adulterino colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quum oculi tibi non ſint, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo comta, cum illo pariter arſura. Haec, oro, non cogitanda ſunt Dei ſervis? non die ſemper ac nocte metuenda?

Idem quoque Cyprianus, exaggerare volens inhumanitatem ac perverſitatem eorum hominum, qui quum ingentes ſumtus in rebus inaniſsimis faciant, ne teruncium quidem Chriſto pauperi porrigunt, appoſitiſsime hac eadem figura daemonem loquentem inducit. Sic enim ait: (c) ponat unuſquiſque ante oculos ſuos diabolum cum ſervis ſuis, id eſt, cum populo proditionis & mortis, in medium proſilire, plebem Chriſti, praeſente & iudicante ipſo, comparationis examine provocare, dicentem: ego pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec

(a) *Prov.* 1. (b) *Cyprian. de habitu virg.* (c) *Cyprian. Serm. de eleemoſ.*

flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſsionis & crucis redemi: ſed nec regnum caeleſte illis promitto, nec ad paradiſum reſtituta immortalitate denuo revoco, & munera mihi quam pretioſa, quam grandia, quam nimio & longo tempore quaeſita, ſumtuoſiſsimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris apparatione, vel venditis, ac, niſi editio honeſta ſucceſſerit, conviciis ac ſibilis eiiciuntur, & furore populari nonnumquam paene lapidantur. Tuos tales munerarios, Chriſte, demonſtra, illos divites, illos copioſis opibus affluentes, ac in Eccleſia, praeſidente & ſpectante te, eiuſmodi munus edant, oppignoratis vel diſtractis rebus ſuis, immo ad caeleſtes theſauros, mutata in melius poſſeſsione, translatis. In iſtis muneribus hominum caducis atque terrenis nemo paſcitur, nemo veſtitur, nemo cibi & potus ſolatio ſuſtinetur: cuncta inter furorem edentis & ſpectantis errorem, prodiga & ſtulta voluptatum fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris & paſceris, tu aeternam vitam operantibus polliceris: & vix tui meis pereuntibus adaequantur, qui a te divinis mercedibus & praemiis caeleſtibus honorantur. Quid ad haec reſpondemus, fratres cariſsimi? Divitum mentes qua ratione defendimus? Qua excuſatione purgamus, qui Zabuli ſervis minores ſumus, ut Chriſto pro pretio paſsionis & ſanguinis vicem nec in modicis rependamus? Hactenus Cyprianus. Cuius oratio ſatis indicat, quantum rei, de qua agitur, indignitas, hac dicendi figura creverit.

Exſtant apud D. Hieronymum in epitaphio Bleſillae duo commodiſsima huius virtutis exempla, quae his adiicere non gravabor. Quum enim Paulla Bleſillae filiae mortem moleſtiſsime ferret, eamdem Bleſillam his verbis loquentem inducit: (a) quas nunc exiſtimas Bleſillam noſtram pati cruces, quae ferre tormenta, quod tibi Chriſtum videat ſubiratum? Clamat nunc illa lugenti: ſi umquam

(a) *Hieronym. in epiſt. ad Paul.*

quam me amasti, mater, si tua ubera suxi, si tuis instituta sum monitis, ne invideas gloriae meae, nec hoc agas, ut a nobis in perpetuum separemur. Putas, esse me solam? Habeo pro te Mariam matrem Domini. Multas hic video, quas ante nesciebam. O quanto melior est iste comitatus! Habeo Annam quondam in evangelio prophetantem: &, quo magis gaudeas, tantorum annorum labores ego in tribus mensibus consequuta sum. Vnam palmam castitatis accepimus. Misereris mei, quia mundum reliqui? At ego vestri sortem doleo, quos adhuc saeculi carcer includit: quos quotidie in acie praeliantes, nunc ira, nunc avaritia, nunc libido, nunc variorum incentiva vitiorum pertrahunt ad ruinam. Si vis ut mater mea sis, cura placere Christo. Non agnosco matrem meo Domino displicentem. Loquitur illa & alia multa, quae taceo, & pro te Dominum rogat. Hactenus Hieronymus.

Qui nec hac Blesillae oratione contentus, ipsum etiam Dominum ad Paullam matrem his verbis inducit loquentem: (a) non vereris, ne tibi Salvator dicat: irasceris, Paulla, quia tua filia mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lacrimis facis iniuriam possidenti? Scis enim, quid de te, quid de ceteris tuis cogitem. Cibum tibi denegas, non ieiuniorum studio, sed doloris. Non amo frugalitatem istam. Ieiunia ista adversarii mei sunt. Nullam animam recipio, quae me nolente separatur a corpore. Tales stulta philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem. Super nullum requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea. Hoc est, quod mihi in monasterio promittebas? Quod habitu a matronis ceteris separato, tibi quasi religiosior videbaris? Mens ista, quae plangit, sericarum vestium est. Interciperis, & moreris, & quasi non in meas manus ventura sis, crudelem iudicem fugis? Fugerat quondam & Ionas animosus propheta, sed in profundo maris meus fuit. Si viventem crederes filiam, numquam plangeres ad meliora migrasse. Hoc est,

(a) *Hieron. in epist. ad Paul.*

quod per apoſtolum meum iuſſeram, ne pro dormientibus in ſimilitudinem gentium triſtaremini? Hactenus ille. Ieremias quoque ad leniendos captivorum animos, ipſam Ieroſolymorum civitatem his verbis filios ſuos alloquentem facit: (a)audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam ſuperduxit illis aeternus. Nutrivi enim illos cum iucunditate: dimiſi autem illos cum fletu & luctu, &c.

Haec duo noviſsima deſcriptionum genera, praeter alias inſignes utilitates, hoc etiam habent, quod rectum orationis curſum atque impetum ad formam quodam modo dialogi flectunt: dum ſermones variis perſonis accommodant, quas idem concionator induere debet, & ea vocis & geſtus figura pronuntiare, atque ii, quibus hi ſermones tribuuntur. Quae res non modo ad orationis, ſed etiam ad pronuntiationis varietatem & gratiam plurimum valet.

Poſt rerum & perſonarum deſcriptiones, temporum quoque & locorum numerantur: quas, quoniam propoſito noſtro parum conveniunt, omittendas duxi. Exſtant autem duo huius rei apud Lactantium clariſsima exempla in carmine de phoenice, & de dominica reſurrectione. Illic enim locus, hic tempus elegantiſsime deſcribuntur.

CAP. X.

DE AFFECTIBVS IN COMMVNI.

POſt amplificandi rationem proximum eſt, ut de affectibus diſſeramus: quamvis hoc, expoſita iam amplificandi ratione, magna ex parte traditum ſit. Affectus enim, ut philoſophi aiunt, partim magnitudine rerum, partim earumdem praeſentia oculis ſubiecta concitantur. Illud amplificatione, hoc deſcriptione rerum & perſonarum fit. Vtrumque vero hactenus explicuimus. Itaque rerum amplificatio atque deſcriptio, quamvis in ſuaden-

do

(a) *Baruch 4.*

do aut diſſuadendo, laudando aut vituperando plurimum valeant; non minus tamen, ſed multo etiam magis ad affectus permovendos conducunt. Haec igitur prima admonitio ſit, ut quum alicuius rei tractatione auditorum animos afficere volumus, eam rem maximam in ſuo genere oſtendamus, eamdemque, ſi natura rei patitur, velut oculis ſpectandam proponamus.

Huius rei commodiſsimum exemplum praebent lamentationes Ieremiae: in quibus vir ille ſanctiſsimus, non humano, ſed divino ſpiritu actus, civitatis ſanctae everſionem, civiumque ſuorum calamitatem miro modo his rationibus exaggerat. Omnia enim, quae calamitas illa complectebatur, hoc eſt, omnes eius partes & circumſtantias enumerat & amplificat, remque totam ante oculos ponit. Hoc enim oſtendunt illa verba: (a) quo modo ſedet ſola civitas plena populo! &c. Et, (b) candidiores Nazarei eius nive, nitidiores lacte, &c. Et, (c) omnes portae eius deſtructae, ſacerdotes eius gementes, virgines eius ſquallidae, & ipſa oppreſſa amaritudine. Iam vero eiuſdem prophetae oratio, lamentationibus addita, totius calamitatis ſummam complectitur.

Deinde illud etiam ad permovendos animos maxime iuvat, ut ipſi, qui movere alios volumus, vehementer commoveamur. Qua de re non gravabor Fabii verba, quae ſuperius citavi, hoc in loco repetere. Is igitur, ubi de movendis affectibus diſſeruiſſet, ſic hunc locum abſolvit: (d) Si tradita mihi ſequi praecepta ſufficeret, ſatisfeceram huic parti, nihil eorum, quae legi, vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo. Sed mihi in animo eſt, quae latent penitus, ipſa huius loci aperire penetralia: quae quidem non aliquo tradente, ſed experimento meo, ac natura ipſa duce accepi. Summa enim, quantum ego quidem ſentio, circa movendos affectus in hoc poſita eſt, ut moveamur ipſi. Nam & luctus, & irae, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, ſi verba vultumque tan-

(a) *Thren.* 1. (b) *Thren.* 4. (c) *Thren.* 1. (d) *Quinctil. lib. VI. cap.* 2.

tum, non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud eſt cauſae, ut lugentes utique in recenti dolore diſſertiſsime quaedam exclamare videantur, & ira nonnumquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis ineſt vis mentis, & veritas ipſa morum? Quare in his, quae veriſimilia eſſe volemus, ſimus ipſi ſimiles eorum, qui vere patiuntur, affectibus; & a tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, quum hoc dicam, non dolentem? Iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, idque exigit, ſimile patietur? Siccis agenti oculis lacrimas dabit? Fieri non poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res ulla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Primum eſt igitur, ut apud nos valeant ea, quae valere apud iudicem volumus; afficiamurque, antequam afficere conemur.

At quo modo fiet, ut afficiamur? Neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas *phantaſias* Graeci vocant, nos ſane viſiones appellemus; per quas, imagines rerum abſentium ita repraeſentantur animo, ut eas cernere oculis, ac praeſentes habere videamur: has quiſquis bene conceperit, is erit in affectibus potentiſsimus. Hunc quidem dicunt *euphantaſioton*, qui ſibi res, voces, actus, ſecundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget... Vt hominem occiſum querar, non omnia, quae in re praeſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaveſcet circumventus? exclamabit, vel rogabit, vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, & pallor, & gemitus, extremus denique exſpirantis hiatus inſidet? Inſequetur *enargia*, quae a Cicerone (a) illuſtratio & evidentia nominatur; quae non tam dicere videtur, quam oſtendere: & affectus non aliter, quam ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur... Vbi vero miſeratione opus erit, nobis ea, de quibus querimur, accidiſſe credamus, atque id animo noſtro perſuadeamus. Nos illi ſimus, quos gravia,

(a) *Acad. quaeſt. lib. IIII.*

via, indigna, triſtia paſſos queramur. Nec agamus rem quaſi alienam, ſed aſſumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quae in ſimili noſtro caſu dicturi eſſemus. Vidi ego ſaepe hiſtriones atque comoedos, quum ex aliquo graviore actu perſonam depoſuiſſent, flentes adhuc egredi. Quod ſi in alienis ſcriptis ſola pronuntiatio ita falſis accedit affectibus; quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice poſsimus... Orbum agimus, & naufragum, & periclitantem: quorum induere perſonas quid attinet, niſi affectus aſſumimus? Haec diſsimulanda mihi non fuerunt, quibus ipſe, quantuſcumque ſum, aut fui, nam perveniſſe me ad aliquod nomen ingenii credo, frequenter motus ſum, ut me non lacrimae ſolum deprehenderint, ſed pallor, & vero ſimilis dolor. Hactenus Fabius.

Ceterum pios animi erga res ſpirituales affectus nulla ars praebere poteſt, niſi adſit Spiritus ille divinus, qui afflatu ſuo hunc motum animis noſtris inſpiret, quo & prophetae, & evangelici viri pleni fuerunt. Hoc enim nobis inſinuat adſpectus ille ſanctorum animalium, quae Ezechiel propheta deſcripſit, (a) qui erat ut carbonum ignis ardentium, & quaſi adſpectus lampadarum. Non ſolum enim accenſis lampadibus mentes hominum illuminabant, ſed etiam ignitis carbonibus ad divinarum rerum amorem incendebant. Hoc affectu ſaucius Ieremias, clamabat: (b) quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? Et, (c) o vos omnes qui tranſitis per viam! &c. Et, (d) defecerunt prae lacrimis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiae populi mei. Hoc eodem affectu commotus Apoſtolus, dicebat: (e) quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Et, (f) filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis, vellem eſſe apud vos modo, & commutare vocem

(a) *Exech.* 1. (b) *Ierem.* 9. (c) *Thren.* 1. (d) *Thren.* 2. (e) 2. *Corinth.* 11. (f) *Galat.* 4.

cem meam, quoniam confundor in vobis. Quiſquis igitur hunc animum atque ſenſum habuerit, non dubium, quin motus ipſe alios movere, & incenſus incendere poſsit. Quia vero hoc, ut ante diximus, Spiritus ſancti donum eſt, qui in humilium cordibus requieſcit; humilitate & ſubmiſsione animi, aſsiduiſque precibus illud ab eo flagitet, quiſquis onus & officium hoc effugere non poteſt.

CAP. XI.

DE AFFECTIBVS IN SPECIE.

VErum haec in univerſum dicta ſunt. Iam ad affectus in ſpecie tractandos deſcendamus, ſua cuique loca, & inveniendi rationem perſcribentes. Sunt autem alii affectus oratorum, alii concionatorum. Oratores enim fere auditorum animos ad commiſerationem vel indignationem movere ſolent. Concionatores autem ad amorem Dei, peccati odium, ſpem divinae miſerationis, metum divini iudicii, ad ſpirituale gaudium, ſalutarem triſtitiam, divinarum rerum admirationem, mundi contemtum, & cordis humilitatem, ſive animi ſubmiſsionem movere ſolent.

Ariſtoteles ſecundo rhetorices ad Theodectem libro copioſe de omnibus ferme affectibus ſcribit: nempe de ira, manſuetudine, amore, odio, timore, audacia, pudore, indignatione, miſericordia, ceteriſque ſimilibus. In quibus tractandis philoſophico more cauſas explicat, quibus unuſquiſque horum affectuum in animo commoveri ſoleat. Hanc ergo prudentiſsimi philoſophi methodum his affectibus concitandis, quos ſupra memoravimus, nos quoque ſequemur. Diligenter ergo animadvertenda illa ſunt, quae in nobis dilectionem erga Deum, peccati odium, ſpem in Deum, timorem, ceteroſque ſimiles affectus concitare ſoleant. Haec autem omnia ſigillatim explicare, non unius libri, ſed multorum opus eſt: quum magna pars ſacrorum voluminum, ſanctorumque patrum hoc praecipue agat, ut hos affectus in animis noſtris ingeneret.

ret. Nobis autem hoc in loco ſatis erit, velut digito affectuum fontes indicaſſe, viamque oſtendiſſe, quam in aliis ſequi debeamus.

Amorem igitur in Deum excitant immenſa eius bonitas, caritas, manſuetudo, pulchritudo, cognatio, & beneficentia. Bonitas enim, ut ab hac incipiamus, humanae voluntatis obiectum a philoſophis eſſe dicitur. Deus autem non modo bonus, ſed immenſa etiam bonitas, ſummumque & univerſale bonum eſt, quod omnem complectitur bonitatem; quemadmodum ipſe ad Moſem ait: (a) ego oſtendam tibi omne bonum. Denique adeo bonus eſt, ut eius comparatione nihil bonum eſſe dicatur; quemadmodum Salvator ait: (b) nemo bonus, niſi ſolus Deus. Amor etiam noſtri, quem ſecundo loco poſuimus, ad mutuam amoris vicem reddendam incitat. At ita nos Dominus dilexit, ut dicat: (c) maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, Et, (d) ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. Et, (e) in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. Haec autem divina caritas ſic nos ad redamandum impellit, ut Salvator dicat: (f) ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Lenitas quoque & manſuetudo amorem conciliant. At virtutem hanc ita ſibi Salvator ſumſit, ut dicat: (g) diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et Apoſtolus, (h) ceteris Domini virtutibus praetermiſsis, fideles obſecrat per manſuetudinem Chriſti.

Pulchritudo quoque ad ſe amandam vehementer allicit, quae Graece *calon*, a vocando, dicitur; quod omnia vocet ad ſe, & amoris vi ac poteſtate trahat. At Deus eſt, cuius immenſam pulchritudinem Sol & Luna mirantur; qui de ſe ipſo ait: (i) pulchritudo agri mecum eſt. Nec agri ſolum, ſed omnium etiam caeleſtium atque terreſtrium rerum pulchritudinem in ſe uno continet: a quo etiam

(a) *Exod.* 33. (b) *Marc.* 10. (c) *Ioan.* 15. (d) *Ioan.* 3. (e) *Ierem.* 31. (f) *Luc.* 12. (g) *Matth.* 11. (h) 2. *Corinth.* 10. (i) *Pſalm.* 49.

etiam pulchritudo omnis in omnia, quae pulchra ſunt, derivatur: quum nemo dare poſsit, quod non habet. Quiſquis autem pulchri huius naturam & conditionem plenius cognoſcere cupit, Platonem legat in convivio; in quo Socrates feminam quamdam, de ſummi huius pulchri natura mirabiliter differentem, inducit.

Sequitur deinde cognatio, quam cum Deo habemus, cuius & genus ſumus: quemadmodum Paullus poëtae gentilis teſtimonio docet. Haec autem magnum etiam amoris incitamentum eſt. Quum enim ſanguinis & generis communio inter cognatos ſit; conſequens eſt, ut qui ſe ipſum diligit, eiuſdem generis & ſanguinis conſortes diligat. Inter cognationes autem, parentum & filiorum magna cognatio eſt. At de Domino Deo noſtro propheta dicit: (a) nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creavit te? Nec enim corporis ſolum formator, ſed animae etiam creator eſt: ideoque ipſe eſt, (b)a quo omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur: cuius comparatione, ſicut nemo bonus, ita nemo pater ſuper terram appellandus eſt. Vnde merito propheta dicit: (c) pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me. Et Iſaïas: (d) & nunc, Domine, pater noſter es tu: & Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos. Quanto ergo magis talis pater diligendus eſt? Sed eſt aliud cognationis nomen multo arctius atque coniunctius, quodque maiorem amoris flammam excitat: nempe viri & uxoris, propter quam(e)relinquet homo patrem & matrem. Hoc autem pleniſsimum amoris nomen ſibi Chriſtus Dominus in Canticorum libro vindicavit, ut flagrantiſsimum ſuum erga nos amorem, noſtrumque, hoc eſt, ſanctarum animarum erga illum, inſinuaret. Idemque fidelem animam, fide & caritate inflammatam, ſibi deſponſat. Vtrumque autem nomen, & patris & ſponſi, per prophetam complexus eſt, quum ait: (f) ergo amodo voca me, pater meus, & dux virginitatis meae. Quo ergo amore talis ſponſus a nobis diligendus eſt?

Su-

(a) *Deuter.* 32. (b) *Epheſ.* 3. (c) *Pſalm.* 26. (d) *Iſai.* 63. (e) *Geneſ.* 2. (f) *Ierem.* 3.

Supereſt beneficentia, quae omnia Domini beneficia, ſive corporis, ſive animae, ſive naturae, ſive gratiae, ſive communia, ſive privata, complectitur; atque inter haec omnia ſummum & maximum redemtionis noſtrae beneficium. Quae autem oratio horum beneficiorum multitudinem & magnitudinem vel explicare, vel etiam numerare valeat? Facilius enim ſtellarum multitudo, quam divina beneficia, numerari poterit. Quot ergo ſunt Domini beneficia, tot cordi noſtro igniculi admoventur, qui amoris ignem erga illum incendant. Denique, ut uno verbo omnia complectar, omnes amandi rationes, quae in rebus conditis inveniuntur, cum infinita acceſsione in hoc ſummo bono auctae reperiuntur. Quo fit, ut ſolus infinitus amor, qui in divino pectore aeſtuat, huic infinitae bonitati plene ſatisfaciat; ceteri vero amores, vel ipſarum quoque beatarum mentium, infinitis partibus minores ſunt, quam quos infinita illa bonitas & pulchritudo meretur. Ex his ergo fontibus rationes & incitamenta caritatis oriuntur, quibus algentia hominum pectora ad Dei amorem incendimus.

Hoc igitur exemplo propoſito, Eccleſiaſtes, partim ſtudio & meditatione, partim ſacrarum litterarum, ſanctorumque patrum lectione, rationes invenire poterit, quibus ceteros affectus in animis auditorum excitare poſsit. Inter quos ad letalis peccati odium & deteſtationem, & ad divinae iuſtitiae timorem potiſsimum ſtudeat inducere. Hunc autem ſalutarem metum praecipue acuunt peccatorum multitudo, incerta vitae conditio, mortis inevitabilis neceſsitas, divinorum iudiciorum abyſſus, rationis reddendae cogitatio, extremi iudicii formidanda ſeveritas, ſuppliciorumque gehennae acerbitas ſimul & aeternitas, ceteraque his ſimilia. Eſt autem hic timoris affectus utiliſsimus ad obdurata hominum pectora concutienda. Quum enim homines nimium ſui amantes ſint, etiamſi Dei amore careant; hoc tamen nimio ſui amore capti, quidquid ſibi valde noxium eſſe intelligunt, vehementer perhorreſcunt. Vnde fit, ut a ſervili timore incipientes, &

pec-

peccata ſolo poenarum metu deteſtantes, paullatim ad filiorum amorem provehantur. Hac ratione beatiſsimus confeſſor Vincentius infinitam paene hominum multitudinem ad veram poenitentiam traxit: quod in concionibus ſuis ut vehementiſsimus, ita frequentiſsimus eſſet in hoc divini iudicii, aeternorumque ſuppliciorum metu concitando. Quocirca Eccleſiaſtes, animarum ſalutem ſitiens, frequenter hos affectus urgere, ac praecipue gehennae acerbitatem & aeternitatem, quanta poterit vi dicendi, exaggerare, & velut oculis ſpectandam proponere debet. Numquam enim tantum has poenas dicendo amplificare poterit, quin multis ac paene infinitis partibus eius oratio ſit inferior, quam quod rei magnitudo poſtulat. Qua in re omnis ars, omniſque dicendi facultas deficit.

Quum enim inter oratorum virtutes *dinoſis* praecipue numeretur, quae rei indignitatem & atrocitatem non ſolum dicendo aequat, ſed etiam ſuperat; qua virtute Demoſthenes plurimum valuiſſe dicitur: in hac tamen poenarum acerbitate amplificanda virtus haec prorſus deficit. Tantum enim abeſt, ut maiorem, quam re vera eſt, dicendo faciat, ut nec, quanta ſit, efficere ullo modo poſsit. Quamvis autem longe minus ſit, quod hac de re dicitur; hoc ipſum tamen, quod dicitur, vehementer vel ferrea hominum praecordia movere poteſt. Ad hoc autem multa Eccleſiaſtes in ſcriniolis repoſita & meditata habere debet, quibus hunc affectum excitare poſsit, ac deinde ingentem admirationem commovere; quod tam multi ſint, qui haec omnia certiſsima fide ſibi perſuadentes, non aliter vivant, quam ſi eadem aniles fabulas exiſtimarent. Vbi igitur his rationibus argumenta invenerimus, quibus affectus iſti commoveantur, rationes amplificandi adhibendae ſunt, quibus ea, quae inventa fuerint, amplificemus: & haec ipſa exemplis, ſimilibus, diſsimilibus, & ſcripturarum atque ſanctorum patrum teſtimoniis confirmabimus.

DE

DE COMMISERATIONIS AFFECTV.

CONqueſtio in cauſis iudicialibus defenſori neceſſaria eſt, qua vel iudicum, vel auditorum animos ad miſericordiam flectere conatur. Huius autem affectus tractatio raro in concionibus incidit: incidit tamen aliquando, ſive quum dominicae paſsionis acerbitatem, vel ſacratiſsimae Virginis dolorem amplificamus, quando aut triduo filium amiſit, aut cum eo in AEgyptum fugit, aut, quod fuit longe miſerabilius, quum eumdem in cruce morientem vidit, & tumulo condidit. Poterit etiam in agonibus martyrum explicandis hic affectus intercedere. Quamvis autem hoc raro eveniat, quia tamen quae de hoc animorum motu rhetores docent, digna ſunt quae legantur; ea hoc in loco attexere volui: ex quibus prudens concionator, quae inſtituto ſuo commodiora videbuntur, ſeligere poterit. De hoc igitur affectu Cicero in primo de inventione libro (a) ſic ait.

Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, & miſericordem conficere oportet, quo facilius conqueſtione commoveri poſsit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae vis in omnes, & hominum infirmitas oſtenditur: qua ratione habita graviter & ſententioſe, maxime demittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur, quum in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiae, per quem, quibus in bonis fuerint, & nunc, quibus in malis ſint, oſtenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiae delectatio, amor, ſpes, ſolatium, educatio, & ſi qua ſimili in genere quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt.

Quartus, per quem res turpes, & humiles, & illiberales proferentur, & indignae aetate, genere, fortuna, priſti-

(a) *Cap.* 55. & 56.

ſtino honore, beneficiis; quas paſsi, perpeſſurive ſint. Quintus eſt, per quem omnia ante oculos ſigillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, & re quoque ipſa, quaſi adſit, non verbis ſolum ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem praeter ſpem in miſeriis demonſtratur eſſe; & quum aliquid exſpectaret, non modo id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt, ſimilem caſum convertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat eſſe, nos quum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: non affui, non vidi, non poſtremam eius vocem audivi, non extremum eius ſpiritum excepi. Item: inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad mutas & expertes animi res refertur: ut ſi ad equum, domum, veſtem, ſermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, vehementer commovetur.

Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius eiuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem diſiunctio deploratur ab aliquo, quum diducaris ab eo, quicum libentiſsime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertiuſdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adiutores fore putaverimus, aut a quibus indignum eſt, ut ſervis, libertis, clientibus, ſupplicibus. Quartuſdecimus, qui per obſecrationem ſumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili & ſupplici oratione, ut miſereantur. Quintuſdecimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui cari nobis debent eſſe, fortunas conqueri nos demonſtramus. Sextuſdecimus eſt, per quem animum noſtrum

ſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendimus: & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſi quid acciderit, demonſtramus. Nam ſaepe virtus & magnificentia, in quo gravitas & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commovendam, quam humilitas & obſecratio. Commotis autem animis, diutius in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacrima nihil citius areſcit. Hactenus Cicero.

CAP. XII.

DE FIGVRIS ELOQVVTIONIS, QVAE AFFECTIBVS concitandis deſerviunt.

QVae hactenus de affectibus concitandis diximus, ad inveniendi magis, quam ad eloquendi, rationem pertinent. Nunc quaſdam eloquutionis figuras, quae ad hoc ipſum praecipue conducunt, his adiungere viſum eſt. Poſt rem igitur inſignem amplificatam aut probatam, auditoris animus, qui iam rei magnitudine incipit commoveri, figuris ad hoc idoneis excitandus eſt. Inter quas prima & vulgatiſsima eſt exclamatio; qualis illa Apoſtoli, ex affectu caritatis erumpens: (a) o inſenſati Galatae! quis vos faſcinavit non obedire veritati? &c. Nec ſemper exclamatio ab hac interiectione, o, incipienda eſt, ſed ubicumque impotens affectus erumpit, exclamatio eſt; qualis illa: (b) generatio prava, atque perverſa! haeccine reddis Domino, populе ſtulte & inſipiens? Nonne ipſe eſt pater tuus, &c. Potuiſſet enim dicere: o generatio prava! &c. quemadmodum in evangelio Dominus: (c) o generatio incredula atque perverſa! quamdiu apud vos ero? quouſque vos patiar? Illa quoque eiuſdem Domini vox, doloris index, (d) vae mundo a ſcandalis, exclamatio eſt.

Sed vehementiſsima illa eſt, quae pluribus conſtat exclamationibus; qualis illa Gregorii Theologi in oratione

(a) *Galat.* 3. (b) *Deut.* 32. (c) *Matth.* 17. (d) *Matth.* 18.

funebri, in qua Gorgoniae ſororis, feminae ſanctiſsimae, virtutes, ac praecipue ſacras in orationis ſtudio vigilias commendat. Re enim expoſita, ſic exclamat: (a) o noctes inſomnes, & pſalmorum cantus, & ſtationem in diem deſinentem! O David, ſolis piis animis haud prolixe canens! O tenera membra in terram provoluta, ſeque aſpere praeter naturam exercentia! O lacrimarum fontes prae tribulatione profuſarum, ut in exſultatione meſſem faciant! O nocturnum clamorem, nubes penetrantem, ad Deumque pervadentem! O ſpiritus fervorem, prae orationis deſiderio nec canes nocturnos, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras extimeſcentem! O femineam naturam, quae, propter commune ſalutis certamen, naturam virilem ſuperaſti, atque oſtendiſti, maris & feminae nomine, non animos, ſed corpora ſola diſtingui! Hactenus Gregorius.

Eſt autem exclamatio multo acrior, quum *apoſtrophe* coniuncta eſt; in qua animus, rei magnitudine commotus, ad res etiam mutas & inanimes ſermonem convertit, qualis illa eſt: (b) obſtupeſcite caeli ſuper hoc, & portae eius deſolamini vehementer, &c. Et illa quoque ante rem expoſitam, quod rarius contingit, contingit tamen: (c) audi, caelum, & auribus percipe, terra, quia Dominus loquutus eſt. Et ſimilis huic: audite caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei. Sed illa tamen, ſi non acrior, certe ſplendidior atque ſuavior ex deſiderii magnitudine expreſſa vox: (d) rorate caeli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Hanc quidem vocem ingens deſiderii ardor expreſsit. Ille vero vehemens grati animi & laetitiae affectus: (e) laudate caeli, quoniam Dominus fecit: iubilate extrema terrae: reſonate montes laudationem, ſaltus, & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſraël gloriabitur. D. vero Hieronymus, in epitaphio Nepotiani, mortem ipſam alloquitur his verbis: o mors, quae fratres dividis, & amo-

re

(a) *Gregor. Nazian. oratione funebri ſororis Gorg.* (b) *Ierem.* 2. (c) *Iſai.* 1. (d) *Iſai.* 45. (e) *Iſai.* 44.

re ſociatos, crudelis ac dura, diſſocias! &c.

Contraria huic figura eſt, qua non res mutas & inanimes alloquimur, ſed ipſis etiam ſermonem, & humanos affectus tribuimus: quod in litteris ſanctis ut vehementiſsimum, ita frequentiſsimum eſt. Quale eſt illud: (a) flumina plaudent manu, ſimul montes exſultabunt a conſpectu Domini: quia venit, &c. Et, (b) laetentur caeli, & exſultet terra: gaudebunt campi, & omnia, quae in eis ſunt. Tunc exſultabunt omnia ligna ſilvarum a facie Domini, quia venit, &c. Et, (c) miſericordia & veritas obiaverunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatae ſunt.

Finitima his hyperbole, quae latine dicitur ſuperlatio; cuius eſt etiam non infrequens in litteris ſanctis uſus: quae rem attollit quidem ſupra fidem, ſed non ſupra modum. Talis eſt illa vox in pſalmo 17. & intonuit de caelo Dominus, & Altiſsimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas, & diſsipavit eos; fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum. His enim vocibus horrendis impetum & iram divini numinis adverſus impios voluit demonſtrare. Ad eumdem modum Deus apud Iſaïam, (d) caelum, inquit, turbabo, & conquaſſabitur terra, propter indignationem Domini exercituum. Quem locum D. Hieronymus explanans, ait, hanc eſſe ſuperlationem, qua vehementiſsimam iram Dei vates ſanctus exaggerat. Simile huic eſſe videtur illud eiuſdem prophetae: (e) tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſsipabo ſimul & abſorbebo: deſertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exſiccabo. His enim verbis divini furoris magnitudo inſinuatur.

Interrogationum quoque repetitio vim habet & acrimoniam, & non ſolum ad affectus permovendos, ſed etiam ad orationis varietatem plurimum valet. Eſt autem vehementior atque elegantior, quum plures interrogationes, articulis aut membris diſtinctae, in eadem orationis ſerie

(a) *Pſalm.* 97. (b) *Pſalm.* 95. (c) *Pſalm.* 84. (d) *Iſai.* 13. (e) *Iſai.* 42.

fluxerunt ; quale eſt illud Apoſtoli : (a) non ſum liber ? non ſum apoſtolus ? nonne Chriſtum vidi ? nonne opus meum vos eſtis in Domino ? Et paullo poſt : quis militat ſuis ſtipendiis umquam ? quis plantat vineam , & de fructu eius non edit ? quis paſcit gregem , & de lacte gregis non manducat ? Numquid ſecundum hominem haec dico ? An & lex haec non dicit ? &c. Sic etiam , expoſita letalis peccati gravitate , eos , qui huiuſmodi peccata deſerere nullo modo volunt , his interrogationibus urgere ac perterrefacere licebit. Quouſque tandem , o miſeri homines , divina patientia abutemini ? quamdiu in iſto infeliciſsimo ſtatu permanebitis ? quem tot ſceleribus finem ſtatuetis?

Nihil ergo vos periculi veſtri magnitudo , nihil divini iudicii timor , nihil mortis incerta conditio , nihil rationis reddendae cogitatio , nihil aeterni ſupplicii metus , nihil ſuſceptae cum Deo inimicitiae periculum , nihil tot divina beneficia , quae nos ad benefactoris amorem provocant, nihil divinae maieſtatis imperium , quod ſpernitis , & pro nihilo ducitis , nihil Chriſti crux , clavi , lancea , ſputa , vincula, flagella, veſtri cauſa ſuſcepta , apud vos efficient? Quale pectus illud eſt , quod tot machinis non movetur , tot arietibus non quatitur , tot fulminibus non deiicitur ? Quo modo talibus aut cibus, aut ſomnus gratus eſſe poteſt, quum in eo ſtatu degant , in quo , ſi repentina mors ſupervenerit, quod fieri non raro ſolet , protinus ad aeterna ſupplicia rapiantur ? Quis in eis ſenſus remanet , qui ſomnum carpere tot noctes in peccato audent ? qui rerum omnium conditorem , ſine cuius virtute ne ſpirare quidem poſſumus , ſibi infenſum & inimicum habent ? Quis hic daemonis vires atque potentiam non agnoſcat , adeo potenter hominem excaecantis , & veluti adamantinis compedibus vincientis?

Obſecratio quoque , qua aliquid obnixe ab auditoribus poſtulamus , poſt rem probatam aut amplificatam , appoſitiſsime cadit. Sic Paullus , (b) obſecro , inquit , vos per miſericordiam Dei , ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem , &c. Et iterum : (c) ipſe ego Paullus obſecro vos per man-

(a) 1. *Corinth.* 9. (b) *Rom.* 12. (c) 2. *Corinth.* 10.

manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, &c. Et alibi : (a) obſecro vos ego vinctus in Domino, &c. Sic D. Chryſoſtomus, poſtea quam vehementer in eos invectus eſſet, qui ſorores adoptivas domi fovebant, hac obſecratione orationem clauſit : oro igitur & ſupplico, & ante genua veſtra me provolvo, & omnibus preces offero, perſuadeamini, & ab hac ebrietate redeamus : ſimus noſtri ipſorum compotes, & agnoſcamus honorem, quem dedit nobis Deus, & Paullum clamantem audiamus : ne ſitis ſervi hominum, & mulieribus ſervire ad communem omnium perniciem deſinamus. Hactenus ille.

Hac igitur figura frequentiſsime concionatores uti poſſunt : quae, ſi a caritatis viſceribus proficiſcatur, magnam vim ad animos permovendos habet. Eſt in Hiſpania concionator quidam, non minus ſanctitate, quam doctrina & officii dignitate celebris : cuius auditores, inter cetera laudum eius inſignia, hoc maxime commendant, quod frequenter hac obſecratione uti ſoleat : obſecro vos, fratres, amore Dei, ne ultra peccare velimus. Quam quidem ſententiam ea vocis & vultus figura pronuntiat, quae facile affectum eius caritatis pleniſsimum oſtendunt, quo vehementer auditorum animos commovere ſolet.

Finitima eſt huic adiuratio, quae maiorem adhuc vim habet. Cuius ſpeciem illa Paulli verba prae ſe ferre videntur : (b) teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum eius, praedica verbum, &c. Religioſus admodum pater Franciſcus Titelmanus, ubi in commentariis de caelo & mundo, aliquorum ſiderum magnitudinem, ex ſententia Ptolemaei Alfagrani, ceterorumque doctiſsimorum aſtronomorum, declaraſſet; adieciſſetque, aliquot ſidera eſſe, quae terrae magnitudinem triceſies quinquies, alia ſeptuagies, alia nonagies, alia vero, quae primae magnitudinis eſſe dicuntur, centies & ſepties ſuperarent, rei magnitudine ſtupefactus, ſic exclamat : adiuro te, lector, quiſquis es, ut chriſtiano pectore etiam atque etiam perpendas ex his,

(a) *Epheſ.* 4. (b) 2. *Timoth.* 4.

quae dicta ſunt, quam ſit miſeranda ſors eorum hominum, qui propter auguſtiſsima huius terrae gurguſtiola immenſam illam caeleſtis regni amplitudinem amittunt.

Iterumque conſidera, quam miſeri ſint, & quam male ſibi conſulant, qui pro huiuſmodi rebus digladiantur, mutuoque ſe ipſos decipiunt, omniaque divina & humana iura violant. Quamvis enim aliquis totius terrae imperium obtineret, quod tamen nulli hactenus inter mortales contigit; quid aliud, quam punctum, rapuit? quid aliud quam punctum manibus tenet, in atomo tenet imperium? Illi ergo, qui pro terrae minima particula, utpote pro agello, pro anguſto praediolo, pro domuncula ſive caſula contendunt; quid aliud moliuntur, quid quaerunt, quam huius puncti, hoc eſt, totius terrae, minimam particulam poſſidere? O vanas hominum curas! o pectora caeca! Diſce, o miſer, pro quam minima recula, quantum amittas theſaurum; & pro anguſto formicarum nidulo, quam amplum abiicias palatium, dum terrenam ſortem caeleſti praeeligis.

Optatio quoque affectum animi deſiderantis explicat; qualis illa: (a) gens abſque conſilio, & ſine prudentia eſt. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſsima providerent! Item illa: (b) quis dabit mihi pennas ſicut columbae, & volabo, & requieſcam? Et illa: (c) uſquequo peccatores, Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur? Sic etiam Dominus de filiis Iſraël obedientiam pollicentibus ad Moſem ait: (d) recte omnia ſunt loquuti. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea, ut bene ſit illis, & filiis eorum uſque in ſempiternum? Sanctus quoque Iob, (e) quis, inquit, mihi tribuat, ut in inferno protegas me? &c. Et, (f) quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro, &c. Ieremias item, populi peccatis offenſus, clamat: (g) quis dabit me in ſolitudine diverſorium viatorum, ut fugiam populum meum; quia omnes adulteri ſunt, & coetus praevaricatorum?

Con-

(a) *Deuter.* 32. (b) *Pſalm.* 54. (c) *Pſalm.* 93. (d) *Num.* 36. (e) *Iob* 14. (f) *Iob* 19. (g) *Ierem.* 9.

Contraria huic eſt imprecatio; qualis illa Didonis apud Virgilium: (a)

Sed mihi vel tellus optem prius ima debiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor, quam te violem, aut tua iura reſolvam.

Eſt haec figura non infrequens in litteris ſanctis. Sic ſanctus Iob: (b) pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt homo. Et Oſeae 14. pereat Samaria, quia ad iracundiam provocavit Deum ſuum, &c. Et in pſalmo: (c) fiant menſae eorum coram ipſis in laqueum, &c. Verum his imprecationibus, prophetarum & pſalmorum libri pleni ſunt: quae tamen non tam imprecationes malorum, quam futurarum cladium vaticinia, exiſtimandae ſunt. Hac figura uti poſſumus, quum, gehennae acerbitatem, aut extremi iudicii ſeveritatem exaggerantes, damnatorum voces exprimimus; quibus illi parentibus, nutricibus, praeceptoribus, ac poſtremo natali diei, atque ſibi ipſis rabido ore dira imprecantur.

Admiratio quoque inter figuras, quae affectibus ſerviunt, iure numeranda eſt: cuius eſt in litteris ſanctis frequens uſus; qualia ſunt illa: (d) quo modo ſedet ſola civitas plena populo! Et, (e) quo modo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! Et, (f) quo modo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion! Iſaïas quoque, (g) quo modo cecidiſti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris! &c. Et Pſalmographus: (h) quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis, quia converſus es retrorſum? Montes exſultaſtis ſicut arietes, &c. Hoc autem in loco duplicatur figura, quum admirationi iungitur apoſtrophe. Apparet autem, hanc eſſe figuram, quia quod ſimpliciter dici poterat, ſedet ſola civitas plena populo, &c. acrius eadem ſententia hoc modo profertur, & honeſtatur.

Sunt & aliae figurae, quae multum etiam ad acrimoniam, & res amplificandas valent: quales ſunt, repetitio,

(a) *AEneid. lib. IIII. a v.* 24. (b) *Iob* 3. (c) *Pſal.* 68. (d) *Thren.* 1. (e) *Thren.* 4. (f) *Thren.* 2. (g) *Iſai.* 14. (h) *Pſalm.* 113.

conversio, complexio, interpretatio, *synathrismos* sive congeries, contraria, contentio, & quaedam aliae, quas inter ceteras eloquutionis figuras reddemus. Eas enim solum hic enumerare voluimus, quae manifestos continent affectus. Quas si quis inter figuras referre noluerit, non admodum repugnabo, dum modo earum vis atque natura intelligatur.

Haec sunt, quae de amplificandi ratione in communi mihi dicenda visa sunt. Quum autem initio secundi libri, omnem orationem in triplici genere versari, traditum a nobis sit, nempe argumentatione, amplificatione, & expositione; ac de duobus prioribus iam dictum sit: reliquum erat, ut de tertia parte, hoc est, expositione, modo diceremus: de qua tamen in sequenti libro, quum de narratione, & genere didascalico dicendum erit, pauca trademus. Vtroque enim modo aliquid exponimus, vel quum rem gestam narramus, vel quum abstrusum aliquid dicendo explicamus.

LIBER QVARTVS

ECCLESIASTICAE RHETORICAE,

SIVE DE RATIONE CONCIONANDI:

QVI SINGVLARIA CONCIONVM genera, & disposi tionis ordinem atque rationem explicat.

CAP. I.

DE SEX ORATIONIS PARTIBVS.

HActenus communia inventionis praecepta, quae ad omnia concionum genera in universum pertinent, exposuimus. Nunc doctrinae ordo exigere videtur, ut ad singulares concionum species tractandas descendamus: & quid unaquaeque earum desideret, quidque Ecclesiastes supra oratorem addat, explicemus. Diximus autem, ex Aristotelis & Ciceronis sententia, rhetoricae artis materiam in triplici causarum genere versari, iudiciali, deliberativo, ac demonstrativo. Et in iudiciali quidem genere accusamus, vel defendimus: in deliberativo suademus, dissuademus, hortamur, dehortamur, petimus, consiliamur, commendamus, &c. in demonstrativo, personas, res, facta laudamus, aut vituperamus. Additum est his didascalicum, seu dialecticum genus ab iis, qui latius hoc causae genus patere volunt, ut non tantum finitam complectatur quaestionem, sed ad infinitam etiam extendatur, & ad quamcumque rem positam, de qua differi via & ratio-

tione poſsit. Hoc genere continentur theſes, ſeu loci communes, & ſimplices, & copulati: quorum tractationem orator a dialectica methodo accipit. Eam rationem Cicero in libris de officiis ſequutus eſt: nihilque aliud D. Thomas, ceterique Theologiae doctores agunt, quum de Deo, de angelis, de anima, de fide, ſpe, caritate, ceteriſque virtutibus diſputant; quarum naturam, genus, ſpecies, partes, cauſas, effectus, &c. tractant. Huius autem generis finis cognitio eſt. Eccleſiaſtes tamen omnia ad vitae inſtitutionem inclinabit.

Ex his autem quattuor generibus, iudiciale ab inſtituto noſtro excludendum eſſe, ſuperius diximus; reliqua vero tria, quoniam propoſito noſtro magis conveniunt, ſigillatim a nobis tractanda ſunt.

Quia vero non parum refert ad omnia concionum genera, praecipueque ad ſuaſoria, quae maxime ad inſtitutum noſtrum pertinent, orationis cuiuſque praecipuas partes, & veluti membra noſſe: neceſſe erit, ut has ante omnia breviter exponamus. Sunt igitur pleniſsimae atque perfectae orationis ſex partes: exordium, narratio, propoſitio, cui partitio ſive diviſio iungitur, confirmatio, confutatio, & concluſio ſive peroratio. Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris praeparatur ad audiendum. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum, expoſitio. Propoſitio ſummam cauſae complectitur: cui additur partitio, quae membra orationis aperit. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeveratione. Confutatio eſt contrariorum locorum diſſolutio. Concluſio eſt artificioſus terminus orationis. Has partes natura monſtravit, & hunc ordinem ſervari iubet, ut antequum de re propoſita dicamus, initio concilientur animi eorum, qui audiunt; deinde res demonſtretur; poſtea controverſia conſtituatur; tum id, quod intendimus, confirmetur; poſt, quae contradici poſſunt, refellantur; extrema autem oratione, ea, quae pro nobis faciunt, amplificentur, & augeantur; quae pro adverſariis, infirmentur. Eſt itaque oratio, quae his partibus conſtat, velut perfectum quoddam in ſuo genere cor-

pus,

pus,membris omnibus abſolutum. Prima igitur pars ad conciliandos animos, ultima ad commovendos valet. Confirmatio & confutatio ad docendum ac probandum pertinent, ad quam reliquae viam muniunt. Ex his partibus plena & perfecta componitur oratio. Quid autem unaquaeque earum exigat, exponere incipiamus.

§. I.

DE EXORDIO.

EXordium eſt, quo animus auditoris ad audiendum praeparatur. Id ita ſumitur, ut benevolos, ut attentos, ut dociles auditores habeamus. Hic multa rhetores de captanda benevolentia docent. Benevolos quippe auditores quattuor modis faciunt: a dicentis, ab adverſariorum, ab auditorum perſona, & a rebus ipſis. Et ab adverſariorum quidem perſona, ſi eos in odium, invidiam, contemtum adduxerint: quae omnia longiſsime ab officio noſtro diſtant. Satis ergo nobis erit, ſi attentos & dociles efficiamus; quibus etiam rationibus, eorum nobis favorem & gratiam conciliabimus. Attentos enim habebimus, ſi docebimus, nos de rebus magnis, novis, inuſitatis verba facturos, aut de iis rebus, quae ad rempub. pertinent, aut ad eos ipſos, qui audient, aut ad Dei cultum & religionem: & ſi rogabimus, ut attente audiant: & ſi numero exponemus res, de quibus dicturi ſumus. Dociles auditores habere poterimus, ſi ſummam cauſae breviter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. Nam docilis eſt, qui attente vult audire.

§. II.

DE NARRATIONE.

POſt exordium rhetores, qui hanc artem ad iudiciales praecipue cauſas tractandas, ut antea diximus, excogitarunt, narrationem ſecundo loco poſuerunt: quae ad hu-

huiuſmodi cauſas agendas fere neceſſaria eſt. Hoc autem narrationis genus parum inſtituto noſtro convenit. Sunt tamen quattuor alia narrationum genera, quae non raro in conciones incurrunt. Primum eſt, quum res geſtas, quae vel in ſacris litteris, vel in vita ſanctorum continentur, ad aliquid confirmandum commemoramus. Secundum eſt, quod amplificandi cauſa tractatur. Tertium eſt, quod allegoriae, vel tropologiae ſervit. Quartum in evangelica lectione explicanda verſatur: de quibus breviter modo dicendum eſt.

Primum ergo genus eſſe dicimus, quod res geſtas, & exempla ſanctorum commemorat. Sic enim narramus hiſtoriam Ioſeph a fratribus proditi: ſic Davidis, Tobiae, Iudith, Eſther, Ionae prophetae, ceteraſque ſimiles, alicuius utilitatis gratia, in diverſis concionum partibus commemoramus. Nemo autem putet, facile cuique eſſe, huiuſmodi exempla artificioſe & eleganter dicere. Hac enim in re cum primis eloquentia dominatur, ut iucundam narrationem efficiat: in ea namque tum animorum motus, tum verba variis perſonis convenientia, per quae morata oratio fit, tum etiam breves rerum deſcriptiones adhibendae erunt, quae rem oculis ſubiiciant. Genus quoque orationis rebus ipſis convenire debet. Hoc autem fiet, ſi laetis iucunda, ſeriis gravis, inſignibus ornata, triſtibus acerba tribuatur expoſitio.

Quamvis autem huiuſmodi narrationes iudicialium cauſarum diſsimiles ſint, eas tamen virtutes habere debent, quas illis rhetores attribuunt. Volunt quippe, ut omnis narratio brevis, dilucida, veriſimilis, & iucunda ſit. Brevis, & iucunda libentius auditur: perſpicua facilius intelligitur: veriſimilis citius probatur. Solet fere narrationis initio praeparatio quaedam adhiberi, & fini tamquam peroratio, atque ad contentionem tranſitio: quod ipſum in reliquis etiam partibus obſervandum eſt, ut apte inter ſe omnes atque eleganter cohaereant. Has ergo res habere narrationem convenit: quae quoniam fieri oportere ſcimus, quemadmodum facere debeamus, cognoſcendum eſt. Rem breviter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare, unde neceſ-

ceſſe erit : & ſi non ab ultimo initio repetere volemus ; & ſi ſummatim , non particulatim , narrabimus ; & ſi non ad extremum , ſed uſque eo , quo opus erit , proſequemur ; & ſi tranſitionibus nullis utemur ; & ſi non deerrabimus ab eo , quod coeperimus exponere ; & ſi exitus rerum ita exponemus , ut ante quoque quae facta ſint , ſciri poſsint , tametſi nos reticuerimus. Quod genus , ſi dicam me ex provincia rediiſſe , profectum quoque in provinciam intelligatur. Et omnino non modo id , quod obeſt , ſed etiam id, quod neque obeſt , neque adiuvat , ſatius eſt praeterire. Et, ne bis aut ſaepius idem dicamus , cavendum eſt etiam , ne id , quod ſemel ſupra diximus , deinceps dicamus , hoc modo : Athenis Megaram veſpere advenit Simo : ubi advenit Megaram , inſidias fecit virgini : inſidias poſtquam fecit, vim in loco attulit.

Rem dilucide narrabimus , ſi ut quidquid primum geſtum erit , ita primum exponemus , & rerum ac temporum ordinem conſervabimus , ut geſtae res erunt , aut ut potuiſſe geri videbuntur. Hic erit conſiderandum , ne quid perturbate , ne quid contorte , ne quid ambigue , ne quid nove dicamus , ne quam aliam in rem tranſeamus , ne ab ultimo repetamus , ne longe proſequamur , ne quid , quod ad rem pertineat , praetereamus : & ſic perſequamur ea , quae de brevitate praecepta ſunt. Nam quo brevior , eo dilucidior & cognitu facilior narratio fiet. Veriſimilis narratio erit , ſi , ut mos , ut opinio , ut natura poſtulat , dicemus: ſi ſpatia temporum , perſonarum dignitates , conſiliorum rationes , locorum opportunitates conſtabunt ; ne refelli poſsit , aut temporis parum fuiſſe , aut cauſam nullam , aut locum idoneum non fuiſſe , aut homines ipſos facere aut pati non potuiſſe. Iucunda vero narratio erit , ſi nova , inexſpectata , magna , gravia contineat.

Secundum narrationis genus eſſe diximus , quod amplificandi cauſa ſumitur , quo videlicet egregia ſanctorum facta , aut deteſtanda malorum exempla amplificare volumus. Hac ratione Origenes obedientiam Abrahae in filii ſacrificio, Gregorius Nazianzenus vitam & mortem beati martyris Cypria-

priani , D.Basilius quadraginta militum martyrium , D. autem Chrysostomus trium puerorum , quos Nabuchodonosor in fornace coniici praecepit , constantiam & animi magnitudinem amplificat. Hoc autem narrationis genus maiorem adhuc eloquentiae vim , quam superius illud , desiderat. Huic enim potissimum amplae illae rerum & personarum descriptiones , & ea omnia , quae in superiori libro de amplificatione diximus , serviunt. Nihil autem nos iuvare magis ad huius artificii rationem poterit , quam haec sanctorum patrum scripta , quae modo retuli, perlegisse , &, quae artis sunt , diligenter in eos adnotasse. Verum hac de re paullo fusius , quum ad demonstrativum genus ventum fuerit , differemus.

Tertium genus est , quod allegoriae , mysticisque sanctarum scripturarum sensibus deservit. Quia vero sancti olim patres , ac praecipue Origenes , in his mysticis sensibus explicandis diligentissime versati sunt ; & hoc ipsum ad concionatoris officium maxime spectat : quae mihi hac de re dicenda videbuntur , paucis expediam. Principio igitur inter mysticos sensus , alii ad mores formandos , alii ad Christi mysterium explicandum pertinent : illud tropologiam, hoc allegoriam appellant. Et illi quidem sensus ad moralem philosophiam , hi vero ad Christi fidem : illi ad legem, & institutionem vitae , hi ad gratiam evangelii explicandam referuntur. Qua ex re dignitas allegoriae supra tropologiam intelligitur : quandoquidem tropologia divinae legis enarrationem continet , allegoria vero divinae gratiae beneficium demonstrat : illa quidem intellectum erudit, haec vero , proposita divinae gratiae , divinaeque bonitatis & misericordiae magnitudine , voluntatem accendit. Itaque quum concionator , ut ante diximus , docere , flectere , ac delectare debeat , tropologia solum docet : allegoria vero non solum docet , sed etiam flectit atque delectat. Delectat quidem , divinae largitatis , & gratiae , evangeliique faustissimo nuncio ante oculos posito : flectit autem , qui, hac tanta divinae bonitatis & caritatis magnitudine expositа , voluntates hominum ad mutuum in Deum amorem,

rem, & peccati odium, & ſalutis ſuae ſpem vehementer incendit.

Sed quum allegoriae nomen multa, quae ad Chriſti myſterium pertinent, comprehendat; illud genus allegoriae potiſsimum excellit, quod ſummum redemtionis noſtrae beneficium, & dominicae paſsionis meritum, & divinae gratiae, quae per illam nobis datur, mirabilem vim & efficaciam praecipue declarat. Haec enim diligenter expoſita & amplificata, miro modo mentes hominum in tantarum rerum admirationem rapiunt, & divinae bonitatis, benignitatis, caritatis & miſericordiae amorem vehementer inflammant. Nemo autem allegoriarum tractatione hos affectus excitare poterit, niſi qui prius, partim quidem ſtudio atque doctrina, partim vero ſecreto Spiritus ſancti magiſterio, hanc tantam divinae dignationis gratiam didicerit, eiuſque non modo cognitionem, ſed etiam ſenſum ab eo hauſerit. Hoc autem ad myſticam Theologiam ſpectat, quae divinarum rerum dignitatem magis amando ac deguſtando, quam intelligendo, cognoſcit; cuius verus ac legitimus magiſter Spiritus ſanctus eſt. Qui ab hoc igitur ſummo praeceptore fuerit edoctus, is utique huiuſmodi allegoriarum tractatione poterit animos hominum ad amorem in Deum, & peccati odium excitare: & quem ipſe motum atque affectum animo conceperit, in alios dicendo transfundere.

Sunt autem quidam, praecipue hac noſtra aetate, qui ſolo litterali, ut vocant, ſenſu contenti, myſticos ſenſus refugiunt. Sunt rurſus alii, qui in omnibus paene ſanctarum ſcripturarum locis hos ſenſus indagare ſtudent: quo in genere notatus olim a D. Hieronymo Origenes fuit: ſic enim de illo ait: liberis campis allegoriae vagatur, & interpretatis nominibus ſingulorum, ingenium ſuum facit Eccleſiae ſacramenta. Modus igitur in his adhibendus eſt, & media, hoc eſt, regia via incedendum, ut videlicet nuſquam allegorias requiramus, niſi quum res ipſa myſticum ſenſum poſtulare videtur. Quum enim Dominus in evangelio (a) lutum

(a) *Ioan.* 9.

tum facit ex ſputo, & caeci oculos linit, & ad natatoriam Siloë mittit: quumque ſurdum, & mutum a turba ſecernit, (a) & exſpuens tangit linguam eius, & digitos mittit in aures eius, & gemit, & caelum ſuſpicit, aperte haec omnia myſticum aliquid nobis hic latere inſinuant.

Hac igitur in re haec ab eodem Origene tradita regula mihi tenenda eſſe videtur: ut quoties vel in ſacra hiſtoria, vel in veteris legis praeceptis, ſacrificiis, & caerimoniis aliquid inveniatur, quod prima fronte vel otioſum, vel ſpecie tenus ſuperſtitioſum, vel parum rationi & aequitati conſonum inveniatur; ibi myſticum ſenſum requiramus: ut quod in littera, ſcriptoris aut legislatoris dignitati minus convenire videtur, in myſtico ſenſu maxime convenire reperiatur. Exempli gratia: parum divinae legis aequitati convenire videtur, ut mulier, (b) quae filium enixa fuerit, ſeptem diebus immunda ſit, & ab omni ſacrorum contactu arceatur: ſi vero filiam pepererit, hoc legalis immunditiae ſpatium duplicetur. Sic etiam quum vir mundus, (c) qui ex praecepto Domini vaccam, legalium immunditiarum expiatricem, comburit, & qui eius cineres colligit, in mundiſsimo loco reponit, lavare veſtimenta ſua, & uſque ad veſperam immundus eſſe per legem debeat: quum ex divinae legis obedientia, & rei mundiſsimae contactu nemo ſordes contrahat. Iam vero vacca praecipitur eligi rufa, & ſine macula, & quae numquam iugum portaverit, & quod extra caſtra, non in templo, ſit immolanda atque comburenda; & ita comburenda, ut ipſius etiam pellis atque fimus cum ea ſimul comburantur: quis igitur haec omnia myſteriis vacare credat? Quid vero mundati leproſi ſacrificium? quam multa continet, quae, ſi nihil ſpirituale atque reconditum deſignarent, indignum Deo legislatore viderentur.

Sic enim Levitici XIIII. de ipſo legimus: adducetur ad ſacerdotem, qui egreſſus de caſtris quum invenerit lepram eſſe mundatam, praecipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos paſſeres vivos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyſſopum, & unum ex paſſe-

(a) *Marc.* 7. (b) *Levit.* 12. (c) *Num.* 19.

ſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viventes : alium autem vivum cum ligno cedrino , & cocco , & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati , quo adſperget illum , qui mundandus eſt , ſepties , ut iure purgetur, & dimittet paſſerem vivum , ut in agrum avolet. Hactenus verba legis. In his ergo ac ſimilibus legibus explicandis Origenes ait : ſi credimus, has litteras eſſe divinas, neceſſe eſt , ut ſpirituale aliquid atque divinum , tanto dignum legislatore , in eis latere fateamur. Alioqui audeo dicere , Athenienſium , aut Lacedaemoniorum leges commodiores hominibus , magiſque ſalutares exſtitiſſe. Quum vero idem Dominus in paſchalis agni ſacrificio praecipiat, (a) ut is agnus ſit anniculus , ut ſine macula , ut in una domo comedatur , ut oſſa eius non conterantur , ut nihil ex eo in craſtinum reponatur , ſed igne , quod reſiduum fuerit , comburatur , ac poſtremo ut aſſus , non elixus, comederetur : quis adeo ſine mente erit , ut non , haec omnia myſticis ſenſibus refertiſsima eſſe , credat ? Hic D. Gregorius ex eo, quod Dominus praecipit, (b) ne quid crudum ex hoc agno comederetur , aperte colligit , ſpiritualem in his ſenſum reconditum eſſe. Alioqui otioſum erat praecipere , ne quis crudas carnes comederet , quas praeter carnivoras beſtias nemo comedit.

His ita conſtitutis , proximum eſt , ut tractandi rationem in his myſticis ſenſibus oſtendamus. Primum igitur vel legem ipſam , vel hiſtoriam rei geſtae dilucide & breviter , ut paullo ante de narratione diximus , exponemus: hac tamen obſervatione , ut vel ex lege , vel hiſtoria rei geſtae ea ſolum dicamus , quae ad myſtici ſenſus explicationem pertinent ; cetera vero , niſi quae ad hiſtoriae cognitionem neceſſaria fuerint,praetermittamus. Exempli gratia : ſi ex ſacrificio illius vaccae, (c) cuius paullo ante mentionem feci , redemtionis Chriſti gratiam , & ſacramentorum virtutem,a ſacra eius paſsione manantem, voluero declarare , altero eiuſdem legis myſterio praetermiſſo , de eo videlicet , qui vaccam combuſsit , & eius cineres in mun-

(a) *Exod.* 12. (b) *ibidem.* (c) *Num.* 19.

do loco repoſuit, qui etiam immundus eſſe uſque ad veſperam dicitur, cetera ſolum, quae ad ſacram Chriſti humanitatem pertinent, commemorabo: ne videlicet multis rebus, quarum myſteria explanare nolo, narrationem fruſtra onerem.

Rurſum ſi docere voluero, genus humanum primi parentis vitio ad mortem damnatum; nequaquam Moſis lege, ſed per incarnationis dominicae beneficium fuiſſe a morte ſuſcitatum; per quod homines, immenſam illam Dei bonitatem & caritatem agnoſcentes, amore eius aeſtuare coeperunt: ea ſolum ex hiſtoria pueri ab Eliſeo ſuſcitati (a) narrabo, quae ad hoc myſterium explicandum pertinebunt. Nempe, quod illa ſancti viri hoſpita ad ipſum accurrerit, propheta vero puerum ſuum cum baculo miſerit, quem ſuper defuncti corpus poneret; qui tamen vitam mortuo reddere non potuit, quouſque pueri dominus venit, ſeque ad defuncti parvuli menſuram contraxit: quo factum eſt, ut caro pueri calefieret, oculoſque aperuerit, atque ita demum vitam amiſſam receperit. Lege igitur aut hiſtoria hoc modo ante oculos poſita, primo loco iis rationibus, quas paullo ante ex Origenis ſententia attigimus, demonſtrandum erit, myſticum aliquid in iis rebus latere. Nam, ut de Eliſeo loquar, quorſum necis & vitae auctor Dominus hac tam nova ratione voluerit mortuo vitam reddi, quae nihil ad hoc pertinere videbatur?

Quum his igitur rationibus auditorum attentio fuerit excitata, eorumque animus eius myſterii cognoſcendi avidus effectus, tum eius explanationem aggrediemur, ſingulas eius partes, ſingulis vel legis vel hiſtoriae partibus accommodantes: idque, quantum orationis perſpicuitas tulerit, translatis verbis utentes, quae ad legem vel hiſtoriam propoſitam alludere intelligantur. Quod tamen ita faciendum erit, ut oratio metaphoris reſperſa, non obruta eſſe videatur, ne obſcuritatem pariat, & allegoricus ſermo in aenigmata exeat.

In his autem allegoriis nequaquam oportebit, quod qui-

(a) 4. *Reg.* 4.

quidam faciunt, diutius in nominum interpretatione versari: sed haec ipsa brevi oratione explicantes, in ea re, cuius gratia allegoria inducta est, immorari conveniet, & longiori interdum oratione, id quod intendimus, amplificare.

Vltimo vero loco illud adiiciam, ut quoniam multa sunt, quae de hac re praecipiuntur, quae nos brevi oratione complecti minime possumus, studiosus concionator, in his mysticis sensibus explicandis cum laude versari cupiens, diligenter Origenis libros, qui in Mosis Pentateuchum scripti sunt, evolvat; & ex eo, quonam modo haec praecipua Theologiae pars tractanda sit, plenissime discet. Exstat etiam de hoc argumenti genere Radulphi Flaviani opus in Leviticum, dignum profecto, quod a studiosis concionatoribus legatur. Exstat item allegoriarum, moraliumque sententiarum opus, abs triginta veteribus patribus collectum: in quo multa in hoc genere scitu digna pius concionator congesta deprehendet.

Reliquum erat quartum narrationis genus, quod in evangelica lectione explananda versatur: cuius vim & rationem paullo post suo loco explicabimus.

§. III.

DE PROPOSITIONE, ET PARTITIONE.

PRopositio est, qua breviter status & summa totius causae comprehenditur. Haec autem omnis confirmationis caput est, quae omitti numquam potest. Si propositio simplex non est, subiicitur partitio, quae brevis est partium propositionis enumeratio. Ea duplex est: una, quae tantum in genere iudiciali adhibetur, per quam aperimus, quid cum adversariis conveniat, & quid in controversia relinquatur. Altera est, qua in omnibus causarum generibus uti licebit: per quam explicamus, quot, & quibus de rebus simus dicturi, & quem sequuturi in di-

cendo ordinem oſtendimus , ut quid , quaque de re , quove loco dicendum ſit , appareat : quae res vel maxime docilem facit auditorem , dum, quo ordine unamquamque earum , quae propoſitae ſunt , partium tractaturus ſit , praecognoſcet : maximumque eadem memoriae lumen affert: utilis & neceſſaria non oratori ſolum , ſed cuivis etiam quacumque de re differenti. Sed hic videndum eſt , ne ſit obſcura partitio , ne longa nimium ac multiplex , ne permixta genera partibus implicentur. Tribus enim virtutibus ea maxime commendatur , abſolutione , & paucitate : nec pluribus fere , quam tribus , aut interdum quattuor membris comprehenditur.

Evenire autem interdum poteſt , ut aliqua diviſionis pars docendi gratia iterum dividenda ſit : quod fecit Cicero pro lege Manilia , ſive de imperatore ad bellum Mithridaticum deligendo. Prima enim partitio fuit : primum mihi videtur de genere belli , deinde de magnitudine , tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Abſolutis autem duobus propoſitis diviſionis membris , quum ad tertium ventum eſt , hac diviſione eſt uſus : ego ſic exiſtimo , in ſummo imperatore quattuor has res ineſſe oportere , virtutem , ſcientiam rei militaris , auctoritatem , felicitatem. Haec de partitione in univerſum dicta ſunt : de qua etiam non nulla paullo inferius adnotabimus.

Sunt autem multa alia , quae dialectici de diviſionis ratione atque natura docent , quae ab illis petenda ſunt. Quod vero ad inſtitutum noſtrum attinet , videndum illud quoque eſt , ut membra diviſionis inter ſe cohaereant: hoc eſt , ut ſub eodem genere univoce contineantur. Qua in re multi nimis inſulſe peccant , qui ſola nominis voce contenti , diſsimilima inter ſe membra ſub eodem nomine coniungunt. Pudet huius rei exemplum ponere. Hoc certe modo peccant , qui , civitatem ſupra montem poſitam explicaturi , montem faciunt virum ſanctum , de quo ſermonem habituri ſunt ; deinde Eccleſiam ; tum iuſti viri animam , atque ita de triplici monte ſe concionem habituros dicunt. Quo in genere innumera paene vitia in multis

tis auctoribus, qui sermones scripserunt, passim deprehendere licet.

Quia tamen non leviter a multis in hac dividendi ratione peccatur; quae res totius concionis perturbationem parit, quae tota a divisionis ordine & ratione procedit: quid in hac parte Ecclesiastes considerare debeat, paucis expediam. Is igitur ante omnia, quid in tota concione efficere velit, hoc est, orationis suae scopum, ante oculos ponat. Deinde,quibus illum rationibus attingere velit, animadvertat, easque in prudenti consilio ad aliquem ordinem reducat: atque ita demum divisionis partes colligere poterit, quae totius causae summa comprehendant. Hoc autem apparet in ea Ciceronis divisione, quam paullo ante(a) citavimus. Cetera vero, quae de hac re praecipi possunt, prudentis concionatoris iudicio relinquuntur: quandoquidem totam hanc recte disponendi rationem, a qua divisio manat, Cicero prudentiae magis consilio, quam artis praeceptis, constare putat.

§. IV.

DE CONFIRMATIONE, ET CONFVTATIONE.

QVartam & quintam orationis partem esse diximus confirmationem & confutationem, quas non nulli sub contentionis & probationis nomine comprehendunt: cuius gratia superiores illae partes traditae sunt. Ea vero totius quaestionis disputationem continet. Constat autem confirmatione & confutatione: quarum illa ad probandum, haec ad refellendum valet; illa argumentando causae facit fidem, haec adversariorum argumenta, quae vel obiecta sunt, vel obiici possunt, dissolvit. Ad hanc autem probationis partem omnia, quae in secundo libro, sive de argumentorum inventione, sive de argumentationum formis, dicta sunt, pertinent. Quae omnia ex dialecticorum fontibus manant. Verum quum concionatori efficiendum sit, non solum ut doceat, quod proprium est dia-

(a) §. *praecedenti.*

lecticorum, verumetiam ut delectet & permoveat; illuſtrior eſt oratorum, ornatiorque confirmatio, quam ieiuna illa dialecticorum argumentatio: cui tamen rhetores omne orationis robur acceptum ferunt, ſi quid argumentis aut probare velint, aut reprehendere. Quibus autem orationis figuris rhetoricae argumentationes illuſtrandae atque exornandae ſint, ſuperiori libro, ubi de argumentandi ratione tractavimus, expoſitum eſt.

§. V.

DE CONFVTATIONE.

QVibus autem adverſarii confirmatio aut diluatur, aut infirmetur, aut elevetur, Cicero in rhetoricis docet his fere verbis: omnis argumentatio reprehenditur, ſi aut ex his, quae ſumta ſunt, non conceditur aliquid unum, plurave; aut his conceſsis, concluſio ex his confici negatur; aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtenditur: veluti quum docemus, falſa eſſe pro veris aſſumta, aut ſi contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur. Haec ab illo pluribus explicantur lib. I. de invent. & a Cornificio lib. II. rhetor. ad Heren. & a Quinctiliano lib. V. cap. 13. Vtimur aliis etiam modis, elevatione, quum adverſarii argumenta ridemus; excuſatione, ut ſi aetas, imprudentia, ſexus afferatur; deprecatione, mutua criminatione, inverſione ſigni contra nos allati.

§. VI.

DE CONCLVSIONE, SEV PERORATIONE.

PEroratio eſt (a) extrema pars orationis, ſeu artificioſus orationis exitus: qui conſtat fere vel enumeratione, vel affectibus. Enumeratio eſt, per quam res, diſperſe & diffuſe dictae, unum ſub adſpectum ſubiiciuntur. Haec ſi

ſem-

(a) *Haec ex Cic. lib. I. de invent. cap. 52.*

ſemper eodem modo tractabitur, perſpicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur. Sin varie fiet, & hanc ſuſpicionem & ſatietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt, propter facilitatem ſigillatim unamquamque rem attingere, & ita omnes tranſire breviter argumentationes: tum autem, id quod difficilius eſt, dicere, quas partes expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris: tum ab iis, qui audiunt, quaerere, quid ſit, quod ſibi velle debeant demonſtrari, hoc modo: docuimus hoc, illud planum fecimus: ita ſimul & in memoriam redibit auditor, & putavit, nihil eſſe praeterea, quod debeat deſiderare. Atque in his generibus, ut ante dictum eſt, tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum id, quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias coniungere, & quum tuam argumentationem dixeris, tum contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere.

Ita per brevem comparationem auditoris memoria & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atque haec aliis actionis quoque modis variare oportebit. Nam cum ex tua perſona enumerare poſsis, ut quid, & quo quidque loco dixeris, admoneas; tum vero perſonam aut rem aliquam inducere, & enumerationem ei totam attribuere. Perſonam hoc modo: nam ſi legis ſcriptor exſiſtat, & quaerat a vobis, quid dubitetis, quid poſsitis dicere, quum vobis hoc, & hoc ſit demonſtratum? Atque hic, item ut in noſtra perſona, licebit alias ſigillatim tranſire omnes argumentationes, alias ad partitiones ſingula genera referre, alias ab auditore, quid deſideret, quaerere, alias haec facere per comparationem ſuarum & contrariarum argumentationum. Res autem inducetur, ſi alicui rei huiuſmodi, legi, loco, urbi, monumento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo: quid? ſi leges loqui poſſent, non ne haec apud vos quererentur? quidnam amplius deſideratis, iudices, quum vobis hoc & hoc planum factum ſit? In hoc quoque genere omnibus eiſdem

modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non poteſt, id eligatur, quod erit graviſsimum, & unumquodque quam breviſsime tranſeatur, ut memoria, non oratio, renovata videatur. Hactenus Cicero.

His ſimilia dicſt Fabius: quae quamvis ad iudiciales cauſas magis pertineant, multa tamen ex his elicere poſſumus, quae non parum ad inſtitutum noſtrum, praeſertim in ſuaſorii generis peroratione, conducant. Facile enim ex ſimilibus ſimilia procreantur. Sic igitur Fabius: (a) in peroratione, quae repetemus, quam breviſsime dicenda ſunt, & quod Graeco verbo patet, decurrendum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quae autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententiis, & figuris utique varianda: alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriae iudicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles; optimeque in Verrem Cicero: ſi pater ipſe iudicaret, quae diceret, quum haec probarentur? Et deinde ſubiecit enumerationem. Aut quum idem, & in eumdem, per invocationem Deorum ſpoliata a praetore templa dinumerat. Licet & dubitare, num quid nos fugerit, & quid reſponſuri ſint adverſarii his, & his, aut quam ſpem accuſator habeat, omnibus ita defenſis. Illa vero iucundiſsima, ſi contingat aliquod ex adverſario ducere argumentum, ut ſi dicas: reliquit vero hanc partem cauſae, aut invidia premere maluit, aut ad preces confugit, & merito, quum ſciret haec, & haec. Sed non ſunt ſingulae ſpecies perſequendae, ne ſola videantur, quae forte nunc dixero, quum occaſiones & ex auſis, & ex dictis adverſariorum, & ex quibuſdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo noſtra, ſed poſtulandum etiam ab adverſariis, ut ad quaedam reſpondeant. Id autem, ſi & actionis ſupererit locus, & ea propoſuerimus, quae refelli non poſſunt. Hactenus Fabius.

Al-

(a) *Inſtit. orat. lib. VI. cap.* 1.

Alteram vero orationis partem affectibus conſtare diximus: & quidem rethores in iudicialibus cauſis indignationis & commiſerationis affectus excitare conantur. Accuſator quippe ad indignationem adverſus crimen, quod intendit; defenſor vero commiſeratione ad reum abſolvendum utitur. Ille igitur, ubi crimen admiſſum eſſe probavit, ad vindictam & ſupplicium, criminis atrocitate amplificata, excitat: iſte contra, ubi argumentis reum probavit innocentem, ad abſolutionem & miſericordiam hortatur. Qua ex re liquet, perorationis affectus cum ratione cauſae, quae tractata eſt, convenire & cohaerere debere.

Ad hunc ergo modum prudens concionator, pro argumenti & materiae ratione, quam praecipue in concione tractavit, argumentandi ſubtilitate relicta, amplificationi vela pandere debet; ſic tamen, ut amplificatio ipſa, quae quandoque longior, quandoque brevior futura eſt, cum praecedenti orationis parte cohaereat. Itaque ſi ſuademus, ubi rei dignitatem & utilitatem argumentis probavimus, aculeos in fine exhortationis adiiciemus: contra vero, ſi diſſuademus, ad odium & contemtum ac deteſtationem eius rei acriter incitabimus. Quae res quamvis varie per totum orationis corpus ſpargenda ſit, in fine tamen orationis, quando auditor flectendus, & vel a turpi actione deterrendus, vel ad honeſta excitandus eſt, praecipuas partes habet. Qua de re D. Auguſtinus ſic ait: (a) ſi qui audiunt, movendi ſunt potius, quam docendi, ut in eo, quod iam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum, quas veras eſſe fatentur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes & increpationes, concitationes & coërcitiones, & quaecumque alia valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria. Et paullo poſt idem: (b) quum vero, inquit, id docetur, quod agendum eſt, & ideo docetur, ut agatur; fruſtra perſuadetur, verum eſſe, quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe, quo dicitur, ſi non ita diſcitur, ut agatur. Oportet

(a) *Lib. IIII. de doct. chriſt. cap.* 4. (b) *Cap.* 13.

tet igitur, eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolum docere, ut inſtruat, & delectare, ut teneat, verum etiam flectere, ut vincat.

Et paullo ante de eodem genere ſic ait: (a) ſicut eſt autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuaviter loquaris; ita flectitur, ſi amet, quod polliceris; timeat, quod minaris; oderit, quod arguis; quod commendas, amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat; quum quid laetandum praedicas, gaudeat; miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis; fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt ad commovendos animos auditorum, non quid agendum ſit, ut ſciant, ſed ut agant, quod agendum eſſe iam ſciunt. Si autem adhuc neſciunt, prius utique docendi ſunt, quam movendi. Hactenus Auguſtinus. His igitur affectibus & figuris, quae D. Auguſtinus commemoravit poſt epilogum, ſive enumerationem, quae eſt altera perorationis pars, uti licebit. Commodiſsime enim, probata iam cauſa, velut ſtrue lignorum compoſita, affectuum flamma conſurgit. Quae tanto erit ardentior, quanto probatio fuerit firmior & efficacior.

Illud ultimo admonendum duxi, argumentorum epilogum, extremam hanc orationis partem, quam Cicero amplificationem vocat, praecedere debere. Non enim in hoc ſolum argumentorum ſumma colligitur, ut auditorum memoria reficiatur; ſed ut omnia ſimul breviter conglobata, velut agmine facto, in eorum animos irrumpant, & apud illos, quod volumus, efficiant. Hanc autem argumentorum enumerationem opportune amplificatio ſequitur: qua vel ab aliquo ſcelere deterremus, vel ad virtutis eius ſtudium, de qua ſermonem fecimus, adhortamur, & acres ad hoc ſtimulos adhibemus.

Eſt etiam commodiſsimus perorandi modus, quando non ad unam aliquam virtutem, ſed ad omnia virtutum of-

(a) *Cap.* 12.

officia adhortamur: quibus aeternae vitae praemium propoſitum eſt. Quo perorationis genere elegantiſsime D. Paullus in epiſtola ad Romanos uſus eſt: quam omnium paene officiorum atque virtutum enumeratione clauſit. Nec hanc ſolum, ſed epiſtolam quoque ad Hebraeos, ceteraſque, his virtutum, variorumque officiorum adhortationibus finivit.

Aliquando vero non inutile erit, de caeleſti gloria, & ſanctorum felicitate in regno Patris eorum differere: ut hoc ſuaviſsimo animarum ferculo ſpiritualis doctrinae epulum finiamus. Quod venuſtiſsime D. Cyprianus in ſermone de mortalitate fecit. Haec autem duo poſtrema perorationis genera in omnibus concionibus, quacumque de re habeantur, non incommode quadrare poterunt. Semper enim quae vel ad flectendos animos potentiora, vel ad oblectandos iucundiora ſunt, extremae orationis parti, quae de tota fere concione diiudicat, reſervanda ſunt.

Haec igitur de ſex perfectae orationis partibus dicta ſunt: quae in genere ſuaſorio ac diſſuaſorio, quod mox tractavimus, praecipue locum habent. Ideoque peculiarius de ipſis in eo genere differemus.

CAP. II.

DE PRIMO CONCIONANDI MODO in genere ſuaſorio.

His perfectae orationis partibus explicatis, reliquum eſt, ut ad peculiares concionandi modos tractandos deſcendamus: atque in primis ſuaſorium, ac diſſuaſorium; quos, ſub deliberativo genere comprehendi, ſuperius diximus. Hoc enim genus adeo concionatoris proprium eſt, ut in omnibus concionibus, ſive quae de ſanctis, ſive quae de redemtionis noſtrae beneficiis habentur, ſive quae in explanatione evangeliorum, ceterorumque ſacrorum librorum verſantur, hunc nobis ſcopum & in tota concione, & ſingulis eius partibus proponere debeamus, ut ad pie-

ta-

tatem & iuſtitiam homines adhortemur, vel a vitiis deterreamus; quod ad hoc genus pertinet. Huc enim ſemper omnis oratio noſtra referenda eſt.

De hoc autem genere ſatis multa diximus, quum ſex orationis partium vim & rationem tradidimus: quae nullibi commodius, quam in hoc ſuaſorio genere, inveniuntur. Sed nos tamen, quae de his partibus diximus, ad hunc concionandi modum hoc in loco accommodabimus.

Exordium igitur in hoc genere attentos in primis auditores faciet, expoſita rei dignitate vel neceſsitate, de qua ſermonem habituri ſumus. Omnes enim attente audiunt, quae vel maxime decent, vel quae ſibi cum primis neceſſaria ducunt. Exempli cauſa. Si quis vetuſta hominum odia extirpare dicendo velit, praefari poterit, eſſe hoc graviſsimum crimen, dicente Ioanne: (a) qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Deinde crimen hoc quam diutiſsime animo infixum haerere. Quo tempore innumera peccata hoc peccatum parit. Poſtremo latiſsime hoc ſcelus patere, quum varia paſsim irarum atque odiorum incitamenta ab importunis & ſceleratis hominibus unicuique praebeantur: ideoque operae pretium eſſe, hoc tantum periculum, & tam late patens malum, quodque tam multa ex ſe ſcelera germinet, ab auditorum mentibus penitus revellere. Diverſa autem ratione virtutem aliquam ſuaſuri, inſignem eius laudem, utilitatem aut neceſsitatem breviter oſtendemus, & quanti noſtra referat, eius dignitatem exploratam & perſpectam habere.

Sic D. Cyprianus, ſermone de patientia, ab hac neceſsitate orditur his verbis: de patientia loquuturus, fratres dilectiſsimi, & utilitates eius & commoda praedicaturus, unde potius incipiam, quam quod nunc quoque ad audientiam, veſtram patientiam video eſſe neceſſariam: ut ne hoc ipſum, quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſsitis? Tunc enim demum ſermo & oratio ſalutaris efficaciter diſcitur, ſi patienter, quod dicitur, audiatur. Nec invenio, fratres dilectiſsimi, inter ceteras caeleſtis

di-

(a) 1. *Ioan.* 3.

diſciplinae vias, quibus ad conſequenda divinitus praemia, ſpei ac fidei noſtrae ſecta dirigitur, qūid magis ſit vel utilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quam ut, qui praeceptis dominicis, obſequio timoris ac devotionis, innitimur, patientiam maxime tota obſervatione tueamur. Hanc ſe ſectari philoſophi quoque profitentur: ſed tam illic patientia falſa eſt, quam & ſapientia falſa eſt.

Narratio in huiuſmodi cauſis fere locum non habet. Propoſitio tamen, ac diviſio neceſſaria eſt. Propoſitio quidem, ut auditores intelligant, quo potiſsimum oratio noſtra tendat. Qua in re concionatores quidam graviter delinquunt, qui quum initio dicendi concionis ſuae ſcopum auditoribus non proponant, vix quiſquam eſt, qui, quo tendant, & quid efficere velint, aſſequatur: atque ita auditor dubius haeret & incertus; neque, quid ex doctrina colligere poſsit, aſſequitur. Scopus igitur ante omnia praefigendus eſt, ut auditor aperte videat, quo omnia ſententiarum & rationum iacula dirigantur.

Propoſitioni finitima eſt diviſio, quae cauſam in partes dividit. Ea vero e generibus expetendorum & fugiendorum frequenter ſumenda eſt: illud, quum ſuademus; hoc vero, quum diſſuademus. Quum enim bonum ita humanae voluntati a natura propoſitum ſit, ut nihil velle poſsit, niſi quod vel bonum ſit, vel aliquam boni rationem induat; danda nobis opera eſt, ut in eo, quod ſuademus, omnes boni rationes eſſe oſtendamus. Quum autem tria bonorum genera philoſophi ſtatuant, honeſtum, utile, atque iucundum; haec ipſa, quam maxime fieri poterit, in eo, quod ſuademus, eſſe contendamus.

Rhetores autem, docendi gratia, haec tria bonorum genera in alia partiuntur, nempe honeſtum, utile, tutum, iucundum, facile, neceſſarium. Atque haec omnia, vel plura horum, in eo, quod ſuadent, ineſſe contendunt. Ab honeſto ſuaſit caeleſtis magiſter, quum adoleſcenti dixit: (a) ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quae habes, & da pauperibus, &c. Ab utili ſuadet Paullus, quum

air:

(a) *Matth.* 19.

ait : (a) itaque , fratres , ſtabiles ſtote , abundantes in omni opere Domini : ſcientes , quod labor veſter non eſt inanis in Domino. A tuto vero idem ſuadet , (b) quum infirmis nuptias concedit propter fornicationis periculum. A iucundo vero argumentatur , quum nos ad divinorum mandatorum obedientiam inducit , (c) quod ſit divinae legis iugum ſuave , & onus leve. A facili vero , ſervi Naaman Syri illum ad obediendum prophetae imperio excitabant, dicentes : (d) pater , etſi rem grandem tibi dixiſſet prophetа, certe facere debuiſſes : quanto magis , quia non dixit , niſi , vade , lavare , &c. Item Moſes ad populum : (e) mandatum , inquit , hoc , quod ego praecipio tibi hodie, non ſupra te eſt , neque procul poſitum , nec in caelo ſitum , ut poſsis dicere : quis noſtrum valet ad caelum adſcendere , ut deferat illud ad nos , ut audiamus , atque opere compleamus ? Neque trans mare , &c. Rurſumque alibi : (f) & nunc , Iſraël , quid Dominus petit a te , niſi ut diligas Dominum Deum tuum , & ambules in viis eius, & diligas eum , ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo , & in tota anima tua , ut bene ſit tibi ? A neceſſario vero urget Dominus , quum ait : (g) niſi poenitentiam egeritis , omnes ſimul peribitis.

His etiam partibus addunt laudabile : quod quamvis numquam ab honeſto ſeparetur , ſunt tamen inter virtutes, quae ſub eo continentur , non nullae , quae magnam apud homines laudem promerentur : qualis magnanimitas , liberalitas , magnificentia , fortitudo , atque prudentia eſt , & ſi quae ſunt aliae. Quia vero homines laudis & gloriae maxime avidi ſunt , haec quoque laudis pars in eo , quod ſuademus , ineſſe demonſtrandum eſt. Ab hoc enim loco Iudas Machabaeus (h) milites ſuos ad periculoſiſsimum certamen excitavit , ne videlicet ullum gloriae ſuae crimen fugientes inferrent. Capiuntur autem hac eſca potiſsimum reges , & principes viri. Ab hoc autem loco Cicero pro lege Manilia ad ſuſcipiendum bellum Mithridaticum adhorta-

(a) 1.*Corinth.*15. (b) 1.*Cor.*7. (c) *Matth.*11. (d) 4.*Reg.*5. (e) *Deut.*30. (f) *Deut.*10. (g) *Luc.*13. (h) 1.*Machab.*9.

tatur: & quoniam, inquit, praeter ceteras gentes appetentes laudis & gloriae fuiſtis, delenda vobis eſt illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, &c. Denique fructus omnes & utilitates & laudes, quas ſecum ea res affert, quam ſuademus, non ſolum enumerare, ſed, quam maxime fieri poſsit, amplificare debemus.

Diverſa autem ratione diſſuademus, quum id, a quo deterremus, turpe, damnoſum, periculoſum, ignominioſum, iniucundum, difficile, aut, ſi fieri poſſet, impoſsibile eſſe probamus. Hoc enim poſtremo loco ſanctus Ioſeph ad ſtuprum repudiandum uſus eſt, quum adulterae feminae reſpondit: (a) ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, &c. Quo modo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Vtriuſque autem rei clariſsima Deuter. 28. exſtant exempla: in quibus Moſes commoda omnia, quae pietatem & iuſtitiam conſequuntur, & horrenda item atque formidanda mala, quae improbitati conſtituta ſunt, magnifica oratione perſequitur. Quae quidem res maximam in ſuadendo vim habet, quum ex utroque latere auditorum voluntatem feriat; dum & bona proponit, quae eam alliciant, & mala item, quae terreant, atque ita demum in officio contineant.

Poſt confirmationem ſequitur confutatio: qua, ut antea diximus, ea, quae obſtant, quaeque auditorum animos remorantur, quominus praeceptis noſtris pareant, amovemus & confutamus. Sic D. Cyprianus, ſermone de eleemoſyna, ubi multos huius virtutis fructus & utilitates commemoraſſet; ea, quae homines ab hoc benignitatis ſtudio remorari poterant, diluit atque confutat. Sic enim ait: ſi vereris & metuis, ne, ſi plurimum operari coeperis, patrimonium tuum larga operatione ad penuriam forte redigatur, eſto in hac parte ſecurus, & cetera, quae ſequuntur. Deinde aliorum excuſationem confutat, qui liberis ſe patrimonium ſervare dicunt, his verbis: ſed nec illa res, fratres, a bonis operibus refrenet, & revocet Chriſtia-

(a) *Geneſ.* 39.

ſtianum, quod excuſare ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum, & cetera, quae ſequuntur.

Vltimo loco ſequitur peroratio ſive epilogus; cuius, ut ante diximus, duo ſunt officia: alterum, breviſsime omnia argumentationum capita in unum cogerere, quo multiplici rationum vi ac pondere auditorum animos in noſtram ſententiam pertrahamus: alterum vero, affectus concitare, quibus ad id, quod iam probavimus, exſequendum impellamus; indigniſsimum eſſe oſtendentes, vel rem adeo ſalutarem ſpernere, ſi ſuademus, vel adeo perniciosam amplecti & perſequi, ſi diſſuademus. Exemplo nobis erit D. Cyprianus ſermone de patientia. Vbi enim is patientiae laudes & fructus expoſuiſſet, orationem tandem hoc epilogo claudit: patientia eſt, quae nos Deo & commendat, & ſervat: ipſa eſt, quae iram temperat, quae linguam frenat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis exſtinguit: coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in coniunctis & maritatis individuam caritatem: facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra iniurias & contumelias, mites: docet, delinquentibus cito ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſequutiones tolerat, paſsiones & martyria conſummat. Hactenus Cyprianus.

§. I.

His autem partibus, quae concionatori cum oratore communes ſunt, proprium ac ſingulare quiddam addit Eccleſiaſtes, nempe, ut quum ad alicuius virtutis officium fuerit adhortatus, vel ab aliquo vitio deterruerit, perorata cauſa, modum oſtendat, quo vel ea virtutis actio exſequenda ſit, vel turpis actio fugienda. Sapienter enim Plutarchus ait, eos, qui ad virtutem adhortantur, nec tamen docent vel tradunt eam, ſimiles eſſe iis, qui lucernam

nam quidem emungunt, nec tamen oleum infundunt, quo ali & ſuſtentari poſsit. Sic qui ad eleemoſynae ſtudium adhortatur, docere poſt adhortationem debet, quonam modo utiliter eleemoſyna danda ſit: ut videlicet non auguſta, ſed larga & liberali manu; quando (a) qui parce ſeminat, parce & metet. Deinde, ut promto & alacri animo: (b) hilarem enim datorem diligit Deus. Praeterea ut eleemoſyna ſit occulta: (c) ut neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Tum etiam, ut ex affectu caritatis & compaſsionis tribuas, quod eſt miſericordiae proprium; & cetera his ſimilia.

Ad eumdem quoque modum, ubi ad precandi ſtudium adhortati fuerimus, de animi praeparatione ad precandum, de modo precandi, & conditionibus, ad precandum neceſſariis, quo ſit efficax oratio, agendum eſt, ſi non ad oſtentationem, ſed ad ſalutem animarum dicimus. Atque ut docendi gratia de ſcriptis noſtris exempla proponamus, in fine eius libri, quem de orationis & meditationis ſtudio ſcripſimus, tres in hoc genere ſuaſorio tractatus, de tribus ſatisfactionis partibus, nempe oratione, ieiunio, & eleemoſyna adiecimus. Qui facilius, quid hoc argumenti genus requirat, quam ipſa praecepta, indicabunt. In eo autem volumine, cui Hiſpano ſermone titulum praefiximus, *Guia de pecadores*, duobus libris hoc idem argumentum copioſe perſequuti ſumus: in quibus ad virtutis ſtudium ſumus adhortati.

Principio enim in exordio attentionem captavimus, rem omnium, quae in vita ſunt, maxime neceſſariam dicturos nos profeſsi. Deinde honeſti partes tractavimus, immenſam Dei bonitatem, eiuſque clariſsima beneficia explicantes; quae iure ſuo obedientiam & amorem noſtrum ſibi vindicant. Deinde utilitatis & iucunditatis ratio explicata eſt. Quo in loco duodecim inſignia privilegia, quibus pii omnes in hac vita potiuntur, expoſuimus. Poſtea excuſationes omnes, quibus improbi homines ſe ſe a virtutis ſtudio ſubtrahere ſolent, tamquam inanes & frivolas, apertiſsima oratione confutavimus atque diſſolvimus. In

(a) 2. *Corinth.* 9. (b) *Ibidem.* (c) *Matth.* 6.

ultimo vero eius libri capite, argumentorum omnium ſummam complexi ſumus: &, quantum facultas tulit, timoris & amoris affectus concitavimus, quibus languentes animos ad virtutis amorem, divinique numinis metum excitaremus. Et haec quidem in priori libro: in poſteriori vero, qua ratione eſſet virtus colenda atque exercenda, praeſcripſimus.

Illud autem in hoc genere praecipue admonendum videtur, ut bona & mala, commoda & incommoda, quae in hac cauſa ad ſuadendum, vel diſſuadendum adducimus, quantum fieri poſsit, iis rationibus, quas ſupra memoravi, amplificemus. Quo enim maiora ea fecerimus, eo vehementius ſuadebimus.

Illud etiam admonendum, duo eſſe hominum genera, alterum indoctum & aggreſte, quod antefert ſemper utilitatem honeſtati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Apud hunc autem argumenta, quae ducuntur ab honeſto; apud illum vero, quae ſummuntur ab utili, fortiora ſunt. Haec de genere ſuaſorio breviter dicta ſint.

CAP. III.

DE SECVNDO CONCIONANDI MODO IN GENERE demonſtrativo, qui ſanctorum feſtis & laudibus deſervit.

QVemadmodum concionandi modus, qui proxime a nobis deſcriptus eſt, in genere ſuaſorio verſatur: ita qui in feſtis ſanctorum diebus tractatur, ad demonſtrativum genus pertinet; quo utimur in alicuius certae perſonae laudem vel vituperationem. Finem autem eius rhetores ſtatuunt, ut is, quem laudant, laude digniſsimus videatur: contra vero, ſi vituperant. At, iuxta D. Baſilii ſententiam, laudes ſanctorum nequaquam encomiorum legibus ſerviunt: non enim hoc praecipue agimus, ut eos ſanctiſsimos fuiſſe doceamus, ſed ut vitam noſtram ad eorum normam effingere ſtudeamus, atque ut hoc argumento mi-

ra-

rabilem divini Spiritus virtutem agnoſcamus, qui homines, natura fragiles & imbecillos, & in peccatis conceptos, ad malumque propenſos, ita permutavit, ut pares propemodum angelis, ac mundo ſuperiores effecerit. In hoc genere rhetores per omnes perſonarum circumſtantias, quas ſupra enumeravimus, laudationem ducunt: genus, videlicet, parentes, patriam, naturae dotes, educationem, fortunam, ſtudia, dicta, facta, & quae ſunt huius generis, commemorantes atque amplificantes. Hoc autem fere ordine D. Gregorius Theologus laudes ſcripſit D. Baſilii, & Caeſarii fratris, atque Gorgoniae ſororis. Nos tamen, dum laudes ſanctorum praedicamus, non uſquequaque hunc ordinem ſequimur: ſola enim fere inſignia facta dictaque, & interdum etiam miracula, enumeramus, &, quantum poſſumus, amplificamus, auditoreſque ad eorum imitationem excitare contendimus.

In hoc autem genere amplificandi ratio praecipue dominatur: qua, tum ex natura rei & partibus eius, tum ex omnibus aliis circumſtantiis, quae rebus & perſonis attributae ſunt, egregia ſanctorum facta dicendo illuſtramus & amplificamus. Sic Apoſtolus ad Romanos, ex perſonae circumſtantiis, fidem Abrahae amplificat his verbis: (a) & non infirmatus eſt in fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, quum iam fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Sarae. In repromiſsione etiam Dei non haeſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſsime ſciens, quia,quaecumque promiſit, Deus potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Sic Origenes, homilia de ſacrificio Iſaac, celerem eius & promtam obedientiam, in re adeo gravi & luctuoſa, ex omnibus circumſtantiis amplificat. Vt autem, quantum in hoc genere virtus amplificandi valeat, aperte doceam, clariſsimum huius rei exemplum ex libro Senecae (b) *de tranquillitate vitae* (c) hoc in loco referam: quo is dictum illud Stilponis philo-

(a) *Cap.* 4. (b) *In locum verborum* de tranquillitate vitae, *ſequentia ſubſtitui debent*: Ad Serenum, Quod in ſapientem non cadit iniuria. (c) *In lib. ad Seren. quod in ſap. cap.* 5. 6. 7. & 8.

loſophi, *omnia bona mea meum porto*, re primum expoſita, his verbis amplificat.

Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit: ab hoc Stilpon philoſophus interrogatus, num quid perdidiſſet, nihil, inquit: omnia namque mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium eius in praedam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam. At ille victoriam illi excuſit: & ſe, urbe capta, non invictum tantum, ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat enim ſecum vera bona, in quae non eſt manus iniectio. At ea, quae diſsipata & direpta ferebantur, non iudicabat ſua, ſed adventicia, & nutum fortunae ſequentia; ideo non ut propria dilexerat. Omnium enim extrinſecus affluentium lubrica & incerta poſſeſsio eſt. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, aut vicinus potens, aut dives aliquis ... facere iniuriam poſsit: cui bellum, & hoſtis ille, egregiam artem quaſſandarum urbium profeſſus, eripere nihil potuit. Inter micantes ubique gladios, & militarem in rapinam tumultum, inter flammas & ſanguinem, ſtragemque impulſae civitatis, inter fragorem templorum, ſuper Deos ſuos cadentium, uni homini pax fuit. Non eſt itaque, quod audax iudices promiſſum, cuius tibi, ſi parum fidei habeo, ſponſorem dabo. Vix enim credis, tantum firmitatis in hominum, aut tantam animi magnitudinem cadere, ſed ſi prodit in medium, qui dicat:

Non eſt quod dubites, an attollere ſe homo natus ſupra humana poſsit, an dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa ſe frementium ſecurus adſpiciat, & dura placide ferat, & ſecunda moderate: nec illis cedens, nec his fretus, unus idemque inter diverſa ſit, nec quidquam ſuum, niſi ſe, putet eſſe, ea quoque parte, qua melior eſt. Adſum hoc vobis probaturus, ſub iſto tot civitatum everſore, munimenta incurſu arietis labefieri, & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus foſsis repente reſidere, & aequaturum editiſsimas arces aggerem creſcere: at nulla machinamenta poſſe reperiri, quae bene fundatum animum agitent. Erepſi modo ruinis domos, & incendiis undique relucentibus, per flammas, per ſanguinem fugi. Filias

lias meas qui casus habeat, an peior publico, nescio. Solus, & senior, & hostilia circa me omnia videns, tamen integrum incolumemque esse censum meum profiteor, teneo, habeo, quidquid mei habui. Non est quod me victum, victorem te credas. Vicit fortuna tua fortunam meam. Caduca illa, & dominum mutantia, ubi sint, nescio. Quod ad res meas pertinet, mecum sunt, mecum erunt. Perdiderunt isti divites patrimonia: libidinosi amores suos, & magno pudoris impendio dilecta scorta. Ambitiosi curiam & forum, & loca exercendis in publico vitiis destinata. Foeneratores perdiderunt tabellas suas, quibus avaritia, falso laeta, divitias imaginatur. Ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde istos interroga, qui flent, qui lamentantur, qui strictis gladiis nuda pro pecunia corpora opponunt, qui hostem onerato sinu fugiunt.

Ergo ita habe, Serene, perfectum illum virum, humanis diviniſque virtutibus plenum, nihil perdere. Bona eius solidis & inexsuperabilibus munimentis praecincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intravit: non Carthaginis, aut Numantiae moenia, una manu capta: non capitolium, arcemve. Habent ista hostile vestigium: illa, quae sapientem tuentur, a flamma & ab incursu tuta sunt: nullum introitum praebent, excelsa, inexpugnabilia, Diis aequa.

Non est quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non... *enim* ingentem imaginem falsae rei concipimus, sed qualem confirmamus, exhibuimus, & exhibebimus. Raro forsitan, magniſque aetatum intervallis invenitur. Neque enim magna, & excedentia solitum ac vulgarem modum, crebro gignuntur... Non potest ergo quisquam aut nocere sapienti, aut prodesse: quemadmodum divina nec iuvari desiderant, nec laedi possunt. Sapiens autem vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo. Hactenus Seneca.

Quem in medium protuli, ut, proposito hoc exemplo, studiosus concionator adnimadverteret, qua ratione egregia sanctorum facta dictaque amplificare dicendo possit: quum

videat, hanc unam vocem, *omnia mea bona mecum porto*, tam longa oratione a Seneca fuiſſe verbis & ſententiis illuſtratam. Quod ſi haec egregia hominum facta adeo magnificis verbis & ſententiis Seneca extulit; quid is faceret, ſi agones & certamina noſtrorum martyrum & puellarum ſcripſiſſet, quae ſpectaculum admirandum Deo, angelis & hominibus praebuerunt? Si quis autem commodiſsima huius amplificationis exempla videre cupit, legat ſecundum & tertium D. Chryſoſtomi de divina providentia librum: in quo is Noë, Abrahae, Iacob, Moſi atque Davidis patientiam, varioſque labores mira facundia amplificat. Quibus exemplis ad hanc, de qua loquimur, virtutem erudiri poterit.

§. I.

QVaeret fortaſſe ſtudioſus concionator, qua ratione praeclaras martyrum, ceterorumque ſanctorum virtutes amplificare ſimili ratione poſsit. Ad hoc igitur non nihil iuvabit, praecepta, & amplificandi rationes, quas libro III. praeſcripſimus, probe tenere: deinde diſertiſsimorum patrum ſcripta, qui in hoc genere magna cum laude verſati ſunt, ſtudioſe legere: &, quibus illi rationibus ſanctorum virtutes extulerunt, diligenter adnotare: & ad eorum imitationem, quae laudare voluerint, effingere. Exemplis enim multo magis, quam praeceptis, animadvertere poterit, quid in hoc genere maxime deceat.

Sed haec omnia leviora ſunt, niſi adſit Spiritus ille caeleſtis, de quo Apoſtolus ait: (a) nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt: ut ſciamus, quae a Deo donata ſunt nobis: hoc eſt, ut eius lumine illuſtrati, virtutum atque donorum eius dignitatem & amplitudinem aeſtimare ſciamus. Si enim nemo ſine arte aurum purum ab adulterino diſcernere, & lapillorum atque gemmarum pretium & dignitatem, praeſertim quum in pulvere atque luto ſordent, agnoſcere poteſt: quis ſine divino lumine divina dona, quae exſuperant

(a) 1. *Corinth.* 2.

rant omnem ſenſum, pro dignitate aeſtimare & admirari queat? Regina Saba, (a) quum Salomonis regiam, & famulorum atque pincernarum & cantorum ordines, veſtes & officia, ac poſtremo regiae domus apparatum vidiſſet, rerum magnitudine atque ſplendore ſtupefacta, non habuiſſe ultra ſpiritum dicitur. Si quis autem eos mentis oculos haberet, quibus veri Salomonis opes, hoc eſt, impervestigabiles divitias Chriſti, & famulorum eius virtutes, & clariſsima geſta intueri poſſet; non dubium, quin multo magis, quam regina Saba, in admirationem extaſimque raperetur.

Non tamen eſt omnium, hos oculos habere, quibus latentem Chriſti & Eccleſiae ſuae ſplendorem cernere poſsint: quum (b) omnis eius gloria ab intus ſit in fimbriis aureis. Ipſa enim Eccleſia de ſe ait: (c) nigra ſum, ſed formoſa filia Ieruſalem. Exterius quidem nigra, intus autem miro decoris ſplendore coruſcans. Quonam modo? Sicut, inquit, tabernacula Cedar, & ſicut pelles Salomonis. Haec namque tabernacula, atque Salomonis pelles, extra quidem pulvere deformatae, atque Solis ardore exuſtae erant; intus tamen regio cultu atque apparatu ſplendebant. Quid autem magis ad vivum Eccleſiae ornatum exprimere potuit? Quae quum extra in ſanctis martyribus, ceteriſque divinis hominibus, atque iis praeſertim, qui in ſolitudinibus vitam inopem agebant, vilis atque abiecta carnalium hominum oculis appareret; ſupernis tamen mentibus ſplendore & dignitate virtutum ita fulgebat, ut ſpectatores ſuos in ſtuporem atque admirationem raperet.

Quis enim non ſtupeat, audiens Paullum dicentem: (d) ſi immolor ſupra ſacrificium fidei veſtrae, in hoc gaudeo, & congratulor omnibus vobis: id ipſum vos congaudete, & congratulamini mihi? Quis umquam talem gaudii & congratulationis materiam audivit? Quis non ſtupeat Andream, crucem ſibi paratam tanta devotionis alacritate ſalutantem, laudantem, deſiderantem, tantoque gaudio & ſecuritate amplectentem? Quis non ſtupeat Laurentium inter tormen-

(a) 3. *Reg.* 10. (b) *Pſalm.* 44 (c) *Cant.* 1. (d) *Ad Philip. cap.* 2.

torum ſuorum flammas laetantem: & Vincentium, moras carnificum increpantem: & B. P. Dominicum, avidiſsime martyrium ſitientem, & omnia corporis ſui membra diſſecari cupientem? Quid Agnetem virginem commemorem, tertiodecimo aetatis anno ignes & gladios ſuperantem? Quid nobilem virginem Eufemiam, rotas, ignes, & beſtias vincentem, & iniuriam ſe a iudice pati clamantem, quod quum mobilis eſſet, ignobiliores ſibi in martyrio praeferret? Atque ut a martyribus ad confeſſores veniamus, quis beatum Alexium in ipſa paterna domo, patre, matre, ſponſaque praeſentibus, eiuſque abſentiam perpetuo luctu lamentantibus, vitam adeo inopem & aſperam inter multas ſervorum ſuorum iniurias, annis decem & octo patientiſsime uſque ad mortem tolleraſſe, non obſtupeſcat? Quis non divinae gratiae potentiam agnoſcat, qui noverit Eduardum, Angliae regem, ab adoleſcentia ſua ad extremum uſque vitae diem, cum nobiliſsima & pulcherrima virgine matrimonio ſibi copulata, in perpetua caſtitate vixiſſe; quum neceſſe eſſet, illi convivere, & cum ea perpetuo verſari, & communi domo atque menſa uti?

Miracula vero ſanctorum multi praedicanda non putant, quod illorum commemoratione magis divorum ſanctitas declaretur, quam auditorum vita inſtituatur. Ego vero ex eorum narratione immenſam Dei noſtri bonitatem, & inaeſtimabilem in ſuos caritatem, fidem, paternam curam & providentiam hac ratione maxime declarari poſſe video: utpote qui eos tanto honore proſequutus ſit, ut non modo ipſorum verbis & imperio, ſed cineribus, & veſtibus, & ſudariolis, & ſemicintiis, & pulveri poſtremo tumulorum ſuorum, elementa mundi famulari, daemones obtemperare, morbos cedere, & naturae leges, quibus mundi reges & imperatores ſubiiciuntur, obedire voluerit.

Sed quid iſta commemoro? Quum caecus quidam videndi facultatem a Domino poſtulaſſet, iuſſus eſt, ut aqua ea, qua manuum ſordes Eduardus rex, cuius modo mentionem feci, lavaret, oculos ipſe ſuos lavaret: lavit, & oculorum lumen protinus recepit. Quantam, quaeſo, dilectionis erga

ſuos

ſuos vim hoc indicio Dominus oſtendit, quum hunc tantum honorem aquae ſordidae impendere voluit, non alia vi, quam quod ea ſervi ſui manus contigiſſet? Quam multa autem huiuſmodi miracula in vitis ſanctorum legimus, quae ineffabilem hanc Domini in ſuos benignitatem & miſericordiam apertiſsime teſtantur & praedicant? Mihi vero neque Solis, & Lunae, & ſtellarum ſplendor, neque caelum, terrae, maria tantam divinae bonitatis ſignificationem praebent, quantam hoc, quod video, haec ipſa omnia, quae aeternis Dominus legibus & imperio ſtabilivit atque devinxit, ſanctorum nutui & pulveri cedere atque obedire. Quae quidem bonitas, his clariſsimis argumentis patefacta, incredibile dictu eſt, quantam in piis hominibus amoris flammam excitet, quantumque accendat deſiderium ſerviendi ei Domino, a quo nihil ipſi minus ſperare poterunt, ſi fideliter ei diligenterque ſervierint. Haec breviter de commemoratione miraculorum, ſeu narratione, dicere volui, qua pius concionator auditorum animos in divinae bonitatis amorem excitare commode poterit.

Non minus autem has eaſdem divinae bonitatis & caritatis opes paterna illa cura & providentia declarat, quam fideliſsimus & amantiſsimus Dominus in martyrum ſuorum certaminibus oſtendit. Nam praeter inſuperabilem conſtantiam, quam illis ad tam immania ſupplicia perferenda contulit, admirandis eos favoribus, caeleſtibuſque ſignis & miraculis in tormentis reficiebat & conſolabatur. Ignes frequenter exſtinguebat, immanes beſtias mitigabat, rotas ferreas confringebat, ferventem adipem refrigerabat, vulnera eorum ſanabat, defluentem ex vulneribus ſanguinem angelorum manibus abſtergebat, truncata membra redintegrabat, in carcere poſitos viſitabat, inediaque maceratos caeleſti cibo reficiebat. Quibus rebus adeo in fidei veritate confirmabantur, ut non modo ipſi in ea ſtabiles & inconcuſsi perdurarent, ſed infideles etiam ad fidem, miraculorum teſtimonio, converterent, & ad martyrium excitarent.

Quis igitur his indiciis non aperte immenſas illas divinae bonitatis divitias, & pleniſsima caritatis & miſericordiae in ſuos viſcera non agnoſcat? Quis non talem Deum flagrantiſsimae dilectionis ardore proſequatur? Quis propter illius gloriam millies in tormentis vitam abiicere non concupiſcat? O fideliſsime piorum amice! O vere adiutor in opportunitatibus, & in tribulatione! Hanc autem paternam in ſuos curam & providentiam Sapiens ille declaravit, quum, de increata Sapientia loquens, ait: (a) haec venditum iuſtum non dereliquit, ſed a peccatoribus tutavit illum: deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, & cetera. Quiſquis igitur, Spiritus ſancti magiſterio doctus, harum rerum non modo intellectum, ſed etiam ſenſum acceperit, is utique praeclara ſanctorum geſta, & miracula dignis poterit efferre praeconiis, atque his argumentis & exemplis ad divinae bonitatis cognitionem pariter & amorem auditorum animos poterit excitare.

Hae ſunt igitur, ut ad inſtitutum redeam, veri Salomonis noſtro opes, hae imperveſtigabiles divitiae Chriſti, haec illa virtus, ſive, ut alii verterunt, potentia evangelii (b) in ſalutem omni credenti, quae hominem mundo, ſe ipſo, atque natura ſuperiorem facit.

Hinc etiam licebit divinae gratiae vim & potentiam vehementer admirari, quae hanc tantam vim, tantamque puritatem mortali & fragili creaturae contulit. Hinc etiam licebit, caecitatem & amentiam eorum hominum accuſare, qui, laboris ac difficultatis metu, virtutis iter, tamquam aſperum ac difficile, ingredi detrectant: quum tamen divinae gratiae & caritatis virtus non modo divinorum mandatorum obedientiam, ſed cruces etiam & ignes iucundiſſimos faciat.

Hinc etiam licebit, deſides ac torpentes acriter obiurgare, qui non praeſtent leviora, quum tamen ſancti omnes ex eadem maſſa procreati, eodemque modo in peccatis concepti, tanto maiora praeſtiterint. Quiſquis igitur eam men-

(a) *Sap.* 10. (b) *Rom.* 1.

mentem atque ſpiritum Domini beneficio nactus fuerit, ut haec tam magnifica Spiritus ſancti dona, aequa lance, iuſtiſque ponderibus librare ſciat; is plane, quem ipſe affectum conceperit, in auditorum animos transferre dicendo poterit, atque ita demum ſanctorum virtutes meritis poterit efferre praeconiis. Quia vero pauci admodum ſunt, quibus haec felicitas contingit, nulli ſermones concionatoribus moleſtiores ac difficiliores ſunt, quam qui de ſanctorum laudibus habentur. Quiſquis autem hoc praeſtare minus poterit, habet ſane paratum in promtu remedium: nempe, ut evangelicam lectionem, quae eo die legitur, more ſolito explanet, & inſignes ſancti virtutes vel ipſi explanationi, ubi locus admonuerit, admiſceat, vel in extrema concionis parte proponat. Eſt autem contentio demonſtrativa, qua vel perſonam cum perſona, vel rem cum re, laudis aut vituperationis gratia, conferimus: de qua ſequenti libro inter ſententiarum figuras diſſeremus.

CAP. IV.

TERTIVS CONCIONANDI MODVS, QVI LECTIONIS evangelicae enarrationem continet.

EST etiam tertius concionandi modus, idemque in uſu frequentiſsimus, qui in evangelicae lectionis explanatione verſatur. Quo modo autem Eccleſiaſtes in hoc concionum genere ſe gerere debeat, paucis expediam.

Principio evangelica lectio ante eius explanationem breviter recitanda eſt; ea tamen brevitate, quae venuſtate & ſermonis elegantia non careat. Non enim ea ieiuna & arida eſſe debet, quod quidam nimis iniucunde faciunt, ſed ſuo quodam ornatu perpolita. Paraphraſtem quippe concionator magis, quam interpretem, hac in re agere debet. Ea enim, quae ſancti evangeliſtae brevi atque ſimplici oratione tradiderunt, ipſe paullo fuſius narrare curavit. Nec hoc tamen perpetuo faciendum eſt: praeſertim quum evangelica lectio ſolito longior exſtiterit, qualis Lazari

qua-

quatriduani, (a) & Samaritanae hiſtoria (b) eſt, aut etiam, quum commodius videbitur,eam cum ipſa ſimul explanatione coniungere. Quod concionatoris iudicio relinquitur. Neque enim haec, quae dicimus, plebiſcita ſunt aere inciſa, ut non aliter facere liceat, quum id videbitur commodius.

Sacra vero lectione breviter expoſita, ſequatur eiuſdem explanatio. Ante quam non ab re fuerit, ab aliqua ſententia, vel communi loco ordiri, quae propoſito quadret, & in ea paullulum immorari; atque ita demum ad id, quod initio explanationis dicturi ſumus, inclinare. Erit autem opere pretium, ante evangelicae lectionis explanationem vel narrationem, quid illam in contextu evangelicae hiſtoriae praeceſſerit, indicare: quando videlicet ea, quae ſequuntur, ab antecedentibus pendeant. Sic, quum ſacram illam lectionem explicamus, (c) caro mea vere eſt cibus, &c. exordium a miraculo quinque panum capiendum eſt: quo quum Dominus Iudaeos ad fidem inducere vellet, ipſique contra ſignum tale ab eo flagitarent, quale fuit manna, (d) patribus in deſerto exhibitum, hac occaſione ſumta, quanto nobiliorem panem cibumque eſſet ipſo mundo praeſtiturus, diſſerere coepit: qui non corpoream & temporariam, ſed aeternam eſſet hominibus vitam largiturus. Sic etiam parabola illa de patrefamilias, operarios ad vineae ſuae culturam vocante, ab ea Petri interrogatione pendet, qua de praemio, iis, qui omnia propter Deum reliquerunt, propoſito, inquirit: & Dominus, poſt praemii huius magnitudinem expoſitam, de variis praemiandi rationibus, partim ex divina iuſtitia, partim ex gratia, in parabola propoſita diſſerit. Hoc igitur exordium breviter abſolvamus: ne tempus, explanationi evangelicae deſtinatum, hac occaſione ſubtrahatur. Qua in re dupliciter a multis peccatur, qui & maximam concionis partem in hac connexione inſumunt; &, quum non eſt neceſſe, ſequentibus antecedentia connectunt. Sic enim multi communia quaedam concionandi decreta ſibi propoſuerunt, ut quod in una concione decet, in omnibus decere credant: & quod ſemel faciendum eſſe ſta-

(a) *Ioan.* 11. (b) *Ioan.* 4. (c) *Ioan.* 6. (d) *Exod.* 16.

ſtatuunt, ubique eſſe faciendum arbitrentur.

Eſt & aliud exordii genus, quo non numquam uti debemus, ut auditorum animos ad audiendum praeparemus. Quidquid enim impedimento eſt, quo minus auditores vel moveantur, vel perſuadeantur, initio dictionis amovendum eſt. Vehementer autem concionum fructum impedit, quod multi, magis conſuetudine ducti, quam ſtudio proficiendi, concionibus interſunt; alii vero curioſitatis affectu; alii, negligenter & oſcitanter concionem audientes, vacui atque ieiuni a concione redeunt. Commodum igitur erit, huiuſmodi impedimenta, ceteraque his ſimilià, initio dicendi amovere, ſummumque eorum, qui ſic audiunt, periculum explicare. Quum enim malorum noſtrorum remedia in divinorum eloquiorum medella poſita ſit, quae ſpes reliqua erit aegroto, cui toties adhibita haec medicina nihil profuit? Hoc igitur triplici principio in huiuſmodi concionibus uti licebit. Iudicio autem concionatoris relinquitur, quando hoc aut illo principio utendum ſit. Hoc enim ſolum in hac diſciplina perpetuum eſt, quod nihil perpetuo fieri debeat: ſed pro ratione evangeliorum, temporum, & auditorum, omnia dicentis conſilio varianda ſunt.

Porro autem in ipſa evangelii explicatione haec admonenda eſſe duco. Primum, ut tria ſolum, vel quattuor, aut ad ſummum quinque loca ſibi tractanda Eccleſiaſtes proponat. Si enim plura his fuerint, oratio ſaepe interciſa erit, quum frequenter dicendi impetum deponere atque refrigerare neceſſe ſit, ac denuo novum exordium atque ſpiritum reſumere. Adde etiam, quod quum praecipuum concionatoris munus ſit, affectus commovere; hos autem niſi re iam probata aut amplificata excitare nequeat: efficitur ſane, ut quanto probatio ipſa & amplificatio longior atque vehementior fuerit, tanto affectus acriores concitari poſsint. Quiſquis ergo pauciora loca tractare conſtituit, habet utique longiora ſpatia, quibus & res copioſius probare & amplificare, atque ita affectus vehementiores accendere queat. Qua commoditate caret, qui multa evangelicae lectionis loca unius horae ſpatio, quod nobis ad dicendum

da-

datur, tractare decrevit. Ingens namque flamma ex magna lignorum materia, parva autem ex tenui excitari solet. Si enim, ut Sapiens ille ait, (a) secundum ligna silvae, sic exardescit ignis; consultius est, pauciora loca copiose digerere, quam multa breviter ieiuna oratione percurrere.

Deinde illud admonendum, ne in ipsa explanatione, quod multi faciunt, vim scripturis faciamus: ne germanum sensum vel adulteremus, vel violenter detorqueamus: sed id assumamus, quod scriptura sponte sua vigilanti atque studioso lectori offert: & ea potissimum deligamus, quae non curiositati, aut otiosae subtilitati serviant, sed quae ad mores componendos, & obiurganda vitia plurimum valeant.

Ceterum, quas sententias ex sacra lectione depromserit, aliis scripturarum & sanctorum patrum testimoniis studeat confirmare. Vt enim D. Hieronymus ait, (b) sermo presbyteri scripturarum sale conditus esse debet. In locis autem scripturarum adducendis, quattuor haec mihi observanda videntur. Primum ut, quatenus fieri possit, ne sint nimium trita, atque vulgata, & cuilibet passim obvia, nisi ea insigni aliqua expositione illustrentur, sed reconditiora, & minus trita loca adducenda: qualia multa sunt, quae in prophetarum, & Sapientiae libris continentur: quae novitate sua, & dicentium, & audientium animos alliciant. Deinde in his locis afferendis modus adhibendus est: ne videlicet quidquid nobis occurrerit, propriae inventionis amore illecti, quod multis sane contingit, protinus arripiamus. Sed commodissima quaeque & minus cuique obvia eligamus.

Praeterea illud etiam videndum, ne rem, per se satis apertam, aut iam probatam, testimoniis non necessariis oneremus. Quod quidam faciunt, ostentandae magis memoriae aut eruditionis, quam necessitatis causa. Deinde id etiam providendum, ut quas sententias vel ex litteris sanctis, vel ex patribus attulerimus, sic interpretemur, ut fide & integritate sententiae conservata, cum quadam venustate, &

(a) *Eccli.* 28. (b) *Ad Nepotianum.*

& ſermonis noſtri proprietate ita reddamus, ut non ex latina lingua translatae, ſed in noſtra natae eſſe videantur. Dupliciter enim hac in re multi peccant. Quidam enim ſic latina vertunt, ut latini ſermonis idiomata ſervent: atque ita magnam ſententiis gratiam adimunt. Quum enim unaquaeque lingua, ſua habeat idiomata, proprietateſque loquendi; optimi interpretis eſt, latini ſermonis idiomata in alterius linguae idiomata, quae tantumdem valeant, convertere. Alii vero, ut hoc crimen effugiant, inepte rhetoricantur, nimiaque verborum copia luxuriantes, nec allatae ſententiae gravitatem, nec veritatem conſervant.

Ceterum, ut de eloquutione aliquid hoc loco dicam, eſt plane methodus valde accommodata, ad multa lectionis evangelicae loca explicanda; ſi ea ſub quaeſtionis aut dubitationis figura proponamus. Exempli gratia. In evangelio de Regulo, (a) ſalutem filio petente, quaeri primum poteſt, cur Dominus illum infidelitatis arguat; quum fidem habere videretur, qui ſalutem filio petebat? Neque enim ſalutem ab eo peteret, quem non crederet Salvatorem. Deinde cur principi, qui ſimili ratione ſalutem filiae petebat, nihil tale dixit? Immo quum eo perrexit, & in ipſo itinere in fide nutantem benigne confirmavit: quum tamen & acriter Regulum corripuerit, & cum eo ire noluerit? Item, cur in Centurionis domum, (b) qui ſalutem ſervo petebat, ire ſponte ſua non rogatus voluit: in domum vero Reguli rogatus etiam ire noluit? Vnaquaeque harum quaeſtionum adhibitis dubitandi rationibus proponenda eſt. Deinde vero reſponſio eius aſsignanda, ſimilique modo confirmanda, & ad utilitatem auditorum accommodanda eſt. Quidquid enim in concione dialogi formam prae ſe fert, praeterquam quod attentionem dubitatione ipſa excitat, ad pronuntiationis varietatem plurimum conducit. Vnde D. Chryſoſtomus, tractandorum animorum artifex peritiſsimus, crebris ſaepe interrogatiunculis dormientem excitat auditorem.

Poſtremo illud etiam admonendum eſt, ut quum aliquod ſcri-

(a) *Ioan.* 4. (b) *Luc.* 7.

ſcripturae teſtimonium citamus, nequaquam ſola eius interpretatione, quae vulgari ſermone fit, contenti ſimus: quod multi faciunt, qui totidem verbis latina patrio ſermone reddunt. Danda enim opera eſt, ut aliquid in teſtimonio adducto obſervatione dignum ponderemus. Quod fit, quando vel emphaſim, quae in uno aliquo verbo latet, explicamus, vel metaphoram aliquam excutimus. Eſt enim metaphora omnis in arctum contracta ſimilitudo: ideoque per illam explicanda eſt. Interdum etiam ſententiam, breviter comprehenſam, dilatamus aut amplificamus. Ad quod dilatandi atque amplificandi rationes, quae ſuperius a nobis expoſitae ſunt, iuvare poterunt. Hoc ſatis ſit breviter monuiſſe. Plena quippe huius rei cognitio, totius vitae ſtudio comparatur. Hoc enim praecipue agimus, quum ſacris litteris operam damus. Nec enim earumdem intelligentia contenti ſumus, ſed ea etiam ponderamus, quae aliquid obſervatione dignum continent. Haec autem admonitio in iis ſcripturarum teſtimoniis locum non habet, quae ad myſticam nominum interpretationem pertinent: ut quum aquae nomine divinam gratiam & ſapientiam ſignificari; vel calicis nomine ſortem, quae cuique obtigit; aut olei vocabulo miſericordiam intelligi debere dicimus. In his enim ſatis eſt, vocis ſignificationem ex alio loco breviter indicaſſe.

CAP. V.

QVARTVS CONCIONANDI MODVS ex ſuperioribus mixtus.

EST autem quartus concionandi modus ex his, quae diximus, temperatus, ac D. Chryſoſtomo valde familiaris: cuius ſunt duae praecipue partes; quarum altera evangelicae lectionis explanationem continet; altera in hoc genere ſuaſorio vel diſſuaſorio verſatur: in quo vir ſanctus communia virtutum & vitiorum loca tractare ſolet, in quibus vel ad aliquam virtutis actionem adhortatur, vel ab aliquo vitio deterret: utriuſque rei bona & mala, commo-

da

da & incommoda enumerans & amplificans. Qua de re nihil eſt ſingulare ac proprium, quod in hoc genere praecipi debeat. Quum enim hic concionandi modus ex duobus ſuperioribus conflatus ſit; quid in toto fieri debeat, ex partium doctrina, e quibus totum conſtat, intelligi facile poteſt. In quo tamen genere periculum eſt, ne, dum utrique parti ſatisfacere volumus, plus iuſto longiores in concione ſimus. Quae res magnopere concionatoribus fugienda eſt: ne, dum auditores taedio afficimus, omnium, quae recte dicta ſunt, gratiam & fructum amittamus: quum fatigatus auditor, neque, quid dicas, attendit, & eorum, quae audivit, ſuavitatem ac memoriam perdit.

His ita conſtitutis, non erit alienum, hos quattuor concionandi modos inter ſe conferre, ut cuiuſque ipſorum ratio, dignitas atque utilitas intelligatur. Et quidem hi omnes, & quicumque alii reperiantur, ad tria mihi capita revocari poſſe videntur. Primus quidem ſimplex appellari poteſt, quum unum aliquod argumentum, ſive in genere ſuaſorio, ſive in demonſtrativo, tractatur: in ſuaſorio, quum ad unam aliquam virtutem hortamur, aut ab aliquo ſcelere dehortamur: quod facit D. Cyprianus, in ſermone de patientia, de eleemoſyna, de mortalitate, de invidia; idemque non raro ceteri quoque patres. In demonſtrativo autem, quum totus ſermo, alicuius ſancti virtutes, & egregia facta, atque inſignia miracula praedicat & amplificat: quod iidem ſaepe faciunt. Secundus vero modus evangelicam lectionem explanat: in qua varia moralis vitae documenta & argumenta, ut cuiuſque loci ratio exigit, explicantur. Quod genus concionandi ſancti quoque patres frequenter ſequuti ſunt.

Quocirca nemo ex his duobus concionandi modis alterum ita probare debet, ut alterum deprimat: quando uterque veteribus patribus in uſu fuerit: nemoque iure reprehendere poteſt, quod eorum exemplo & auctoritate defenditur. Hic autem concionandi modus & auditoribus propter rerum varietatem gratus, & propter diverſa vitae documenta utilis, & concionatori quoque facilis admodum

eſt. Neque enim ſex illis partibus, quas antea commemoravimus, neque artificioſa argumentorum diſpoſitione eget, quum lectionis evangelicae ſeriem atque ordinem ſequatur: neque magnam admodum in concionatore eruditionem requirit, quum nulla tam anguſta ingenii vena ſit, neque tam curta rerum ſupellex, ut non ſingulis explanationis partibus aliquid aliunde ſumat, quo illas locupletare & illuſtrare queat. Sed hic tamen concionandi modus, ut audienti gratus, & dicenti facilis, ita parum vehemens eſſe videtur. Rerum enim amplificatio, & concitatiores affectus cauſam argumentis iam probatam conſequuntur: tantoque ſunt, ut antea diximus, vehementiores, quanto probatio longior atque firmior eſt. Huiuſmodi autem probationes in evangeliorum explanatione longiores eſſe nequeunt, quando qui multa, & ea quidem inter ſe diverſa, unius horae ſpatio tractare debet, diutius in una aliqua re immorari non poteſt: ideoque brevis & ieiuna probatio magnam affectuum vim excitare non poterit.

Adde etiam, quod ille dicendi ardor atque impetus, in quo tota paene dicendi vis poſita eſt, frequenter refrigerandus atque interrumpendus eſt. Quoties enim ab una re ad aliam longe diverſam tranſitum facimus, toties impetum illum ſubſidere, & intercidi neceſſe eſt. Neque quiſquam adeo affectuum ſuorum eſt dominus, ut facile poſsit affectum, quo erat iam permotus, exuere, & novum illum, qui ex diſsimili rerum natura conſurgit, protinus induere.

Ceterum quum una aliqua res in tota concione tractatur, ut quum ad dilectionem inimicorum, ad eleemoſynae, humilitatis, caritatis, & patientiae ſtudia exhortamur, ardentior oratio eſſe poterit, quod multiplex argumentorum vis maiorem affectibus concitandis materiam praebeat. Difficilior tamen huius cauſae tractatio eſt. Primum quod maiorem in concionatore dicendi facultatem, uberioremque ſententiarum copiam requirat: ut ſatietatem, quae ex unius rei tractatione excitatur, rerum varie-

rietate & copia vitare poſsit. Hic igitur primus huius operis labor eſt. Proximus vero, & haud ſcio an multo maior, reliquas orationis partes, nempe, exordium, diviſionem, confutationem, & peroratione confirmationi, in qua tota vis cauſae ſita eſt, aptare & accommodare. Eſt enim huiuſmodi oratio velut perfectum quoddam corpus, ſuis partibus & quaſi membris compactum, quae omnia, tamquam unius corporis membra, cohaerere inter ſe, ſibique mutuo reſpondere debent. Hic tamen labor ea ratione, quam diximus, penſatur, quod huiuſmodi oratio vehementior, & ad permovendos animos accommodatior eſt.

Quod ſi quis a me requirat, quem ex his concionandi modis ſequi potiſsimum debeamus, quamvis nos is ſim, qui hoc mihi iudicium arrogare poſsim, tamen pro tenuitate ingenii mei, quid cenſeam, paucis indicabo. Non probo illos, qui unam dumtaxat concionandi formam ſequuntur, & quod ſemel faciunt, ſemper faciendum eſſe decernunt. Commodius ergo videtur, ut pro rerum natura ac dignitate, aut etiam auditorum utilitate, vel neceſsitate, nunc hoc, nunc illo concionandi genere utamur. Aliquando enim tota concio in lectionis evangelicae explanatione verſabitur: quandoque vero unum aliquod argumentum in genere diſſuaſorio, vel demonſtrativo perſequetur. Satietas vero, quae ex unius rei tractatione gigni poſſe videtur, hac ratione vitabitur, ſi eadem de re varias quaeſtiones explicemus. Exempli gratia: ſi de caritate dicimus, pars prima de laude & commendatione caritatis: altera vero de his, quae ad caritatem conſequendam adiuvant: tertia autem de praecipuis caritatis impedimentis, quae removenda ſunt, diſputabit. Item de humilitate dicturus, eaſdem partes verſabit, atque item de diverſis verae humilitatis gradibus & ſignis differet.

Eodem modo de orationis quoque virtute diſputare poterit. Cui argumento illud etiam liberum erit adiungere, ut de praeparatione animi ad orandum, deque variis virtutibus, hoc eſt, fide, humilitate, devotione, ieiu-

nio, & misericordia, quibus efficax oratio fulcienda atque iuvanda est, haberi sermo poterit. Hac ergo multiplici eiusdem rei varietate satietas atque fastidium vitari poterit. Hoc autem meum iudicium sanctorum patrum auctoritate tueri possum, quos aperte videmus in utroque concionandi genere versatos: sed inter hos tamen concionandi modos, quartus, quem paullo ante indicavimus, commodissimus mihi videtur. Nam & evangelicam lectionem enarrat, ac deinde unum aliquod argumentum persequitur. Hunc enim concionandi modum, ut ante dixi, summo illi concionatori D. Chrysostomo video placuisse. Hoc igitur frequentius: aliis vero, tum pro natura & conditione rerum, tum pro facultate & ingenio dicentis, uti licebit. Neque enim omnibus ingeniis, aut omnibus etiam argumentis eadem conveniunt.

CAP. VI.

DE GENERE CONCIONIS DIDASCALICO.

EST & aliud concionum genus, quod didascalicum appellant: quod docendi gratia magis, quam movendi, adhibetur. Occurrere tamen aliquando ex singulari aliqua ratione potest, praesertim in aliquibus concionis partibus, quae hoc exigunt, quum populus non solum movendus, sed etiam docendus est. Id vero est, quum alicuius rei plenam notitiam atque scientiam tradere volumus.

In hoc igitur genere hic fere ordo servandus erit, ut primum ostendamus, quid res sit, deinde qualis sit, hoc est, quas habeat qualitates & affectiones, tum causas eius & effectus, ac postremo eius partes per divisionem indagemus. Sic de gratiae natura tractaturus, primum quaeret, quid sit gratia; secundo quas habeat proprietates; tum praecipuas eius causas & effectus, quos in anima viri iusti operatur; ac postremo gratiae partes, variarum gratiarum divisione, numerabit ac discutiet. Horum exemplorum D. Thomas ceterique Theologiae tractatores pleni sunt.

sunt. Aristoteles vero aliam methodum, non admodum huic disimilem, tradit. Praecipit enim, ut primum probemus, rem esse, deinde quid ea sit, postea qualis sit, ad extremum cur talis sit. Quo quidem ordine quum commodissime quaelibet res tractetur, non dubium est, quin optimus doctrinae ordo in eadem re tractanda censendus sit. Quamquam non erit necesse, haec omnia persequi, quum de uno aut pluribus constiterit.

Ad hos quattuor quasi gradus revocantur omnia, quae de qualibet re quaeri possunt. Hac enim ratione & rerum effectus, & causae item explicantur, quarum cognitio scientiam parit. Ad hunc ergo modum in tractatione cuiusque virtutis, primum, an proposita virtus sit necessaria humanae perfectioni, necne, differitur: quod ad quaestionem, an res sit, reducitur. Deinde, quaenam sit eius materia, tum obiecta, tum subiecta: quod ad quaestionem naturae pertinet. Tum quae sint virtutis affectiones ac conditiones: quod ad quaestionem qualitatis perspicue spectat. Ad extremum, quonam pacto ipsam possimus consequi: quod ad quartam quaestionem revocatur, in qua de causis & impedimentis virtutum agitur. Itaque omnia, quae de una re differuntur, ad illa quattuor revocantur, eodemque ordine fere tractantur.

Concionator tamen in hac ipsa tractatione meminisse debet, quid potissimum inter doctorem & concionatorem intersit. Scholasticus enim doctor docere solum, & intellectum erudire studet: concionator autem voluntatem movere, & ad pietatis & iustitiae studium inflammare debet: ideoque omnia ad hunc scopum, quatenus fieri poterit, dirigere atque referre conabitur.

CAP. VII.

DE DISPOSITIONE.

DIximus hactenus de inventione argumentorum: reliquum est, ut breviter de ipsorum ordine atque dispo-

positione dicamus. Ordo igitur, quod ad hunc locum attinet, est argumentorum inter se apta ad persuasionem collocatio. Quae quidem quam sit necessaria differenti, nemo est, qui non videat. Vt enim domui construendae satis non est, lapides & reliquam materiam in acervum congerere, nisi his disponendis ac collocandis artificum manus adhibeatur; utque milites, quantumlibet fortes ac strenui, nisi periti ducis industria formam exercitus accipiant, ad bellum inferendum idonei non sunt: sic argumenta ex locis traditis coacta tumultuantur, nec ad finem adipiscendum apta sunt, nisi ad persuasionem appositе collocentur ac disponantur. Turbati quippe exercitus, sibi ipsis sunt impedimento: & artus, etiam leviter loco moti, perdunt, quo viguerunt, usum. Sic oratio, carens hac virtute, tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohaereat sibi; multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans; nec initio, nec fine proposito, casum potius, quam consilium, sequatur.

Primus igitur dispositionis ordo est, quum sequimur eam praeceptionem, quam paullo ante exposuimus: hoc est, ut utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione: & hunc ordinem, quemadmodum praeceptum ante est, in dicendo sequemur. Item ex institutione artis, non modo totas causas per orationem, sed singulas quoque argumentationes disponemus, quemadmodum in secundo libro docuimus: id est, expositionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem. Haec igitur duplex dispositio est: una per orationes, altera per argumentationes ab institutione artis profecta.

In confirmatione autem, & confutatione argumentationum, dispositiones huiusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis & postremis causae partibus collocare: mediocres, & neque utiles ad dicendum, neque necessariae ad probandum, quae, si separatim ac singulae dicantur, infirmae sunt, cum ceteris tamen coniunctae, firmae & probabiles fiunt; interponi, & in me-

medio collocari oportet. Nam & re narrata ſtatim exſpectat animus auditoris, ex qua re cauſa confirmari poſsit. Quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur, utile eſt, quum dicere deſinemus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem.

Eſt & alius doctrinae ordo, qui in quovis orationis genere ſervandus eſt. Primum enim ea priori loco tractare debemus, quae ad eorum, quae ſequuntur, intelligentiam vel neceſſaria ſunt, vel maiorem illis lucem afferunt. Praeterea ſemper a communioribus ad minus communia, a genere ad ſpeciem, a facilioribus ad difficiliora, a magis notis ad minus nota procedendum eſt. Ideoque ab effectibus ad eorum cauſas, & ab his, quae ſenſu cognoſcuntur, ad ea, quae intellectu praevidentur, conſurgimus: quod ea nobis, ut magis vicina & familiaria, ita magis nota ſunt. Hac enim ratione, ut Apoſtolus ait, (a) inviſibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius, & divinitas. Hactenus de inventione ac diſpoſitione fere conjunctim, quae tradenda videbantur, expoſuimus: nunc ad eloquutionem, quae praecipua huius artis pars eſt, tranſitum faciemus.

(a) *Rom.* 1.

LIBER QVINTVS
ECCLESIASTICAE RHETORICAE,
SIVE DE RATIONE CONCIONANDI.

PRAEFATIO.

NVMQVAM putaram, ſtudioſe Lector, quum libellum hunc ſcribere coepiſſem, ut ad haec minuta eloquutionis praecepta deſcenderem. Sed quum huius artis inſtitutio ad unam bene dicendi rationem dirigatur, quae multis tamen partibus & virtutibus conſtat; ita omnes inter ſe cohaerent & colligatae ſunt, ut vix una aliqua citra aliarum cognitionem intelligi perfecte poſsit. Quocirca, ne mutila & manca admonitio noſtra relinqueretur, neve ſtudioſus concionator, per varias rhetorum officinas, & perplexa eorum documenta vagaretur; quae propoſito noſtro maxime neceſſaria viſa ſunt, quam potui dilucide, atque recto ordine collegi, eaque, perſpicuitatis gratia, plurimis D. Cypriani exemplis, qui omnium orthodoxorum patrum eloquentiſsimus & ornatiſsimus in dicendo eſt, illuſtranda curavi. Sicut rhetores unius Ciceronis exempla ad omnia dicendi praecepta & ornamenta illuſtranda ſufficere credunt: ita ego hunc chriſtianum Ciceronem ad omnia eloquutionis praecepta elucidanda ſatis eſſe arbitror: ut omittam interim, quod is non ſolum praeceptis explicandis, ſed etiam formandis moribus, & vitae recte conſtituendae ſervit.

CAP. I.

DE ELOQVVTIONIS COMMENDATIONE, & qualitate, ex Fabii lib. VIII.

HInc (a) iam eloquutionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam. Nam & Marcus Antonius ... ait, a se disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem. Disertis satis putat, dicere, quae oporteat; ornate autem dicere, proprium esse eloquentissimi. Quae virtus si usque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso; certum est, & in his, & in prioribus eam desideratam, quia difficillima fuit. Et M. Tullius (b) inventionem quidem ac dispositionem prudentis hominis putat; eloquentiam, oratoris. Ideoque praecipue circa partis huius praecepta elaboravit: quod eum merito feciſſe, etiam ipso rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. Eloqui enim hoc est, omnia, quae mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre: sine quo supervacua sunt priora, & similia gladio condito, atque intra vaginam suam haerenti. Hoc itaque maxime docetur, hoc nullus nisi arte assequi potest, huc studium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis aetas consumitur, hoc maxime orator oratore praestantior, hoc genera ipsa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Asiani, aut quocumque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocaverunt: neque, quos aridos vocamus, stulti, aut in causis caeci fuerunt: sed his iudicium in eloquendo ac modus, illis vires defuerunt: ut appareat, in hoc & vitium & virtutem esse dicendi.

Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. Occurram enim necesse est, & velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis, qui, omissa rerum, qui nervi sunt in causis, diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia de-

co-

(a) *Quinctil. instit. orat. lib. VIII. in prooemio.* (b) *De orat. lib. II.*

coris, quod eſt in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum: ſed quum ſequitur, non quum affectatur. Corpora ſana, & integri ſanguinis, & exercitatione firmata, ex iiſdem his ſpeciem accipiunt, ex quibus vires. Namque & colorata, & adſtricta, & lacertis expreſſa ſunt: ſed eadem, ſi quis vulſa atque fucata muliebriter comat, foediſsima ſint ipſo formae labore. Et cultus conceſſus atque magnificus addit hominibus, ut Graeco verſu teſtatum eſt, (a) auctoritatem. At muliebris & luxurioſus non corpus exornat, ſed detegit mentem. Similiter illa translucida & verſicolor quorumdam eloquutio res ipſas effeminat, quae illo verborum habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſollicitudinem: nam plerumque optima rebus cohaerent, & cernuntur ſuo lumine. At nos quaerimus illa, tamquam lateant ſemper, ſeque ſubducant. Ita numquam putamus, circa id eſſe, de quo dicendum eſt; ſed ex aliis locis petimus, & inventis vim afferimus.

Maiore animo aggredienda eloquentia eſt: quae ſi toto corpore valet, ungues polire, & capillum reponere, non exiſtimabit, ad curam ſuam pertinere. Sed evenit plerumque, ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia ſunt optima minime accerſita, & ſimplicibus atque ab ipſa veritate profectis ſimilia: nam illa, quae curam fatentur, & ficta atque compoſita videri etiam volunt, nec gratiam conſequuntur, & fidem amittunt; propter id quod ſenſus obumbrant, & velut laeto gramine ſata ſtrangulant. Nam & quod recte dici poteſt, circumimus amore verborum: & quod ſatis dictum eſt, repetimus: & quod uno verbo patet, pluribus oneramus: & pleraque ſignificare, melius putamus, quam dicere. Quid quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod & alius dixiſſet? A corruptiſsimo quoque poëtarum figuras ſeu translationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendum nos opus ſit ingenio. Atqui ſatis aperte Cicero (b) praeceperat, in dicendo vitium vel maxi-

(a) *Vid. Eraſm. in proverb.* Veſtis virum facit. (b) *De orat. lib. I. in prologo.*

ximum esse, a vulgari genere orationis, atque consuetudine communis sensus abhorrere.

Sed ille durus atque ineruditus : nos melius, quibus sordent omnia, quae natura dictavit; qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia. Quasi vero sit ulla verborum nisi rei cohaerentium virtus : quae ut propria sint, & dilucida, & ornata, & apte collocentur, si tota vita laborandum est, omnis studiorum fructus amissus est. Atque plerosque videas haerentes circa singula, & dum inveniunt, & dum inventa ponderant ac dimetiuntur. Quod etiamsi idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen haec infelicitas erat, quae & cursum dicendi refrenat, & calorem cogitationis exstinguit mora & difidentia. Miser enim, &, ut sic dicam, pauper orator est, qui nullum verbum aequo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognoverit, tum lectione multa & idonea, copiosam sibi verborum supellectilem compararit, & huic adhibuerit artem collocandi : deinde haec omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promtu sint, & ante oculos. Namque & hoc qui fecerit, ei res cum nominibus suis occurrent. Sed opus est studio praecedente, & adquisita facultate, & quasi reposita. Namque ista quaerendi, iudicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non quum dicimus. Hactenus Fabius.

Et paullo inferius idem : in hac ipsa cura est aliquid satis. Nam quum latina *verba*, significantia, ornata, apte sint collocata, quid amplius laboremus ? Quibusdam tamen nullus finis calumniandi est, & cum singulis paene syllabis commorandi : qui etiam, quum optima sint reperta, quaerunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum : nec intelligunt, iacere sensus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura eloquutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, quum verba ipsa rerum gratia sint reperta : quorum ea sunt maxime probabilia, quae sensum animi nostri optime promunt, atque in animis iudicum, quod volumus, effi-

ficiunt. Ea debent praeſtare ſine dubio & admirabilem & iucundam orationem. Verum admirabilem, non ſic, quo modo prodigia miramur: & iucundam orationem, non deformi voluptate, ſed cum laude ad dignitatem coniuncta. Hactenus Fabius. Haec in genere de eloquutionis qualitate dicta ſunt: nunc ad ſingulares eius ſive partes, ſive virtutes veniamus. In quibus hunc tenebimus ordinem, ut primo loco virtutes, quae ad eloquutionis rationem pertinent, collocemus; deinde vitia illi contraria ſubiiciamus.

CAP. II.

DE QVATTVOR PRAECIPVIS ELOQVVTIONIS virtutibus.

QVattuor praecipue in eloquutione Cicero (a) ſpectanda eſſe ait, nempe ut latine, ut perſpicue, ut ornate ut ad id quodcumque agitur, apte congruenterque dicamus: de quibus eſt nobis ſigillatim hoc libro dicendum.

Primum igitur eſt, ut oratio latina ſit, atque emendata. Quae res ad grammatici officium praecipue pertinet: cuius eſt, de oratione congrua & incongrua iudicare. Quod non in latino ſolum aut graeco ſermone, ſed in quovis alio inſpiciendum eſt. Habet enim unaquaeque lingua non modo ſuas phraſes & idiomata, ſed etiam ſuam ſyntaxim & conſtructionem verborum, qua diſerti in ea lingua uti ſolent: quam etiam ſequi debet, quiſquis caſte & emendate loqui deſiderat.

Adverſus autem primam hanc virtutem, quae aliorum omnium fundamentum eſt, tria vitia numerantur: nempe barbariſmus, ſoloeciſmus, & barbara lexis. Barbariſmus autem in una dictione committitur, quum ea verba uſurpamus, quae apud eius linguae peritos, in qua loquimur, non reperiuntur. Soloeciſmus vero in oratione locum habet, quum voces quidem latine, ſed male tamen, hoc eſt,

(a) *De orat. lib. III.*

eſt, contra artis grammaticae praecepta copulantur. Barbara vero lexis barbariſsimo affinis eſt: quum videlicet peregrina dictione utimur, ut quum latina in hiſpano ſermone, vel hiſpana in latino miſcemus. Caſtus enim & proprius ſermo hoc etiam vitare ſtudet.

Hic autem non alienum erit, ut quemadmodum peregrina verba, ita etiam phraſes & idiomata peregrina magno ſtudio fugiamus. Quod vitium frequenter etiam in diſertiſsimos viros cadit. Nam in T. Livio, mirae facundiae viro, putat ineſſe Aſinius Pollio patavinitatem quamdam. Quare, ſi fieri poteſt, inquit Fabius, (a) & verba omnia, & vox huius alumnum urbis oleant: ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata. Quo quidem vitio non nulli concionatores haud carent: qui, patrio ſermone loquentes, latini aut hebraei ſermonis phraſes admiſcent. Quod tunc vel maxime faciunt, quum ſcripturarum, vel ſanctorum patrum teſtimonia vulgari ſermone reddunt.

CAP. III.

DE SECVNDA ELOQVVTIONIS VIRTVTE, videlicet perſpicuitate.

ORationis perſpicuitas (b) tum in verbis ſingulis, tum in coniunctis, hoc eſt, in contextu orationis diligenter obſervanda eſt. Prius illud efficiunt propria verba, quibus maxima ſermonis pars conſtare debet. Proprietas tamen ipſa non ſimpliciter accipitur. Primus enim intellectus eſt ſua cuiuſque rei appellatio, qua non ſemper utimur. Nam & obſcena vitabimus, & ſordida, & humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum, aut ordinis.

Sed ne in his quidem virtus oratoris inſpicitur. At illud iam non modiocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo ſolet, ut proprie dictum id ſit, quo nihil inveniri poſsit ſignificantius: ut Cato dixit, C. Caeſarem

ad

(a) *Inſtit. lib. VIII. cap.* 1. (b) *Ex Quinctil. loc. cit. cap.* 2.

ad evertendam rempub. ſobrium acceſsiſſe: Annibalem quoque dirum, & acrem tibiam hoc modo dicimus. Et ea quoque, quae bene translata ſunt, propria dici ſolent. Poſſunt videri verba, quae plus ſignificant, quam eloquuntur, in parte ponenda perſpicuitatis: intellectum enim adiuvant. Quod facit emphaſis, de qua ſuo loco dicemus.

Plus tamen eſt obſcuritatis in contextu, & continuatione ſermonis, & plures modi. Quare nec ſit tam longus ſermo, ut eum proſequi non poſsit intentio: nec traiectione tam tardus, ut in hyperbaton finis eius differatur.

Vitanda etiam ambiguitas, non haec ſolum, quae incertum intellectum facit, ut Chremetem audivi percuſiſſe Demeam: ſed illa quoque, quae, etiam ſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen verborum vitium incidit: ut ſi quis dicat, viſum a ſe hominem librum ſcribentem. Nam etiam ſi librum ab homine ſcribi pateat, male tamen compoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit. Etiam interiectione, ſive parentheſi: qua & oratores, & hiſtorici frequenter utuntur, ut medio ſermone aliquem inferant ſenſum, impediri ſolet intellectus, niſi, quod interponitur, breve eſt.

Eſt etiam in quibuſdam turba inanium verborum: qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, circumeunt omnia copioſa loquacitate, quae dicere volunt: ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes miſcenteſque, ultra quam ullus ſpiritus durare poſsit, extendunt.

Alii, brevitatis aemuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, &, velut ſatis ſit ſcire ipſos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit.

Nobis igitur prima ſit virtus perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Haec eſt eloquendi obſervatio.

tio. Nam rerum perſpicuitas quo modo praeſtanda ſit, in praeceptis narrationis traditur. Similis autem ratio eſt in omnibus. Nam ſi neque pauciora, quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta. D. autem Auguſtinus (a) iuxta illud graecorum adagium: quamtumvis rudius dicito, modo clarius; minus latinis verbis uti admonet, ſi perſpicua magis fuerint. Sic enim ait: quid prodeſt loquutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; quum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur, non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quae non docent. Et ſi pro eis alia integra, quae intelligantur, poteſt dicere, id magis eliget. Si autem non poteſt, ſive quia non ſunt, ſive quia in praeſentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipſa doceatur atque diſcatur integre. Et paullo poſt: (b) bonorum, inquit, ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire, quod volumus, non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quaerimus, niſi patere, quod clauſum eſt? Haec ille.

Eſt autem alia non in verbis, ſed in rebus ipſis obſcuritas: ubi quidam concionatores abditas atque difficiles quaeſtiones, ex ipſis philoſophiae atque Theologiae penetralibus deſumtas, rudi & indoctae multitudini proponunt; quo ingenium ſuum oſtentent, & eruditi in populo habeantur. Hi autem minime cum Apoſtolo dicere poſſe videntur: (c) non noſmetipſos praedicamus, ſed Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; nos autem ſervos veſtros per Ieſum. Vehementer autem indignum eſt, ut quo in loco & officio alios a vanitatis & iactantiae vitio deterremus, nos in idem vitium, quod perſtringimus, incidamus. Quod ſi admonitio mea adverſus hanc multorum conſuetudinem minus valet, valeat ſane D. Auguſtini in 4. de do-

(a) *Auguſt. lib. IIII. de doctr. chriſt. cap.* 10. (b) *Cap.* 11. (c) 2. *Corinth.* 4.

doctrina christiana libro dicentis : (a) sunt quaedam , quae sua vi non intelliguntur , aut vix intelliguntur... quamvis planissime dicentis versentur eloquio : quae in populi audientiam vel raro , si aliquid urget , vel numquam omnino mittenda sunt. Hactenus Augustinus.

CAP. IV.

DE TERTIA ELOQVVTIONIS VIRTVTE , QVAE in ornatu posita est.

VEnio (b) nunc ad ornatum , in quo sine dubio plus, quam in ceteris dicendi partibus,sibi indulget *concionator.* Nam emendate quidem ac dilucide dicentium tenue praemium est : magis enim est , vitiis carere , quam ut magnam aliquam virtutem adeptus esse videaris... Nec vero hic ornatus parum causae confert... Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt , & facilius credunt , & plerumque ipsa delectatione capiuntur , non numquam admiratione auferuntur. Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipsa non tam nos confunderent , si vis eorum tantum , non etiam ipse fulgor, timeretur. Rectеque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit:(c) nam eloquentiam , quae admirationem non habet , nullam iudico. Aristoteles quoque eamdem petendam maxime putat. Sed hic ornatus , repetam enim , virilis , fortis , & sanctus sit , nec effeminatam levitatem , nec fuco eminentem colorem amet , sanguine , & viribus niteat. Hoc autem adeo verum est , ut quum in hac parte sint vicina virtutibus vitia , etiam qui vitiis utuntur , virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat , me inimicum esse culte dicentibus. Non nego hanc esse virtutem, sed illis eam non tribuo.

An ego fundum cultiorem putem , in quo mihi quis ostenderit lilia , & violas , & amoenos fontes surgentes, quam ubi plena messis , aut graves fructu vites erunt ? Ste-

ri-

(a) *Cap.9.* (b) *Ex Quinctil. lib. VIII. cap.3.* (c) *In fragm. epist.*

rilem platanum, tonſaſque myrtos, quam maritam ulmum, & uberes oleas praeoptaverim? Habeant illa divites, licet quid eſſent, ſi aliud nihil haberent? Nulluſne ergo etiam fructiferis adhibendus eſt decor? Quis negat? Nam & in ordinem, certaque intervalla redigam meas arbores. Quid enim illo quincunce ſpecioſius, qui, in quamcumque partem ſpectaveris, rectus eſt? Sed protinus in id quoque prodeſt, ut terrae ſuccum aequaliter trahant. Surgentia in altum cacumina oleae ferro coërcebo, in orbem ſe formoſius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius adſtricta ſunt ilia, ſi idem velocior. Pulcher adſpectu ſit athleta, cuius lacertos exercitatio expreſsit, idem certamini paratior. Numquam vera ſpecies ab utilitate dividitur. Hactenus Fabius.

D. vero Auguſtinus de hoc orationis ornatu, quo potiſſimum auditorum animi oblectantur, ſic ait: (a) ſicut autem ſaepe ſumenda ſunt & amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt dulcedo pernicioſa. Sed ſalubri ſuavitate... quid melius? Quanto enim magis illic appetitur ſuavitas, tanto facilius ſalubritas prodeſt. Sunt ergo eccleſiaſtici viri, qui divina eloquia non ſolum ſapienter, ſed & eloquenter etiam tractaverunt. Quibus legendis magis non ſufficit tempus, quam deeſſe ipſi ſtudentibus, & vacantibus poſſunt. Haec ille.

CAP. V.

DE ORNATV, QVI EST IN VERBIS SINGVLIS.

QVoniam orationis tam ornatus, quam perſpicuitas, aut in ſingulis verbis eſt, aut in coniunctis; primum, quid ſingula verba, deinde quid coniuncta exigant, conſideremus. Qua in re illud primo loco ſtatuendum eſt, quod quemadmodum perſpicuitas propriis verbis, ſic ornatus translatis, vel quovis alio tropo figuratis, praecipue conſtat. Sed quum eamdem rem frequenter plura verba

(a) *Auguſt. ubi ſup. cap. 5.*

ba ſignificent, quod ſynonimia vocatur, commodiora ſemper, & meliora eligenda ſunt. Conſtat enim, inter haec ipſa verba, alia eſſe aliis conſonantiora, grandiora, honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, vocaliora. Exempli gratia: conſonantiora ſunt, quamquam, moderatio, & concertare; quam ſi dixeris, etſi, modeſtia, confligere. Grandiora ſunt, immanis, contrucidare, optimus, officioſiſsimus; quam haec, magnus, necare, bonus, officioſus. Nitidius etiam, bos, quam vacca. In univerſum quidem optima ex ſimplicibus verbis creduntur, quae aut maxime exclamant, aut ſono ſunt iucundiſsima. Et honeſta quidem turpibus potiora ſemper: nec ſordidis umquam in erudita oratione locus.

Ceterum quod ad uſum attinet, in quo maior obſervatio eſt, delectus verborum ſic habendus eſt, ut cum rerum, de quibus dicimus, natura & dignitate cohaereant. Rebus enim atrocibus verba etiam ipſa auditu aſpera magis convenient. Quod enim verbum in re grandi aptum & magnificum fuerit, in re humili tumidum erit. Contra vero quae humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. Et ſicut in oratione nitida notabile eſt humilius verbum, & velut macula: ita a ſermone tenui ſublime nitidumque diſcordat, fitque corruptum, qui in plano tumet.

Haec de propriis verbis dicta ſunt. Translata vero, de quibus modo dicendum eſt, niſi in contextu, probari non poſſunt. Sed nec inornata ſunt quidem, niſi quum ſunt infra rei, de qua loquendum eſt, dignitatem.

CAP. VI.

DE TROPIS.

QVoniam, ut paullo ante diximus, perſpicuitas quidem propriis, ornatus vero translatis verbis, vel quovis alio tropo figuratis, praecipue conſtat; de tropis iam dicere incipiamus, atque eo libentius, quo in prophetarum libris frequentior eorum uſus eſt. Omnia enim pro-

prophetarum ſcripta, quoniam de rebus maximis differunt, ſive quum hominum ſcelera corripiunt, ſive quum ultrices ſcelerum poenas improbis denuntiant, ſive quum piis hominibus, & in officio manentibus, ingentia divinae gratiae beneficia pollicentur; metaphoris & allegoriis plena ſunt: quibus illi, magnarum rerum ſimilitudinibus, quae ipſi quoque maxima dicunt, amplificare, & ante oculos ponere ſolent. Cuius rei non alienum puto, loca aliquot indicare, ut aperte liqueat, omnia prophetarum ſcripta metaphoris & allegoriis referta eſſe. Talis eſt locus ille Iſaïae: (a) & egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, &c. Virgae enim nomine potentiam, floris autem, pulchritudinem Domini Salvatoris deſignavit.

Deinde ſequentia allegoriis plena ſunt. Habitabit lupus cum agno, &c. Et cap. 8. (b) pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloë, quae vadunt cum ſilentio, &c. Deinde futuram populi vaſtitatem fluminis inundatione deſignat, & amplificat. Cap. vero 35. converſionem, & laetitiam gentium pulcherrimis metaphoris declarat, quum ait: laetabitur deſerta & invia, & exſultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, & quae ſequuntur. Ieremias vero cap. 4. Aſſyriorum regem leonis nomine ſignificat, quum ait: aſcendit leo de cubili ſuo, &c. Ezechiel vero cap. 17. eumdem regem ingentis aquilae nomine exprimit, quum ait: aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad libanum, & tulit medullam cedri, &c. Pharaonem vero, AEgypti regem, draconem appellat, ut eius ſuperbiam & atrocitatem oſtendat, his verbis: (c) ecce ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum. Verum haec exempla in omnibus fere prophetarum paginis reperiuntur. Quae tamen hoc in loco referre volui, ut troporum utilitatem & uſum etiam oſtenderem. Apparet enim, res magnas & atroces his nominibus attolli, earumque magnitudinem his verbis magis, quam propriis, ſignificari.

(a) *Cap.* 11. *v.* 1. (b) *Cap.* 11. *v.* 6. (c) *Ezech.* 29.

Eſt igitur tropus: (a) verbi, vel ſermonis, a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio ... Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentiſsimus eſt, tum longe pulcherrimus: translationem dico, quae *metaphora* graece vocatur. Latiſsime enim patet. Eam neceſsitas genuit, inopia coacta: poſt autem delectatio iucunditaſque celebravit. Nam ut veſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem; ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiae cauſa, frequentata delectationis. Eſt autem translatio, quum nomen aut verbum transfertur ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius, aut quia decentius. Nam gemmare vites, luxuriem eſſe in herbis, laetas ſegetes, etiam ruſtici neceſsitate dicunt. Oratores durum hominem, aut aſperum. Non enim proprium erat, quod darent his affectionibus nomen. Iam incenſum ira, inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. Nihil enim horum ſuis verbis, quam his arceſsitis, magis proprium erat. Illa vero ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiae flumina, ut Cicero pro Milone, Clodium fontem eius gloriae vocat, & alio loco, ſegetem, ac materiam.

Illud autem admirandum videtur, quid ſit, quod omnes translatis & alienis magis delectentur verbis, quam propriis & ſuis. Nam ſi res ſuum nomen & proprium vocabulum non habet, ut pes in navi, ut in vite gemma; neceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere: ſed in ſuorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione translata, delectant. Cauſa autem illa eſt, quod translatio eſt ſimilitudo ad unum verbum contracta: ſimilitudine autem mirifice capiuntur animi. Eo tamen diſtat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt, quum dico, feciſſe quid hominem, ut leonem. Translatio, quum dico de homine, leo eſt.

Me-

(a) *Ex Fab. lib. VIII. cap. 6.*

Metaphorae autem vis omnis quadruplex eſt. Quum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: ut Livius, (a) Scipionem a Catone allatrari ſolitum refert. Inanima pro aliis generis eiuſdem ſumuntur, ut: concentu virtutum nihil eſt ſuavius. Aut pro rebus animalibus inanima, ut: duo fulmina belli Scipiades. Praecipueque ex his oritur mira ſublimitas,quae,audaciae proxima, periculo translationis attollitur, quum rebus ſenſu carentibus actum quemdam & animos damus, qualis eſt: (b)

..... *pontem indignatus Araxes.*

Et illa Ciceronis: (c) quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Arcanae autem litterae,propter rerum magnitudinem,hac eadem metaphora non raro utuntur, qua & rebus inanimatis affectus & actiones humanas tribuunt, & ad ipſas etiam ſermonem convertunt. Tale eſt illud: (d) flumina plaudent manu, ſimul montes exſultabunt a conſpectu Domini. Et alio loco: (e) tunc exſultabunt omnia ligna ſilvarum a facie Domini, &c. Rei enim magnitudo, nempe Chriſti Domini in mundum adventus, hoc exigere videbatur, vel ipſo Domino teſtante, qui ait: (f) ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

In (g) translationibus autem fugienda eſt diſsimilitudo, qualis eſt in illo Ennii: caeli ingentes fornices. Deinde videndum eſt, ne longe ſimile ſit ductum: ſyrtim patrimonii, ſcopulum libentius dixerim; charybdim bonorum, voraginem potius. Facilius enim ad ea, quae viſa, quam ad illa, quae audita ſunt, mentis oculi feruntur. Sunt (h) quaedam & humiles translationes, ut, ſaxea eſt verruca: quaedam maiores, quam res poſtulat, ut, tempeſtas comeſſationis: quaedam minores, ut comeſſatio tempeſtatis.

Vt modicus autem atque opportunus eius uſus illuſtrat orationem, ita frequens & obſcurat, & taedio complet:

(a) *Lib. XXXVIII. cap.* 54. (b) *Virg. lib.VIII. verſ.*728. (c) *Pro Q. Ligario cap.* 3. (d) *Pſalm.* 97. (e) *Pſalm.* 95. (f) *Luc.* 19. (g) *Ex Cic. lib. III. de orat. cap.* 40. & 41. (h) *Ex Quinctil. lib. VIII. cap.* 6.

continuus vero in allegoriam & aenigma exit. Quod ſi vereare, ne paullo durior translatio eſſe videatur, mollienda eſt propoſito ſaepe verbo, ut, ſi olim M. Catone mortuo pupillum ſenatum quis relictum dicat; paullo durius: ſin, ut ita dicam, pupillum; aliquanto mitius eſt. Etenim verecunda debet eſſe translatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque ut precario, non vi, veniſſe videatur. Diligenter etiam cavendum eſt, ne omnia, quae poëtis permiſſa ſunt, convenire orationi putemus: nec enim paſtorem populi, auctore Homero, (a) dixerim, nec volucres pennis remigare: licet Virgilius (b) in apibus ac Daedalo (c) ſpecioſiſsime ſit uſus. Modus autem nullus eſt florentior in ſingulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi: eoque in illo explicando merito longiores fuimus.

Synecdoche tropus eſt, in quo ex parte totum, aut contra; aut ex antecedentibus ſequentia intelliguntur. Quae deſcriptio octo illos modos comprehendit, quibus fit ſynecdoche, quos graviſsimi ſcriptores tradiderunt. Ex parte totum intelligitur, ut ex puppi navis, enſis ex mucrone, aut ex tecto domus. Cicero: (d) mucrones eorum a iugulis noſtris reiecimus. Huc pertinet, quum vel ex uno plures ſignificantur. Livius: Romanos praelio victor: & Virgilius: (e) *hoſtis habet muros.* Vel genus ex forma, ſive ſpecie. Virgilius: (f) *denteſque Sabellicus exacuit ſus*, pro quovis ſue. Vel ex materia res confecta: qua ratione & ferrum pro gladio, & pinus pro navi, & aurum atque argentum pro aurea & argentea pecunia ſumitur. Cicero: (g) homines inſtructi, & certis locis cum ferro collocati. Contra vero ex toto pars declaratur, ut in illo Virgilii: (h)

..... *fontemque, ignemque ferebant.*

De quo genere eſt, quum aut e pluribus unus intelligitur. Cicero ad Brutum: (i) populo, inquit, impoſuimus, & oratores viſi ſumus; quum de ſe tantum loqueretur. Aut e genere pars illi ſubiecta. Virgilius: (k)

prae-

(a) *Iliad.* A. (b) *Georg. lib. IIII. v.* 58. (c) *AEneid. lib. VI. v.* 19. (d) *In Cat. III. c.* 1. (e) *AEneid. lib. II. v.* 290. (f) *Georg. lib. III. v.* 255. (g) *Pro A. Caecina.* (h) *AEneid. lib. XII. v.* 119. (i) *In Bruto, cap.* 50. (k) *AEneid. lib. XII. v.* 255.

..... *praedamque ex unguibus ales*
Proiecit.

Ex antecedentibus quoque ſequentia moſtrantur: ut quum ait idem poëta: (a)

Adſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuvenci.

Ex his autem perſpicuum eſt, translationem ad mövendos animos, & res paene ſub oculos ſubiiciendas repertam eſſe; ſynecdochen vero ad locupletandum ſermonem pertinere.

Nec procul ab hoc genere diſcedit metonymia: in qua cauſas per effecta, vel effecta per cauſas, vel ex eo, quod continet, id, quod continetur, vel rem e ſigno intelligimus. Per cauſas effecta declaramus, quum inventor, aut alicuius rei auctor, pro re inventa ponitur. Virgilius: (b)

..... *onerantque caniſtris,*
Dona laboratae Cereris.

Hoc modo Platonem, Ariſtotelem, Demoſthenem frequenter pro eorum ſcriptis ponimus. Cicero lectitaſſe Platonem ſtudioſe, audiviſſe etiam Demoſthenem dicitur. Ex effectis autem cauſa ſignificatur, quum ſacrilegium deprehenſum, & ſcelus dicimus pro ſcelerato. Hinc maeſtum timorem, triſtem ſenectutem, & pallidam mortem eleganter optimi dicunt auctores. Virgilius: (c)

..... *maeſtumque timorem*
Mittite.

Horatius: (d)

Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Ex eo, quod continet, id, quod continetur, venuſte etiam intelligitur. Sic bene moratae urbes vocantur, ſic ſaeculum felix, ſic Roma pro Romanis, Athenae pro Athenienſibus frequenter ponuntur. Virgilius: (e)

..... *caelo gratiſsimus amnis,*

id eſt, caeleſtibus. Cicero: (f) ut omittam... illas omnium doctri-

(a) *Eclog. II. v.* 66. (b) *AEneid. lib. VIII. v.* 180. (c) *AEneid. lib. I. v.* 202. (d) *Lib. I. od.* 4. (e) *AEneid. lib. VIII. v.* 64. (f) *De orat. lib. I. cap.* 2.

narum inventrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt, & perfecta; pro Athenienſibus. Huc referuntur etiam illa, quum ex poſſeſſore res, quae poſsidetur, aut ex duce exercitus ſignificatur. Virgilius: (a)

..... *iam proximus ardet*
Vcalegon:

id eſt, Vcalegontis domus.

Sic, hominem devorari, cuius patrimonium devoratur: & ab Annibale apud Cannas caeſa ſexaginta millia hominum dicimus, id eſt, ab eius copiis. E ſigno denique res moſtratur. Vnde toga, quae pacis erat inſigne, & otii, pro pace: & faſces uſurpantur pro magiſtratu. Virgilius: (b)

Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit.

Metonymiam, ut ait Cicero, (c) rhetores hypallagem vocant.

Antonomaſia ponit aliquid pro nomine, ut, everſor Carthaginis, & Numantiae, pro Scipione. Et, Romanae eloquentiae princeps pro Cicerone. Et per epitheton, thalamo quae fixa reliquit impius: impium pro AEnea poſuit. Sic philoſophum pro Ariſtotele; poëtam pro Virgilio, excellentiae cauſa, dicimus. Differt antonomaſia a periphraſi, quod illa ad ſola perſonarum nomina referatur; periphraſis vero, de qua mox dicemus, latiſsime ad cetera patet, quae circuitione aliqua melius, quam proprio nomine, ſignificantur.

Epitheton, ſive latine appoſitum, Diomedes ſpeciem facit antonomaſiae. Eſtque frequenter adiectivum nomen, proprio nomini adiectum, ornandi, aut amplificandi, aut indicandi cauſa. Non raro etiam aliis nominibus adiungitur, quae perſonarum propria non ſunt. Neque refert, an haec epitheta ſint adiectiva nomina, necne, modo quocumque pacto proprietas quaedam attribuatur, non perſonis tantum, verum etiam rebus. Vt: praeceps iuventa, praeceps, amens, & inconſultus amor: eſca malorum voluptas: moroſa ac difficilis ſenecta: vitiorum expultrix philoſophia: huma-

(a) *AEneid. lib. II. v. 311.* (b) *Georg. lib. II. v. 495.* (c) *In orat.*

manae vitae ſpeculum comoedia : vitae magiſtra hiſtoria. In poëmatis licebit naturalibus epithetis uti, ut : candida nix, liquidi fontes, frigida nox, volubilis amnis, aureus Sol. In oratione prorſa non oportebit adhiberi, niſi emphaſim quamdam habeant, & ad rem propoſitam pertineant. Vt, non impetrabis cauſam tam iniquam ab Ariſtide iuſtiſſimo. Et, coram, Catone, ſeveriſsimo morum cenſore, audes agere Floralia? Id potiſsimum fiet incitationibus exemplorum aut ſententiarum. Ariſtarchus eruditiſsimus, & idem diligentiſsimus, Cicero eloquentiae princeps, Plato certiſsimus auctor. Exornantur autem epitheta maxime translationibus. Vt, cupiditas effrenata, inſanae ſubſtructiones, &c. Solet etiam fieri aliis adiunctis epitheton tropis apud Virgilium : (a) turpis egeſtas, & triſtis ſenectus. Verumtamen talis eſt ratio huius virtutis, ut ſine appoſitis nuda ſit & velut incompta omnis oratio, nec oneretur tamen multis. Nam fit longa, & impedita. Vt, in quaeſtionibus eam iudices ſimilem agmini totidem lixas habenti, quot milites quoque : in quo & numerus eſt duplex, nec duplum virium.

Interdum autem epithera eleganter ita multiplicantur, ut inſtar definitionis, vel deſcriptionis ſint; immo & frequenter totam rei naturam, eiuſque proprietates explicent. Hinc Ioannes Climacus : (b) ſuperbia, inquit, eſt Dei abnegatio, aſpernatio hominum; laudum progenies, ſterilitatis argumentum, divini adiutorii expulſio, ſtuporis praecurſor, lapſuum miniſtra, caſus materia, iracundiae fons, ſimulationis ianua, firmamentum daemonum, delictorum cuſtos, duritiae & crudelitatis artifex, compaſsionis & miſericordiae ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei adverſatrix, blaſphemiae radix. Haec ille. Sic Origenes de muliere Chananaea : mulier, inquit, caput peccati, arma diaboli, expulſio paradiſi, mater delicti, corruptio legis antiquae, veniebat ad Dominum Ieſum. Sic etiam Iudas apoſtolus in epiſtola ſua de pſeudoapoſtolis loquens : hi ſunt, inquit, in epulis ſuis maculae convivantes, ſine timore ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quae a ventis circum-

(a) *AEneid. lib. VI. v. 275.* (b) *Scalae paradiſi gradu XXIII.*

cumferuntur, arbores autumnales, infructuoſae, bis mortuae, eradicatae, fructus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia.

Catachreſis, quam recte dicimus abuſionem, non habentibus nomen ſuum accommodat, quod in proximo eſt. Sic: (a)

..... *equum divina Palladis arte*
AEdificant.

Et: pyxides, cuiuſcumque materiae ſunt: & parricida, matris quoque aut ſororis interfector dicitur. (b) Valde ſimilis eſt metaphorae, ſed ab ea tamen diſtinguitur, quod abuſio nomen ex vicina ac finitima re accommodat alteri rei, quae ſine nomine eſt: metaphora vero, etiam ſi nomen non deeſt, undecumque, modo ſimilitudinem res habeat, alienum nomen adſciſcit. Quid tam propinquum patris interfectori, quam matris, aut ſororis, aut fratris interfector? Ergo is, quia nomen latino ſermone non habet, per abuſionem parricida vocatur. Quid rurſus magis ſeiunctum, quam arbor, atque reſpublica, quae florere, verbo ab arbore translato, dicitur? Vnde apparet, duos hos tropos ita ſimiles eſſe, ut tamen ſint diverſi.

Allegoria, quam inverſionem interpretamur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrarium. Virgilius: (c)

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus aequor:
Et iam tempus aequum fumantia ſolvere colla.

Habet uſum talis allegoriae frequenter oratio, ſed raro totius, plerumque apertis permixta eſt. Tota apud Ciceronem talis eſt: hoc miror enim, querorque, quemquam hominem ita peſſumdare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, qua ipſe naviget. Illud vero commixtum allegoriae genus frequentiſsimum eſt. (d) Equidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putavi eſſe ſubeundas: niſi adieciſſet, fluctibus concionum, eſſet allegoria: nunc eam miſcuit.

Il-

(a) *Virgil. AEneid. lib. II. v.* 15. (b) *Quinctil. loc. cit.* (c) *Georg. lib. II. v.* 541. (d) *Cic. pro Mil. cap.* 2.

Illud vero longe ſpecioſiſsimum genus orationis, in quo trium permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriae, & tranſlationis. Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos aeſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita, ſaepe perturbat omnia, & totam opinionem parva non numquam commutat aura rumoris. Nam id quoque in primis eſt cuſtodiendum, ut quo genere coeperis translationis, hoc deſinas. Multi enim quum initium a tempeſtate ſumſerunt, incendio aut ruina finiunt, quae eſt inconſequentia rerum foediſsima. Hactenus Fabius. Ceterum ſcripturae prophetarum, ut aliis tropis, ita pulcherrimis allegoriis, & mira verborum conſequentia illuminantur, qualis eſt illa Iſaiae 5. de vinea plantata a dilecto in cornu filio olei. Quam etiam non minori elegantia ſeptem continuis verſiculis perſequitur David, quum ait: (a) vineam de AEgypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam... extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines eius: & cetera, quae ſequuntur.

Ironia, quam illuſionem vocant, allegoria eſt, quae non ſolum aliud ſenſu, aliud verbis oſtendit, ſed contrarium. Ea aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Nam ſi qua earum verbis diſſentit, apparet, diverſam eſſe oratione voluntatem. Cicero in Clodium: (b) integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit. Et Turnus apud Virgilium: (c)

..... *meque timoris*
Argue tu, Drance, tot quando ſtragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Periphraſis, ſive latine circuitio, ſicut & allegoria, non in uno verbo, ſed in coniunctis fit, quum id, quod ſimpliciter dici poterat, quo ſit oratio vel plenior, vel ſignificantior, pluribus verbis dicimus. Quod frequentiſsime fit, quum recto obliquum, decoris gratia, adiungimus. Vt, Scipionis providentia Carthaginis opes fregit, pro eo quod eſt:

(a) *Pſalm.* 79. (b) *In fragm.* (c) *AEneid. lib. XI. v.* 383.

eſt : Scipio Carthaginem delevit. Sic dicimus, admirari virtutis decus & elegantiam, pro, virtutem : & odiſſe ſceleris deformitatem vel turpitudinem, pro, ſcelus. Qua loquendi figura frequentiſsime & ornatiſsime utitur eloquentiſsimus Oſorius.

Conſtat autem aliis modis tropus hic, nempe etymologia, notatione, finitione. Etymologia, quum nominis rationem explicamus : ut ſi quis heredipetam dicat, qui hereditates alienas appetat, captetque. Aut pro paraſito, hominem cibo ventrique deditum : aut pro philoſopho, hominem ſapientiae ſtudioſum : pro grammatico, qui litteras doceat : pro locuplete, qui plurima loca poſsideat : pro pecunioſo, qui magnam pecorum copiam poſsideat.

Notatione conſtabit, quum notis quibuſdam accidentium rem quampiam deſcribimus : ut ſi quis, iram intelligens, animi aut bilis efferveſcentiam dicat, quae pallorem vultui, ardorem oculis, tremorem membris inducat. Eiuſdem generis eſt & illud : qui digito ſcalpunt uno caput : quo molles, & parum viri ſignificantur. Aut ſi dicas : cubito ſe emungit, ſalſamentarium indicans.

Finitione conſtabit, ut ſi quis artem bene dicendi pro rhetorica dicat. Peculatorem virum, qui civitatis aerarium compilaſſet. Hominem tyrannum, qui vi leges, ac civium libertatem oppreſsiſſet.

Haec de tropis dicta ſint : quae, ut ante diximus, ornamenti plurimum orationi conciliant : quorum omnium una eſt ratio atque natura, nempe, pro noto & proprio alicuius rei nomine aliud ſubrogare, quod vel ornatius vel ſignificantius ſit, vel etiam vim habeat probationis & argumenti. Atque ut huius virtutis fontem aperiam, quae magnam huic facultati lucem praeferet, ſciendum, nequaquam nomen aliud pro alio ſubiici poſſe, niſi illi valde finitimum, & quaſi cognatum ſit. Cognata autem rebus ſunt ea, quae ſupra diximus, eſſe rebus aut perſonis attributa, unde topica, hoc eſt, argumentorum ſedes oriuntur. Qua-

lia

lia ſunt gènus rei, ſpecies, definitio, propria, accidentia, ſive antecedentia, ſive concomitantia, ſive conſequentia, cauſae, effectus, totum & partes, ſimilia, & cetera eiuſdem generis. Quum ergo omnia haec vim habeant argumenti, periti artificis erit, quo ſit oratio vehementior, frequenter his rerum attributis pro rebus ipſis uti: quod huiuſmodi nomina vicem argumenti, ſive, ut dialectici vocant, medii vim habeant. Sic Sapiens illa femina 2. Reg. 20. (a) Ioab, civitatem Abela obſidenti, ait: quare praecipitas hereditatem Domini? In qua oratione verbo praecipitandi obſidionis malum amplificavit: verbo autem hereditatis, quod pro civitatis proprio nomine poſuit, vim argumenti, & quidem acris, incluſit. Quo exemplo aperte liquet, ad omnem uſum, cui topica deſerviunt, tropos etiam deſervire: qui ab illis originem ducunt. Quum autem ſimilitudo inter topica numeretur; ea vero ad probandum, ad amplificandum, ad inferendum rebus lucem, ad rem oculis ſubiiciendam, & ad delectandum accommodata ſit: conſequens eſt, ut metaphora etiam, quae brevis ſimilitudo eſſe dicitur, ad omnes hos uſus deſerviat, eoque principem inter omnes tropos locum teneat.

Illud etiam admonendum, quod non modo ad orationis ornatum, ſed ad intelligenda quoque ſcripta prophetarum haec facultas plurimum conducit, quod frequentiſsime his tropis utantur. Si quis enim in ſcriptis eorum diligenter adverterit, quid, pro nominibus propriis, earum rerum, de quibus dicunt, uſurpaverint; inveniet, eos non ſolum metaphoricis & allegoricis loquutionibus uſos, ſed aliis etiam tropis, dum aut effectum pro cauſa, aut cauſam pro effectu, aut totum pro parte, aut partem pro toto, aut proprium nomen pro communi, aut commune pro proprio, aut inſtrumenta pro re confecta, aut quae rebus adiuncta ſunt, pro rebus ipſis ponunt. Tale eſt illud Ieremiae: (b) interrogate & videte, ſi generat maſculus. Quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum quaſi parturientis? Hic ex conſequentibus calamitatis magnitudinem ſignificavit. Simi-

(a) *Verſ.* 19. (b) *Ierem.* 30.

mile eſt huic illud eiuſdem: (a) vocate lamentatrices, & ad eas, quae procul ſunt, mittite, &c. His enim ſignis venturae cladis acerbitatem voluit oſtendere. Quum vero Amos, divitum inhumanitatem exaggerans, ait: (b) nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph; proprium nomen pro communi pauperum & miſerorum nomine poſuit, ut D. Auguſtinus (c) adnotavit, qui hunc prophetae tropum plurimum commendavit. Quum vero Apoſtolus ait: (d) non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum concupiſcentiis eius; effectum poſuit, pro cauſa peccati, nempe, concupiſcentia & fomite, unde peccata oriuntur. Contra vero, quum, fide, ait, (e) homines iuſtificari; partem pro toto poſuit. Fides quippe radix & fundamentum eſt omnium, quae ad iuſtificationem requiruntur: pro quibus fidem poſuit. Sic ubi in ſcripturis legimus, quinquageſimum caput, vel quinquaginta capita, ex praecipua parte totum intelligimus.

Ceterum, qua ratione ſibi Eccleſiaſtes ornatiſsimorum verborum copiam, in quibus haec troporum lumina inveniantur, comparare poſsit, ſuo loco explicabimus.

CAP. VII.

DE ORNATV, QVI EST IN VERBIS CONIVNCTIS: ac primum de figuris.

QVum paullo ſuperius dictum a nobis ſit, orationis ornatum partim in verbis ſingulis, partim in coniunctis poſitum eſſe; ubi iam de tropis, qui ad priorem ornatus partem deſerviunt, diximus, reliquum eſt, ut de poſteriori, qui in verbis coniunctis cernitur, nunc dicamus. Hic autem praecipue conſtat figuris, compoſitione, & variis dicendi formis, ad rerum dignitatem accommodatis. De his igitur in reliqua huius libri parte tractandum eſt, a figuris, quae graece ſchemmata dicuntur, initium ſumentes:

(a) *Cap.* 9. (b) *Amos* 6. (c) *Lib. IIII. de doctrin. chriſt. cap.* 7. (d) *Rom.* 6. (e) *Rom.* 3.

tes : in quibus maxima ornatus & elegantiae pars ſita eſt. His autem Demoſthenes ita eſt uſus , ut omnia fere , quae dicit , aliqua huiuſmodi figura exornare curet. Quo nomine multi putant , ut auctor eſt Cicero , eloquentiam eius maxime eſſe mirabilem.

Principio igitur figurae definitio ac diviſio tradenda eſt. Figura autem , ut rhetores definiunt, (a) eſt conformatio quaedam orationis , remota a communi, & primum ſe offerente ratione , qua rectus ſermo in alium cum virtute mutatur. Vt hoc autem rudi , quod aiunt , Minerva explicemus , ſciendum eſt , quod quemadmodum eidem corpori veſtimenta plura aptari poſſunt , quorum alia ad venuſtatem , alia ad gravitatem , alia ad luctum & maeſtitiam, alia ad humilitatem & ſanctitatem accommodantur : ita eadem ſententia diverſis poteſt figuris & formis explicari , & quodam modo veſtiri : quorum aliae venuſtatem , aliae gravitatem , aliae vim & acrimoniam prae ſe ferant. Eruditi autem artificis eſt , eam figuram & velut habitum eligere , qui vel ſententiae enuntiandae , vel propoſito noſtro maxime quadret.

Subiiciamus huius rei exempla. Simplici & recta oratione Apoſtolus dicere poterat : ſi quis infirmatur , & ego infirmor : ſi ſcandalizatur , & ego uror. Sed ab hac ſimplici , & primum ſe offerente ratione diſcedens , multo acrius & elegantius per interrogationis figuram dixit : (b) quis infirmatur , & ego non infirmor ? Quis ſcandalizatur , & ego non uror ? Simili quoque ratione dicere poterat : nulla res poterit nos a caritate Chriſti ſeparare , &c. At quanto vehementius & elegantius eſt : (c) quis non ſeparabit a caritate Chriſti ? Tribulatio , an anguſtia , an periculum ? &c. Item ſimplici oratione dicere poterat : non poſſunt homines Deum invocare , de quo nihil audierunt : neque audire, niſi illis annuntietur : neque quis annuntiare poterit , niſi a Deo mittatur. At multo elegantius ait : (d) quo modo invocabunt , in quem non crediderunt ? Aut quo modo credent ei,

(a) *Apud Quinctil. lib. VIIII. cap.* 1. (b) 2. *Cor.* 11. (c) *Rom.* 8. (d) *Rom.* 10.

ei, quem non audierunt? Quo modo autem audient ſine praedicante? Quo modo vero praedicabunt, niſi mittantur? Hic enim multae ſimul eloquutionis virtutes coëunt. Eſt enim repetitio, & interrogatio, & gradatio, & membra tem orationis ex pari fere numero ſyllabarum.

Potuiſſet etiam D. Gregorius ſimpliciter dicere: mirum eſt, peccatricem mulierem ad Dominum venire: & mirum item, eamdem ab eo miſericorditer trahi, & benigne recipi. Sed quanto elegantius eſt, hanc ſententiam figurata oratione ad hunc modum explicari? (a) Quid igitur miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam, an trahentem? dicam melius, & trahentem, & ſuſcipientem. Ad hunc modum Sedulius, quum dicere potuiſſet: vehementer nobis prima illa femina & antiquus ſerpens nocuerunt: multo ornatius atque vehementius dixit: (b)

..... *heu noxia coniux!*
Noxia tu coniux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, ſed tu quoque noxia coniux.

Item ſimpliciter dicere ſolemus: virtutis comes invidia eſt, quae viros bonos plerumque inſectatur: acrius tamen per exclamationem dicitur: o virtutis comes invidia, quae bonos plerumque inſequeris, atque adeo inſectaris! His exemplis, ut arbitror, facile figurae definitio, & eius item uſus percipi poteſt.

Definitionem ſequitur diviſio. Sunt enim duplices figurae, aliae verborum, aliae ſententiarum. Verborum ſunt, quae venuſta & concinna eorumdem verborum collocatione conſtant: qua ſublata, mutatur & tolliur figura. Sententiarum vero ſunt, quae non in verbis, ſed in rebus ipſis ſunt poſitae: ut quum vel exclamamus, vel interrogamus, vel obſecramus, vel dubitare nos aliquid dicimus, vel etiam optamus. Deſcriptiones quoque rerum & perſonarum, hoc eſt, ſermocinationes, notationes, ſententiae & epiphonemata, de quibus ante diximus, & multae item aliae inter ſententiarum figuras numerantur.

Quum autem verborum figurae ornatum & elegantiam orationi concilient, unde hic ornatus originem ducat, di-

li-

(a) *Homil.* 33. *in Evang.* (b) *Carm. Paſch. lib. II. v.* 6.

ligenter animadvertendum est. Huius enim rei cognitio plurimum ad earum usum conducet. Sciendum est igitur, rerum omnium decorem & pulchritudinem, quae vel sensibus, vel intellectu percipitur, proportione quadam & concinnitate partium, sibi invicem apte consentientium, praecipue constare. Vnde sapientissimus ille rerum omnium architectus, qui pulcherrima omnia facere voluit, in numero, pondere & mensura perfecit, ipsumque inter cetera hominem ea natura condidit, ut numeris, & apta rerum concinnitate maxime caperetur. Hac enim de causa & pulchritudo oculos oblectat, & vocum concentus, suis numeris dimensus, aures recreat, & poëtarum carmina, quae numerorum legibus eleganter adstricta sunt, voluptate nos afficiunt. Quo minus mirandum est, si ornatus, qui in verborum figuris est positus, in quadam apta & concinna verborum collocatione & proportione constitutus sit. Quid autem proportionis huius nomine intelligam, liceat enim hac voce uti, proposita exempla facile declarabunt.

Sumamus illam Eusebii Emisseni sententiam: ferina imuanitas est, Deum aestimare minorem, quia maiora contulit; ut ideo a te minus accipiat honoris, quia plus contulit dignitatis. Hic aperte vides proportionem inter contraria, & similiter cadentia verba. Idem Eusebius, locum illum explanans, (a) parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, sic ait: natus est nobis, qui sibi erat. Datus est ergo ex divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui sentiret occasum; datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & matre esset iunior; datus, quo nec pater esset antiquior. Natus, qui morerètur; datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est; qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, & mihi militat. Idem etiam, de corporum resurrectione disputans, sic ait: ipsa caro honoratur praemiis, quae est probata supplicĩis: ipsa in muneribus gaudebit, quae in doloribus triumphavit: quae ideo tolerabiliter doluit se afflictam, quia fideliter credidit reformandam. In his omnibus quis non videt

(a) *Isai. 9.*

numerum & proportionem ſimilium, diſimilium, & contrariorum ſibi invicem reſpondentium? Quin & in eccleſiaſticis quoque antiphonis & verſiculis interdum idem numerus atque proportio reperitur; quale eſt illud in laudibus D. Martini: o virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit! Hic apparet, quo modo ſibi reſpondeant, laborem & mortem, victum & vincendum, mori & vivere, timere & recuſare. Eſt autem in his omnibus exemplis oratio colis & commatis ubique rotunda: de quibus ſuo loco dicemus.

Quia vero D. Auguſtinus, ut ceteros quoque patres omittam, hoc loquendi genere maxime delectatus eſt; libet non nulla eius exempla referre, quae Proſper Aquitanius adnotavit atque collegit, quae hanc praeceptionem maxime illuſtrabunt: ut omittam interim, quod eadem ipſa, citra hanc commoditatem, non indigna ſunt, quae legantur. Sic igitur ait: (a) lex data eſt, ut gratia quaereretur; gratia data eſt, ut lex impleretur: neque enim vitio ſuo non implebatur, ſed vitio prudentiae carnis. Quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit. Idem: (b) divina bonitas ideo maxime iraſcitur in hoc ſaeculo, ne iraſcatur in futuro: & miſericorditer temporalem adhibet ſeveritatem, ne aeternam iuſte inferat ultionem. Idem: (c) vera confeſsio eſt benedicentis, quum idem ſonus eſt & oris, & cordis. Bene autem loqui, & male vivere, nihil aliud eſt, quam ſua ſe voce damnare. Idem: (d) hoc affectu, & deſiderio colendus eſt Deus, ut ſui cultus ipſe ſit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud magis, quam ipſum, promereatur, non Deum colit, ſed illud, quod aſſequi concupiſcit.

Idem: (e) iniquus puniri ſe ignorat, niſi quum manifeſto ſupplicio ſenſerit nolens, quantum mali ſit, quod perpetravit volens. Idem: (f) mala mors putanda non eſt, quam bona vita praeceſſerit. Non enim facit malam mortem,

(a) *Sent.* 44. (b) *Sent.* 5. (c) *Sent.* 6. (d) *Sent.* 20. (e) *Sent.* 47. (f) *Sent.* 50.

tem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum necessario morituris, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Idem: (a) iustis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non poena est criminis, sed virtutis examen. Nam bonus, etiamsi serviat, liber est: malus autem, etsi regnet, servus est: nec unius hominis, sed, quod gravius, tot dominorum, quot vitiorum. Idem: (b) diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem: Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem. Idem: (c) in rebus spiritalibus quum minor maiori adhaeret, sicut creatori creatura, illa fit maior, quam erat, non ille: & hoc est maius esse, quod est melius esse: quia adhaerens creatura creatori, non mole auctior, sed virtute fit maior. Idem: (d) omnes beati habent, quod volunt... Miseri *autem* sunt, qui vel non habent, quod volunt, vel id habent, quod non recte volunt. Propior est ergo beatitudini voluntas recta, etiam non adepta quod cupit, quam prava, etiamsi, quod cupit, obtinuit. Idem: (e) qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet & in terroribus ultionum. Nam & blanditur, & minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio: si non minaretur, nulla esset correctio. Hactenus ille.

In his autem omnibus locis vel negligenter etiam attendentibus proportionis concinnitas satis apparet, qua singula verba singulis verbis contraponuntur, sibique mutuo respondent. Sed huiusmodi exemplorum nusquam non maxima copia, & passim obvia, ut merito accusari possim, quod rem adeo perspicuam tot exemplis oneraverim. Verum hoc feci, ut ostenderem, hanc decoris & venustatis partem, quae in verborum figuris cernitur, ex eo fonte manare, unde omnis aliarum rerum pulchritudo, quae vel arte vel natura constant, manare solet: simul ut hac

(a) *Sent.* 53. (b) *Sent.* 59. (c) *Sent.* 60. (d) *Sent.* 62. (e) *Sent.* 70.

ratione admonerentur, qui eleganter dicere volunt, ut ad hanc dicendi formam ea revocare ſtudeant, quorum natura huius decoris capax eſt. Haec enim orationis gratia ſequi rerum naturam debet, non affectari. Et tunc etiam parcius hoc loquendi genere utendum eſt, quum in veritate dicemus; quo affectationis vitium, omnium aliorum peſsimum, fugiamus: utpote quod fidem dicenti adimat.

Hoc enim loquendi genere venerandi PP. Auguſtinus, Euſebius Emiſſenus, Petrus Ravenas, D. Bernardus, ita delectati ſunt, ut vix alio eloquutionis genere frequentius utantur. D. vero Gregorius omnes fere ſententias his numeris adſtringit. Quam rem adeo venuſte Petrus Ravenas agit, ut hac potiſsimum ratione Chryſologi nomen invenerit. Quamvis autem rhetores hac loquendi figura parcius utendum eſſe praecipiant, quod ea plus habeat iucunditatis & ſuavitatis, quam gavitatis; hi tamen, quos ſupra memoravi, patres, ut eorum ſcripta monſtrant, frequentiſsime ea uſi ſunt.

Sed ut ad id, cuius gratia haec a me inducta ſunt, veniam, ſciendum eſt, pleraſque verborum figuras ex hoc proportionis fonte manare. Eſt enim, quod ad praeſens attinet inſtitutum, triplex proportionis genus: nempe, eiuſdem verbi ad idem verbum certo ordine & numero ſibi reſpondens, aut ſimilis ad ſimile, aut contrarii ad contrarium, quacumque ratione contrarium ſit. Varia ſiquidem contrariorum genera a dialecticis numerantur. Ex hoc ergo triplici proportionum genere tres veluti claſſes figurarum oriuntur, quae in verbis poſitae ſunt: de quibus ubi mox dixerimus, non nullas alias, partim ſimiles, partim contrarias, adiiciemus. Vtrúmque enim ad eumdem ordinem atque tractationem pertinet.

CAP. VIII.

PRIMA CLASSIS DE FIGVRIS VERBORVM, QVAE eiuſdem verbi repetitione conſtant.

EX prima igitur claſſe, ubi idem verbum eleganter repetitur, primum locum tenet repetitio: quae eſt, quum continenter ab uno atque eodem verbo in rebus ſimilibus & diverſis principia ſumuntur. Sic D. Cyprianus: ſi, inquit, filii Dei ſumus, ſi templa eius eſſe iam coepimus, ſi accepto Spiritu ſancto, ſancte & ſpiritualiter vivimus, ſi de terris oculos ad caelum ſuſtulimus, ſi ad ſuperna & divina plenum Deo & Chriſto pectus ereximus, non, niſi quae ſunt Deo & Chriſto digna, faciamus. Idemque rurſus contra quoſdam Chriſti confeſſores paullo licentius agentes, ſub unius nomine, ſic invehitur: confeſſor eſt, ſed poſt confeſsionem periculum maius eſt; quia plus adverſarius provocatus eſt. Confeſſor eſt, hoc magis ſtare debet cum Domini evangelio, per evangelium gloriam conſequutus a Domino. Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus; ut qui Chriſti confeſſor dicitur, Chriſtum, quem confitetur, imitetur. Confeſſor eſt Chriſti, ſed ſi non poſtea blaſphemetur maieſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa non ſit maledica, non ſit turbulenta, non conviciis & litibus perſtrepens audiatur. Ceterum ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſsionem ſuam mala converſatione prodiderit, ſi vitam ſuam turpi foeditate maculaverit, ſi Eccleſiam denique, ubi confeſſor factus eſt, derelinquens, & unitatis concordiam ſcindens, fidem primam perfidia poſteriore mutaverit, blandiri ſibi per confeſsionem non poteſt. Et cetera. Hactenus Cyprianus.

CONVERSIO.

CONverſio eſt, per quam non, ut ante, primum repetimus verbum, ſed ad poſtremum continenter rever-

timur. Cyprianus: Deus videri non poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt : nec aeſtimari, ſenſu maior eſt. Et ideo ſic Deum digne aeſtimamus, dum inaeſtimabilem dicimus. Idem : quiſque ille eſt, quem zelo perſequeris, ſubterfugere & vitare te poterit : tu te fugere non potes ; ubicumque fugeris, adverſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captivus es, nec ſolatia tibi ulla ſubveniunt. Tale eſt illud Apoſtoli : (a) Hebraei ſunt, & ego : Iſraëlitae ſunt, & ego. Semen Abrahae ſunt, & ego : miniſtri Chriſti ſunt, ut minus ſapiens dico, plus ego. Sic etiam Seneca : (b) hoc eſt, inquit, Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit, occidit Perſarum multa millia; opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat ; opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum erit, omnia oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſsibus, & imperium ex angulo Thraciae uſque ad orientis terminos protulit; dicetur, ſed Calliſthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla tranſierit, ex his, quae facit, nihil tam magnum erit, quam ſcelus Calliſthenis.

COMPLEXIO.

COmplexio eſt, quae utramque complectitur exornationem, & hanc, & quam ante poſuimus ; ut & reperatur idem primum verbum ſaepius, & crebro ad idem poſtremum revertamur. Cyprianus : ſolus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non eſt, qui, templum Dei ſervans, ubicumque fuerit, ſine Deo non eſt. Sed haec brevis complexio eſt. Poteſt autem eſſe multo longior. Cuius rei exemplum non verebor ex ſanctiſsimo Bonaventura afferre : cuius oratio, quamvis non adeo leniter fluat, ſententiarum tamen pondere non minus grata ſanis ingeniis

(a) 2. *Corinth.* 11. (b) *Nat. quaeſt. lib. VI. cap.* 23.

niis esse debet, quam quae elegantia & nitore sermonis exornata est. Is igitur precandi studium hoc genere exornationis commendat his verbis: si vis patienter tolerare adversa, vaca orationi. Si vis tentationes & tribulationes superare, vaca orationi. Si vis pravas affectiones conculcare, vaca orationi. Si vis astutias satanae cognoscere, ac eius fallacias vitare, vaca orationi. Si vis laetanter vivere in opere Dei, & per laboris & afflictionis viam incedere, vaca orationi. Si vis spirituali in vita te exercere, & carnis curam non agere in desideriis, vaca orationi. Si vis vanas cogitationum muscas effugare, vaca orationi. Si vis animam tuam sanctis cogitationibus & desideriis impinguare, vaca orationi. Si vis cor tuum virili spiritu, & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, vaca orationi. Denique, si vis vitia extirpare, & virtutibus ornari, vaca orationi. In ea enim recipitur sancti Spiritus unctio, quae de omnibus mentem docet. Hac eadem figura D. Gregorius utitur, hoc modo: (a) considero, inquit, patres novi & veteris testamenti, David, Danielem, Amos, Petrum, Paullum, & Matthaeum, & apertis oculis fidei intueor. Implet namque Spiritus sanctus puerum citharoedum, & psalmistam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet pastorem armentarium, & prophetam facit: implet piscatorem, & principem apostolorum facit: implet persequutorem, & doctorem gentium facit: implet publicanum, & evangelistam facit. Quam ergo insani sumus, qui hunc Spiritum non quaerimus? Hic videre licet eadem esse verborum initia, eosdemque fines.

TRADVCTIO.

TRaductio est, quae facit, ut quum idem verbum crebrius ponatur; non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non

(a) *Homil.* 30. *in Evang.*

non poteſt colere. Item : eum tu hominem appellas , qui, ſi fuiſſet homo , numquam tam crudeliter vitam hominis petiiſſet. At erat inimicus : ergo inimicum ſic ulciſci voluit , ut ipſe ſibi reperiretur inimicus. Item : divitias ſine divitum eſſe , tu vero virtutem praefer divitiis. Nam ſi voles divitias cum virtute comparare , vix ſatis idoneae tibi videbuntur divitiae , quae virtutis pediſſequae ſunt. Repetuntur autem eadem nomina. Primum quidem in diverſis caſibus , quale eſt illud : (a)

Litora litoribus contraria , fluctibus undas
Imprecor , arma armis : pugnent ipſique nepotes.

Eleganter etiam Ioannes Picus Mirandulanus , cum Deo loquens , ſic ait:

Namque tua eſt noſtris maior clementia culpis.
Et dare non dignis res mage digna Deo eſt.
Quamquam ſat digni , ſi quos dignatur amare,
Qui , quos non dignos invenit , ipſe facit.

Hoc autem *polyptoton* Graeci vocant.

Huc etiam pertinet epanalepſis : hoc eſt , a poſtremo ad primum verbum regreſsio. Quale eſt illud : (a)

Multa ſuper Priamo rogitans , ſuper Hectore multa.

Item illud Ciceronis in Verrem : multi & graves dolores inventi parentibus , & propinquis multi. Quod etiam fit , ſententia aliqua interiecta , hoc modo : bona, miſerum me ! conſumtis enim lacrimis , tamen animo infixus haeret dolor , bona , inquam , Cn. Pompeii acerbiſsimae voci ſubiecta praeconis.

Finitima huic quoque eſt anadiploſis , quae idem verbum in fine praecedentis , & initio ſequentis orationis repetit. Quale eſt illud : (b)

Vrbs Etruſca ſolo. Sequitur pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens , & verſicoloribus armis.

Sic etiam Cicero contra Catilinam : (c) o tempora , o mores ! Senatus hoc intelligit , conſul videt , hic tamen vivit : vivit ? immo vero etiam in Senatum venit , &c. Et oratio quoque hoc modo iteratur. Quale eſt illud Sedulii,

de

(a) *Virgil. AEneid. lib. IIII. v. 628.* (b) *AEneid. lib. X. v. 180.* (c) *Orat. I. cap. 1.*

de prima femina loquentis : (a)

..... *heu noxia coniux.*

Noxia tu coniux magis , an draco perfidus ille ?

Perfidus ille draco , ſed tu quoque noxia coniux.

Simile eſt & illud Ioannis Pici Mirandulani:

Sed premit heu miſeros tantae indulgentia ſortis,

Quos fecit natos gratia , culpa reos.

Culpa reos facit , ſed vincat gratia culpam:

Et tuus in noſtro crimine creſcat honor.

Eſt etiam affinis huic epizeuſis,latine conduplicatio, quae vel idem verbum,vel eamdem ſententiam conduplicat.Idem verbum, quale eſt illud: tu tu faces illas incendiſti. Et : (b)

Me , me : adſum , qui feci : in me convertite ferrum.

Et Cicero contra Catilinam : vivis , & vivis , non ad deponendam , ſed ad confirmandam audaciam. In oratione vero hoc modo : (c) commotus non es ? quum tibi mater pedes amplexaretur , commotus non es ? Item : nunc etiam audes in horum conſpectum venire , proditor patriae ; proditor , inquam , patriae , venire audes in horum conſpectum ? Vehementer auditorem commovet eiuſdem redintegratio verbi , & vulnus maius efficit , quaſi aliquod telum ſaepius perveniat in eamdem partem corporis.

GRADATIO.

GRadatio quoque ab hoc repetitionis fonte mănat, quae quamdam verborum catenam efficit : eſtque & ad docendum , & ad delectandum quum primis accommodata. D. Cyprianus , ſermone de livore : zelare , inquit, quod bonum videas , & invidere melioribus , leve apud quoſdam crimen videtur : dumque exiſtimatur leve, non timetur : dum non timetur , contemnitur : dum contemnitur , non facile vitatur. D. item Gregorius : conſiderandum eſt , ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat , & ad hoc rite perveniens , qualiter vivat , & bene vivens qualiter doceat , & recte docens , infirmitatem ſuam quoti-

(a) *Carm. Paſch. lib. II. v. 6.* (b) *AEneid. lib. VIIII. v. 427.* (c) *Cicero ad Heren. lib. IIII.*

tidie quanta conſideratione cognoſcat. Et Apoſtolus: (a) tribulatio, inquit, patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit. Et iterum: (b) quos, inquit, praeſcivit & praedeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, illos & iuſtificavit, &c. Et in eodem capite per interrogationem & repetitionem venuſtiſsime ait: quo modo invocabunt, in quem non crediderunt? Quo modo vero credent ei, quem non audierunt? &c. Item: non ſenſi haec, & non ſuaſi; neque ſuaſi, & non ipſe ſtatim facere coepi; neque facere coepi, & non perfeci; neque perfeci, & non probavi. In hoc autem noviſsimo exemplo, non decus modo, ſed vis etiam & acrimonia ineſt. Hactenus de figuris, quae eiuſdem verbi repetitione conſtant.

In his autem figuris non inopia fit, ut ad idem verbum reddatur ſaepius, ſed ineſt feſtivitas quaedam, quae facilius auribus diiudicari, quam verbis demonſtrari, poteſt. Huic autem virtuti, ſicut omnibus aliis, ſuum quoque vitium finitimum eſt, quod *tautologiam* appellant, hoc eſt, eiuſdem verbi vitioſam repetitionem, quae non decoris gratia, ſed inopia verborum fit, quae etiam aurium iudicio diiudicatur, qualis eſt illa: nam cuius rationis oratio non exſtet, ei rationi ratio non eſt fidem adhibere.

CAP. IX.

SECVNDA CLASSIS DE FIGVRIS, QVAE verborum ſimilitudine conſtant.

SEcundi vero ordinis figurae, quae proportione verborum ſimilium, ſibi invicem reſpondentium, conſtant, quattuor praecipue numerantur, nempe compar, ſimiliter cadens, ſimiliter deſinens, & agnominatio.

Compar, quod graece *iſocolon* dicitur, eſt quod habet in ſe membra, quae conſtant ex pari fere numero ſyllabarum. Hoc non de enumeratione noſtra fiet: nam id qui-

(a) *Rom.* 5. (b) *Rom.* 8.

quidem puerile eſt, ſed tantum affert uſus & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu par membrorum ſuperiori referre poſsimus. Cyprianus: mundus ipſe occaſum ſui, rerum labentium probatione, teſtatur: non hieme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus aeſtate torrendis ſolita flagrantia eſt, nec ſic verna de temperie ſata laeta ſunt, nec adeo arboreïs fetibus autumna fecunda ſunt. Sed huiuſmodi exemplorum nuſquam non magna copia eſt.

SIMILITER CADENS, SIMILITER DESINENS.

Similiter cadens exornatio dicitur, quum in eadem conſtructione verborum duo aut plura ſunt verba, quae ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur. At ſimiliter deſinens eſt, quum, tametſi caſus non inſunt in verbis, tamen ſimiles exitus ſunt. Vtriuſque rei exemplum patet his D. Cypriani adverſus Demetrianum verbis: certe & labor irritus, & nullus effectus, offerre lumen caeco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto: quum nec ſentire brutus poſsit, nec caecus lumen admittere, nec ſurdus audire. In hoc autem genere pulcherrima & iucundiſsima ſunt illa, in quibus non extrema tantum, ſed media quoque varie & multipliciter ſibi reſpondent. In quibus quanta ſit varietas, exempla declarabunt. Cyprianus ad Donatum, accipe, inquit, non diſerta, ſed fortia: nec ad audientiae popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad divinam indulgentiam praedicandam rudi veritate ſimplicia. Accipe quod ſentitur, ante quam diſcitur: nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiae maturantis hauritur. Idem contra Demetrianum: qui ad malum motus eſt, mendacio fallente, multo magis ad bonum movebitur, veritate cogente. Longior quidem illa, ſed non minus ornata D. Auguſtini ſententia, qua nativitatis & mortis diem in beato martyre comparans, ſic ait: illo die ex faſtidioſo matris utero in hanc lucem proceſsit, quae oculos carnis illecebrat: iſto autem die ex profundiſsimo

car-

carcere in illam lucem diſceſsit, quae viſum mentis illuſtrat. Ad pretioſam mortem iuſte vivendo venit: ad glorioſam vero vitam iniuſte moriendo perrexit.

AGNOMINATIO.

AGnominatio eſt verborum ſimilitudo, in diſsimili tamen ſententia. Quale eſt illud Cypriani de habitu virginum: capilli tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Idem, ſermone de mortalitate, defunctos fratres non eſſe lugendos, quum ſciamus, non eos amitti, ſed praemitti. Tale eſt illud Fabii: (a) nihil putamus eſſe perfectum, niſi ubi natura cura iuvatur. Eſt autem D. Bernardus ut frequentiſsimus, ita etiam feſtiviſsimus in hac figura; quale eſt illud eiuſdem: benigna caritas affluit, non defluit. Item, futuram hominis gloriam daemon vidit & invidit. Et, Cain munera Deus non reſpicit, quia illum deſpicit. Et, magna ſuperbia eſt uti datis, quaſi innatis. Sic multa alia apud eumdem.

CAP. X.

TERTIA CLASSIS EX FIGVRIS VERBORVM, quae contrariis nominibus aut rebus conſtant.

TErtius figurarum ordo, contrariorum proportione conſtat: in quibus tantum ineſt leporis & gratiae, ut quocumque fere modo contraria copulentur, ornamenti plurimum orationi afferant; neque iucundam modo, ſed acrem interdum efficiant. Tale eſt illud in Catilinam: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Nec minorem vim & acrimoniam habet illud Cypriani in epiſtola ad Cornelium contra Novatianos. Sic enim ait: an ad hoc, frater cariſsime, deponenda eſt Eccleſiae catholicae dignitas, & ſacerdotalis auctoritas ac poteſtas, ut iudicare velle ſe dicant de Eccleſiae praepoſito extra

Ec-

(a) *Inſtit. orat. lib. XI. cap. 3.*

Eccleſiam conſtituti, de chriſtiano haeretici, de ſano ſaucii, de integro vulnerati, de ſtante lapſi, de iudice rei, de ſacerdote ſacrilegi? Hactenus ille. Nec minori acrimonia Iſaïas adverſus ſuperbum atque laſcivum feminarum ornatum ait: (a)& erit pro ſuavi odore foetor, pro zona funiculus, pro criſpante crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.

Sed quoniam haec figura ornatiſsima eſt, pluribus a nobis exemplis illuſtranda erit, ut hac ratione multiplex eius uſus intelligi poſsit. Cyprianus, gratulandum eſt, inquit, quum improbi de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oves Chriſti ſaeva ſua & venenata contagione praedentur. Cohaerere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fecunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Idem: quemadmodum ſatanas transfigurat ſe, velut in angelum lucis; ita miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros iuſtitiae, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub praetextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti; ut, dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Idem ſermone de eleemoſyna: Dei filius, hominis filius eſſe voluit, ut nos filios Dei faceret. Humiliavit ſe, ut populum, qui prius iacebat, erigeret. Vulneratus eſt, ut vulnera noſtra ſanaret. Servivit, ut ad libertatem ſervientes extraheret. Mori ſuſtinuit, ut moriens immortalitatem mortalibus exhiberet.

Idem etiam ſermone de patientia, de admiranda Domini Salvatoris patientia ſic ait: ſub ipſa autem paſsionis hora, quae conviciorum probra, quae contumeliarum tolerata ludibria? ut inſultantium ſputamina patienter exciperet, qui ſputo ſuo caeci oculos paullo ante formaverat: & cuius in nomine nunc a ſervis eius Zabulus cum angelis ſuis flagellatur, flagella ipſa pateretur: coronaretur ſpinis, qui martyres floribus coronat aeternis: palmis in fa-

(a) *Cap.* 3.

faciem verberaretur, qui palmas vincentibus tribuit: ſpoliaretur veſte terrena, qui indumento immortalitatis ceteros veſtit: cibaretur felle, qui cibum caeleſtem dedit: potaretur aceto, qui poculum ſalutare propinavit. Hac eadem figura Apoſtolus uſus eſt, quum ait: (a) maledicimur, & benedicimus: perſequutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus. Dei quoque Filius apud Iſaïam (b) in hoc ſe a patre miſſum eſſe teſtatur, ut lugentibus daret coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu maeroris.

Eſt etiam pulcherrimum illud contrariorum genus, quo D. Baſilius in laudem martyrum utitur his verbis: pericula non reſpicit martyr, coronas reſpicit: plagas non horret, ſed praemia numerat: non videt lictores inferne flagellantes, ſed angelos ſuperne laetos hominibus acclamantes: non ſpectat ad temporalia pericula, ſed ad praemiorum aeternitatem.

COHABITATIO.

EST etiam cohabitatio, qua contraria in eadem re, vel perſonae ſimul coniunguntur: quod fieri poſſe ſub diverſis rationibus, dialectici concedunt. Sic Lactantius de phoenice, poſt mortem exſurgente, ait:

Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,
AEternam vitam mortis adepta bono.

Tale eſt illud Herennianae rhetoricae: ades, abeſſe vis: abes, reverti cupis. In pace bellum quaeritas, in bello pacem deſideras. Sic D. Gregorius, dedignantur, inquit, iuſti, ſed non dedignantes; deſperant, ſed non deſperantes; perſequutionem commovent, ſed amantes.

PARADIASTOLE.

HVic contraria eſt paradiaſtole. Sicut enim illic contraria copulantur, ita hic ſimillima diſcernuntur.

Hac

(a) 1. *Corinth.* 4. (b) *Iſai.* 62.

Hac elegantiſsima figura elegantiſsime Apoſtolus uſus eſt, quum ait : (a) in omnibus tribulationem patimur , ſed non anguſtiamur : aporiamur , ſed non deſtituimur : perſequutionem patimur , ſed non relinquimur : humiliamur, ſed non confundimur : deiicimur , ſed non perimus. Sic D. Cyprianus ſimilia hoc modo disiungit : aliud eſt , inquit , martyrio animum deeſſe , aliud animo defuiſſe martyrium. Sic etiam Seneca , de homine deſide & otioſo loquens : non , inquit , diu vixit , ſed diu fuit. Idem : pergimus , inquit , non quo eumdum eſt , ſed quo itur : nec ad rationem , ſed ad ſimilitudinem vivimus. Et dum unuſquiſque mavult credere , quam iudicare , numquam de vita iudicatur , ſemper creditur. Et iterum : quaeramus quid optimum factu ſit , non quid uſitatiſsimum. Idemque : opes , inquit , meas fortuna abſtulit , non avulſit. Item D. Auguſtinus , (b) ſic diligendi ſunt homines , ut eorum non diligantur errores : quia aliud eſt amare , quod facti ſunt; aliud odiſſe , quod faciunt.

Item D. Cyprianus : (c) nos autem , fratres cariſsimi, qui philoſophi non verbis , ſed factis ſumus , nec veſtitu ſapientiam , ſed veritate , praeferimus ; qui virtutum magis conſcientiam , quam iactantiam , novimus ; qui non loquimur magna , ſed vivimus : quaſi ſervi & cultores Dei , patientiam , quam magiſteriis caeleſtibus diſcimus , obſequiis ſpiritualibus praebeamus. Hactenus ille. In epiſtola vero, quam presbyter Romani ad eumdem Cyprianum de lapſis miſerunt , ſic inter cetera ſcribunt : maxime illis congruit verecundia , quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulſent ſane fores , ſed non utique confringant: adeant ad limen Eccleſiae , ſed non utique ut tranſiliant: caſtrorum caeleſtium excubent portis , ſed armati modeſtia , qua intelligant , ſe deſertores fuiſſe : reſumant precum ſuarum tubam , ſed qua non bellicum clangant. In his exemplis aperte liquet , quae ſimilia videntur, ratione disiungi , & quantum inter ſe differant , explicari.

CON-

(a) 2. *Corinth.* 4. (b) *Tom. III. in fin. Sent.* 2. (c) *Cyprian. Serm. de patient.*

CONTRARIVM IN SENTENTIIS.

EST etiam contrarium in ſententiis, quod dialectici inter ea argumenta, quae a contrariis ducuntur, referunt. Quia tamen hoc genus argumentationis ceteris ornatius eſt, inter exornationes collocatur. Tale eſt illud: nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quo modo alienis rebus amicum fore ſperes? Item, nam quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoveris, eum quare putas inimicitias cum fide habere poſſe? Ad hoc etiam genus contrarii argumenta ab imparibus, hoc eſt, a maiori & minori, referuntur hoc modo: quos ex collibus deiecimus, cum iis in campo metuimus dimicare? Qui, quum plures erant, paucis nobis exaequari non poterant; hi, poſtquam pauciores ſunt, metuimus, ne ſint ſuperiores?

CONTENTIO.

HVic autem figurae finitima eſt contentio: quae non tam ex contrariis, quam ex imparium circumſtantiarum comparatione conſtat: quae quidem, ſicut & praecedens, magis ad ſententiarum, quam ad verborum, figuras pertinet. Quia tamen contrarii ſpeciem habet, his eam adnectere, docendi gratia, voluimus. Ea vero frequentiſsime utimur, quum, propoſita ſimilitudine, aut exemplo, quo aliquid vel probare volumus, vel amplificare, utriuſque rei circumſtantias excutimus, ut oſtendamus, id, quod intendimus, aut par, aut minus, aut maius eſſe. Sic Cicero pro lege Manilia: (a) maiores, inquit, veſtri ſaepe, mercatoribus ac naviculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos, tot civium Romanorum millibus, uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati, quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius Graeciae lumen, exſtinctum eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Romani, conſularem, vinculis ac verberibus,

(a) *Cap. 5.*

bus, atque omni ſupplicio excruciatum, necavit? Illi libertatem civium Romanorum immunitam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis, verbo violatum, illi perſequuti ſunt: vos legatum Pop. Rom. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? Subiecit deinde concluſionem his verbis: videte, ne ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſsimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri & conſervare non poſſe. Verum de hac contentione paullo fuſius, quum de exemplorum tractatione agendum erit, differemus.

COMMVTATIO.

AD hoc genus contrariorum pertinet commutatio, quae Graece dicitur *antimetabole*. Ea vero eſt, quum duae ſententiae, inter ſe diſcrepantes, ex transiectione ita efferuntur, ut a priori poſterior, contraria a priori proficiſcatur, hoc modo: eſſe oportet, ut vivas; non vivere, ut edas. Item: ea re poëmata non facio, quia, cuiuſmodi volo, non poſſum; cuiuſmodi poſſum, nolo. Item: quae de illo dicuntur, dici non poſſunt; quae dici poſſunt, non dicuntur. Item: ſi poëma, loquens pictura eſt; pictura, tacitum poëma debet eſſe. Item: quia ſtultus es, ea re taces; non tamen quia taces, ea re ſtultus es. Item in ſacris litteris: nequaquam Dominus propter locum gentem elegit, ſed propter gentem locum. Item Sedulius: (a)

..... *nam ſabbata propter*
Condita ſunt hominem, ſed non homo ſabbata propter.

(a) *Carm. lib. IIII.*

CAP. XI.

QVARTA CLASSIS DE RELIQVIS VERBORVM figuris.

POST haec tria figurarum genera, quae proportione quadam verborum, ſibi invicem reſpondentium, conſtare diximus; ſupereſt quartum genus figurarum, in quibus non ita aperte haec proportio deprehenditur: quamvis non prorſus ea careat. Hoc enim praecipue figurae verborum a ſententiarum figuris diſtant, quod in eis ſic verba collocantur, ut quamdam proportionis imaginem prae ſe ferant, unde venuſtas omnis atque iucunditas orationis manat. Quo fit, ut huiuſmodi verborum figurae ad delectandum plurimum conferant: quae res inter tria orationis officia numeratur.

ADIVNCTIO:

INter has ergo figuras prima eſt adiunctio, quae Graece *zeuma* dicitur: in qua unum ad verbum, quod primum, aut poſtremum collocatur, plures ſententiae referuntur: quarum unaquaeque deſideraret, ſi ſola poneretur. Fit autem praepoſito verbo, ad quod reliqua reſpiciant, hoc modo: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia: aut propoſito, quo plura clauduntur. Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaverit. Medium quoque poteſt eſſe, quod & prioribus, & ſequentibus ſufficiat: ut, formae dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. Quia vero in his tribus locis verbum illud collocari poteſt, in principio videlicet, medio, & fine; tres zeumatis ſpecies Graeci fecerunt, nempe protozeuma, meſſozeuma, & hyperozeuma: quibus hanc differentiam ſignificarent.

DISIVNCTIO.

HVic contraria est disiunctio, qua unicuique orationis membro suum verbum apponitur, quum tamen unum aliquod toti orationi sufficere potuisset. Vt autem illa figura brevius, ita hac ornatius & elegantius dicimus. Sic D. Cyprianus contra Demetrianum: quid, inquit, cum terrenae carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione, si potes, vince. Idem sermone de mortalitate: si avaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contemta est, ira exasperat. Item Cicero pro Archia, de studiis suis loquens, sic ait: (a) me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, ut ab illis nullo me unquam tempore aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. Et in eadem oratione: (b) Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant.

DISTRIBVTIO.

DIstributio duplex est: altera in sententiis, quae inter sententiarum figuras reddetur: altera in verbis, quae est huius loci propria, & superiori, hoc est, adiunctioni, finitima, nisi quod est multo ornatior. Sed illa quidem plura verba idem significantia repetit, haec vero diversa sive verba, sive nomina rebus accommodatissima iungit. Quo in genere ut frequentissimus, ita elegantissimus est D. Cyprianus. Hinc in epistola ad Donatum, de pravae consuetudinis violentia loquens, sic ait: tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido praecipitet. Idem de habitu virginum: caelestis hominis imaginem virgines portant, stabiles in fide, humiles in timore, ad

(a) *Cap. VI.* (b) *Cap. VIII.*

omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes. Idem contra Demetrianum: qui alios, inquit, iudicas, aliquando eſto & tibi iudex; conſcientiae tuae latebras intuere ... Aut enim ſuperbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia ſaevus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus: & miraris, in poenas generis humani iram Dei creſcere, quum creſcat quotidie, quod puniatur? Idem ſermone de patientia, exemplo Domini, in ingratos etiam beneficia conferre ſuadet his verbis: videmus inſeparabili aequalitate patientiae nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis ... Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſsium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere.

INTERPRETATIO:

PErtinet etiam ad figuras verborum interpretatio, quam graeci *ſynonymiam* appellant: quum inſtandi, augendi, & interdum etiam apertius dicendi cauſa plura verba idem ſignificantia congregantur. Sic D. Cyprianus ſermone de lapſis: doleo, fratres, doleo vobiſcum ... Cum ſingulis pectus meum copulo, maeroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis graſſantis inimici mea membra ſimul percuſſa ſunt: ſaevientes gladii per mea viſcera tranſierunt. Idem ſermone de livore: ſi receſſerunt de pectore tuo tenebrae, ſi nox inde diſcuſſa eſt, ſi caligo deterſa eſt, ſi illuminavit ſenſus tuos ſplendor diei, ſi homo lucis eſſe coepiſti, quae ſunt Chriſti, ſequere: quia lux & dies Chriſtus eſt. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiae caecitate omne pacis & caritatis lumen exſtinguis? Item Cicero: (a) quae quum ita ſunt, Catilina, perge, quo

(a) *In Cat. I. cap. V.*

quo coepiſti: egredere aliquando ex urbe. Patent portae: proficiſcere. Idem de eodem: (a) abiit, exceſsit, evaſit, erupit.

Eſt etiam pulcherrima illa Hieronymi Vidae cum Deo in hymno loquentis interpretatio. (b)

Siſque aliis metus, ut libet, ac formidinis horror.
At mihi blandus amor, mihi ſis placidiſsimus ardor.
Noctes atque dies toto te pectore verſem:
Te ſine ſit mihi dulce nihil, te præ omnibus optem,
Vnum depeream: totis hunc ſenſibus aeſtum
Implicitem: hunc imis exardens oſsibus hauriam,
Hoc mihi ſolvantur flagrantes igne medullae:
Hos mihi mens unos ſemper ſuſpiret amores.

Verborum autem idem ſignificantium copia, quae ad hanc figuram cum primis neceſſaria eſt, non modo ſynonymia, ſed etiam tropis, ac praecipue metaphoris, & allegoriis paratur: quando, quod propriis verbis enuntiatum eſt, metaphoris ſignificamus. Quale eſt illud Hieronymi Vidae cum Domino agentis: (c)

Nam quamvis hominem admoneas, foveaſque tegaſque,
Quodlibet audendi eſt tamen omnibus aequa poteſtas,
Et nobis laxas noſtri uſque relinquis habenas.

Hic poſtremus verſiculus idem allegorice, aut metaphorice dicit, quod duobus praecedentibus propriis verbis enuntiaverat.

Neque verba modo, ſed ſenſus quoque idem facientes acervantur, quale eſt illud: perturbatio iſtum mentis, & quaedam ſcelerum obfuſa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.

Mixta quoque, & idem, & diverſa ſignificantia, hoc eodem modo coniunguntur. Cyprianus de habitu virginum: ſi tu te ſumtuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas, ut etſi ipſa non pereas, a-

(a) *In Catilin.* II. *cap.* I. (b) *A verſ.* 512. (c) *A verſ.* 617.

lios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus praebeas; excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica.

Hoc in loco monendus eſt concionator, ne pluribus verbis idem ſignificantibus eamdem ſententiam oneret: niſi vel augendae rei, vel alicuius obſcurioris ſententiae explicandae gratia, quae niſi hoc modo exprimi ſatis non poteſt. Quod quidam parum advertentes, plura verba idem pollentia temere congerunt: quae res dicenti fidem abrogat, propterea quod magnam oſtentationis & affectationis ſignificationem det.

CONGERIES, VEL SYNATHRISMVS.

FInitima eſt huic figurae ſynathriſmus, cuius inter amplificandi rationes meminimus: niſi quod interpretatio eſt unius verbi multiplicatio, ſynathriſmus vero multarum rerum congeries, qua in augendis & amplificandis rebus praecipue uti ſolemus. In qua plura ſive verba, ſive commata, ſive membra orationis, interpoſitis coniunctionibus, aut etiam ſublatis, quod eſt acrius, coniunguntur. Cyprianus contra Demetr. innoxios, iuſtos, Deo caros domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignibus punis. Idem de ſimplic. Praelat. quam vero unitatem ſervat, quam dilectionem cuſtodit, qui, diſcordiae furore veſanus, Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, caritatem diſsipat, ſacramentum profanat? Ad hoc genus pertinet illud Iſaïae: (a) in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, &c. Simile eſt & illud Apoſtoli: (b) uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis caedimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus, operantes manibus noſtris. Verum haec figura, frequentatio-

(a) *Iſai.* 3. (b) 1. *Corinth.* 4.

tioni, de qua posterius erit sermo, admodum similis, ad sententiarum figuras magis pertinere videtur. Eius autem usus in augendo & amplificando potissimum cernitur. Estque haec amplificandi ratio maxime naturalis, & cuique vel imperito obvia, qua videlicet in una re multa inesse dicimus, quae illam augeant & exaggerent. Hactenus de verborum figuris: nunc ad sententiarum figuras, in quibus ut minor iucunditas, ita maior vis dicendi est.

CAP. XII.

DE FIGVRIS SENTENTIARVM, AC PRIMVM de his, quae ad docendum magis pertinere videntur.

QVum tria sint, ut D. Augustinus ait, (a) praecipua concionatoris officia, nempe docere, flectere, & delectare, de quibus suo loco dicemus; omnes figurae tum verborum, tum sententiarum, in loco additae, haec tria maxime praestant. Exempli gratia: transitio ad docendum praecipue pertinet; quae, quid dictum sit, & quid sit dicendum, perspicuitatis gratia breviter exponit. Eadem autem vim & acrimoniam orationi adiungit hoc modo: audistis gravissima, audietis graviora. Quaedam tamen inter figuras sunt, quae magis ad delectandum, quam ad docendum aut flectendum, accommodantur: quales sunt verborum figurae, de quibus hactenus loquuti sumus; quamvis non nullae inter eas vim & acrimoniam habeant, qualis repetitio, conduplicatio, interpretatio, & synathrismus, sive congeries est. Contraria vero, ut proposita exempla declarant, non modo magnam venustatem, sed vim etiam & acrimoniam habent. At sententiarum figurae minus fortasse ad delectandum valent, ad docendum tamen atque flectendum plurimum conducunt: ideoque illas perspicuitatis gratia in duas classes divisimus; quarum prior eas figuras continet, quae magis ad docen-

(a) *Lib. IIII. de doctr. christ. cap.* 11.

dum pertinent ; posterior vero , quae ad flectendum magis , hoc est , ad instandum , & animos commovendos magis serviunt : quamvis non abnuam, pleraſque earum ad omnia simul conferre. Nam & exempla , & similia aliquando rem aperiunt , & perspicuam faciunt ; aliquando orationem ornant , atque delectant ; quandoque vero rem amplificant , & augent : quo nomine inter amplificandi rationes , ut suo loco exposuimus , numerantur. Sic etiam rerum & personarum descriptiones non ad flectendum modo , quod earum praecipuum est , sed interdum etiam ad docendum & delectandum adiuvant.

CAP. XIII.

PRIMA CLASSIS DE FIGVRIS SENTENTIARVM, quae maxime ad docendum pertinent.

DEFINITIO.

DEfinitionem constat inter locos argumentandi collocari. Eadem tamen inter sententiarum figuras ponitur , quia non solum ad perspicuitatem , quod eius est proprium , sed etiam ad orationis ornatum non parum conducit. Ea vero est , quae rei alicuius proprias amplectitur potestates breviter & absolute , hoc modo : maiestas reipub. est , in qua continetur dignitas & amplitudo civitatis. Item : iniuriae sunt , quae aut pulsatione corpus , aut convicio aures , aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam violant. Item : non est ista diligentia , sed avaritia : ideo quod diligentia est accurata conservatio suorum , avaritia iniuriosa appetitio alienorum. Item : non est ista fortitudo , sed temeritas : propterea quod fortitudo est contemtio laboris & periculi cum ratione utilitatis , & compensatione commodorum : temeritas est , cum inconsiderata laborum perpessione , gladiatoria periculorum susceptio. Haec igitur commoda putatur exornatio , quod omnem rei cuiuspiam vim & potestatem ita dilucide propo-

ponit, & breviter explicat, ut neque pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neque lucidius potuiſſe dici putetur.

Haec autem brevis & abſoluta definiendi ratio ex dialecticorum officina deſumta eſt. Eſt autem alia longior atque copioſior, laudis aut vituperationis cauſa aſſumta, quae ad rhetores magis pertinet. Vituperationis, ut Cyprianus in epiſtola ad Cornelium, de Novatiano loquens: magis, inquit, durus ſaecularis philoſophiae pravitate, quam philoſophiae dominicae lenitate pacificus, deſertor Eccleſiae, miſericordiae hoſtis, interfector poenitentiae, doctor ſuperbiae, veritatis corruptor, perditor caritatis. Laudandi vero gratia idem Cyprianus de habitu virginum diſciplinam hoc modo definit: diſciplina cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonae indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo vivere, ad promiſſa caeleſtia, & divina praemia pervenire. Idem de oratione dominica: evangelica praecepta, inquit, nihil ſunt aliud, quam magiſteria divina, fundamenta aedificandae ſpei, firmamenta corroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praeſidia obtinendae ſalutis; quae, dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad caeleſtia regna perducunt.

DIVISIO.

Diviſio quoque, ſicut definitio, inter locos argumentandi ponitur. Quae, quoniam & perſpicuitatem & ornatum quemdam orationi addit, inter ſententiarum figuras collocatur. Ea vero res omnes aliquando in formas, ſive ſpecies, aliquando in partes diſtribuit. Ab ea vero ſic argumentum ducitur: duae res ſunt, quae poſſunt homines ad turpe compendium commovere; inopia, atque avaritia. Te avarum in fraterna diviſione cognovimus, inopem atque egentem nunc videmus: qui potes igitur oſtendere cauſam maleficii non fuiſſe? Inter hanc diviſionem, &

il-

illam, quae de partibus orationis tertia eſt, de qua alibi diximus, hoc intereſt: illa dividit per enumerationem, aut per expoſitionem, quibus de rebus in tota oratione diſputatio futura ſit: haec ſe ſtatim explicat, & brevi, duabus aut pluribus partibus ſubiiciens rationes, exornat orationem. Eſt etiam diviſionis quaedam ſpecies in his D. Cypriani verbis: primus eſt victoriae titulus, gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus eſt, cauta ſeceſsione ſubtractum, Domino reſervari. Illa publica, haec privata confeſsio eſt.

SVBIECTIO.

SVbiectio inter argumentorum formas poſita eſt, quod vim habeat argumentandi. Eademque inter figuras numeratur, quod ornatiſsima ſit. Qua frequenter in confutatione utimur, quum iis, quae contra nos obiici poſſunt, brevi rationis ſubiectione reſpondemus. Sic enim D. Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum, qua illum ad eremiticam vitam hortatur, tacitis obiectionibus reſpondet, hoc modo: paupertatem times? Sed beatos Chriſtus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa ieiuniis membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta caeſaries? Sed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas terret? Sed tu paradiſum mente deambula. Quotieſcumque illuc cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris. Scabra ſine balneis atrahitur cutis: ſed qui in Chriſto ſemel lotus eſt, non illi neceſſe eſt, iterum lavare. Et ut breviter ad cuncta audias Apoſtolum reſpondentem: (a) non ſunt, inquit, condignae paſsiones huius ſaeculi ad ſuperventuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Hactenus Hieronymus.

D. vero Cyprianus hac eadem figura beatiſsimos Chriſti confeſſores, ad fodienda metalla damnatos, commendat

&

(a) *Rom.* 8.

& laudat his verbis : non fovetur in metallis lecto & culcitis corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fovetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera : ſed poena non eſt, cum Chriſto iacere. Squallent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia : ſed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus : at non in pane ſolo vivit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt : ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter, & cultus eſt. Semitonſi capitis capillus horreſcit: ſed quum ſit caput viri Chriſtus, qualecumque caput illud deceat neceſſe eſt, quod ad Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas, deteſtabilis & foeda gentilibus, quali ſplendore penſabitur?

DISTRIBVTIO.

DIviſioni finitima eſt diſtributio, quam inter verborum figuras retulimus. Eſt autem diſtributio alia in ſententiis, quum in plures res aut perſonas certas negotia quaedam diſpertiuntur, hoc modo : qui veſtrum, iudices, nomen ſenatus diligit, hunc oderit neceſſe eſt : petulantiſsime enim ſemper iſte oppugnavit ſenatum. Qui equeſtrem locum ſplendidiſsimum cupit eſſe in civitate, is oportet iſtum maximas poenam dediſſe velit, ne iſte ſua turpitudine ordini honeſtiſsimo maculae atque dedecori ſit. Qui parentes habetis, oſtendite in iſtius ſupplicio, vobis homines impios non placere. Quibus liberi ſunt, ſtatuite exemplum, quantae poenae in civitate ſint hominibus huiuſmodi comparatae. Item, ſenatus officium eſt, conſilio civitatem iuvare. Magiſtratus officium eſt, opera & diligentia conſequi voluntatem ſenatus. Populi officium eſt, res optimas, & homines idoneos ſuis ſententiis eligere, & probare. Accuſatoris officium eſt, inferre crimina : defenſoris, diluere, & propulſare. Teſtis eſt, dicere, quae ſcierit, aut audierit. Quaeſitoris eſt, unumquemque horum in officio ſuo continere.

D. quoque Cyprianus, ſermone de lapſis, de corruptis

ſae-

ſaeculi ſui moribus ſic ait : non in ſacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidae fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolae voluntates. Ad hunc modum Ezechiel Propheta cap. 22. varia aetatis ſuae crimina, & corruptam perſonarum omnium diſciplinam moreſque deſcribit. Contra vero Apoſtolus 5. & 6. cap. epiſtolae ad Epheſ. variorum ſtatuum perſonas, hoc eſt, viros, uxores, filios, parentes, ſervos atque dominos, ad virtutum officia unicuique debita hortatur. Quod utinam noſtri ſaeculi concionatores frequenter in concionibus ſuis facerent : ut, quid quiſque in ſtatu ſuo perſequi deberet, voce concionatoris agnoſceret.

Eſt & illa non inelegans neque infrequens diſtributionis ſpecies, qua frequenter in deſcriptionibus utimur, qualis eſt illa Naſonis : (a)

Iamque aliquis poſita monſtrat fera praelia menſa,
Pingit & exiguo pergama tota mero.
Hac ibat Simois, hic eſt Sigeia tellus:
Hic ſteterat Priami regia celſa ſenis.
Illic AEacides, illic tendebat Vlyſſes:
Hic lacer admiſſos terruit Hector equos.

Sic etiam Maro, varios terrarum fructus deſcribens, ait: (b)

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei fetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epirus equarum?

D. vero Cyprianus in epiſtola ad Donatum utramque diſtributionis ſpeciem coniungit his verbis : flagrant ubique delicta, & paſsim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubiicit,

(a) *Heroid. ep. I. v. 31. ſeqq.* (b) *Virg. Georg. lib. I. v. 54.*

cit, ille falſum capitali fraude conſcribit: hic arcentur hereditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat, teſtis infamat, utrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutae vocis venalis audacia.

RATIOCINATIO.

RAtiocinatio duplex eſt: altera, quae amplificationi ſervit, quam a Fabio (a) hoc nomine appellari ſuperius (b) diximus: altera, quae inter ſententiarum figuras numeratur, ſubiectioni, de qua modo diximus, admodum ſimilis: niſi quod ſubiectio inter argumentationum formas collocatur; ideoque partes omnes interrogando enumerat, ut ad unam aliquam perveniat: ratiocinatio autem huic partium enumerationi adſtricta non eſt, quamvis illius ſpeciem interrogando & reſpondendo referat. Ea vero eſt, per quam nos ipſi a nobis rationem poſcimus, quare quidquid dicamus, & crebro noſmet a nobis petimus uniuſcuiuſque propoſitionis explanationem. Ea eſt huiuſmodi: maiores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici iudicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? Quia neceſſe eſt, eam, quae ſuum corpus addixerit turpiſsimae cupiditati, timere permultos. Quos iſtos? Virum, parentes, ceteros, ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? Quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut quoquo modo poſsit, veneficio petat. Cur? Quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam. Quid veneficii damnatam? Putabant impudicam quoque neceſſario. Quare? Quia nulla facilius ad id maleficium cauſa, quam turpis amor, & intemperans libido commovere potuit: quum cuius animus mulieris eſſet corruptus, eius corpus caſtum eſſe non putarint.

Quid

(a) *Inſtit. orat. lib. VIII. cap. 4.* (b) *Lib. III. cap. 5.*

Quid in viris? idem ne hoc obſervabant? Minime. Quid ita? Quia viros ad unumquodque maleficium ſingulae cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. Item, bene maiores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepiſſent, vita privarent. Quid ita? Quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat, in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paullo ante in ampliſsimo ſtatu collocarat. Quid quod exercitum contra duxit? Deſino meminiſſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare; qui victi ſunt, eos homines iudicare: ut poſsit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille ſi viciſſet, num idem feciſſet? Non profecto tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? Quia talem ſtultitiam contemnere, non imitari, conſuevi. Haec exornatio ad ſermonem vehementer accommodata eſt; & animum auditoris reddit attentum, tum venuſtate ſermonis, tum rationum exſpectatione. Hoc exemplo ſatis liquet, qua ratione quiſque & interrogare, & ſibi ipſi reſpondere queat.

Eſt autem, ut dixi, figura haec ad concionandi rationem utiliſsima: propterea quod naturam quodam modo dialogi imitatur, & rectum orationis curſum atque impetum, quo auditores interdum fatigantur, dialogi ſpecie atque varietate reficit. Quin etiam attentionem excitat: dum qui audiunt ea, de quibus concionator vel dubitat, vel requirit, ipſi etiam ſimili ratione dubitare, & reſponſionem exſpectare coguntur: atque in hunc modum variis interrogationibus & reſponſionibus ineſcantur ac detinentur. Id adeo verum eſt, ut non defuerint auctores non poenitendi, qui conciones, quas litteris mandaverunt, in dialogorum ſpeciem & formam retulerint. Cuius rei quum multae ſint commoditates, non poſtrema illa eſt, quod quum apta pronuntiationis varietas, variaque vocis figura auditores plurimum detineat; haec interrogandi atque reſpondendi ratio magnam ex natura ſua varietatem, ut in ipſis rebus, ita in pronuntiatione petit: ut res non

tam

tam in concione, quam in ſcena quodam modo agi videantur.

DIMINVTIO.

DIminutio eſt, quum aliquid eſſe in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut induſtria dicimus egregium: quod, ne qua ſignificetur arrogans oſtentatio, diminuitur & attenuatur oratione, hoc modo: nam hoc pro meo iure, iudices, dico, me labore & induſtria curaſſe, ut diſciplinam militarem non in poſtremis tenerem. Hic ſi quis dixiſſet, ut optime tenerem, tametſi vere dixiſſet, tamen arrogans viſus eſſet: nunc & ad invidiam vitandam, & ad laudem comparandam ſatis dictum eſt. Item, utrum igitur avaritiae cauſa, aut egeſtatis acceſsit ad maleficium? Avaritiae? At largiſsimus fuit in amicos, quod ſignum liberalitatis eſt, quae contraria avaritiae eſt. Egeſtatis? At huic quidem pater, nolo nimium dicere, non tenuiſsimum patrimonium reliquit. Hic quoque vitatum eſt, ne magnum aut maximum diceretur. Tale eſt illud D. Cypriani in epiſtola ad Donatum: ceterum quale, vel quantum eſt, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenii anguſta mediocritas, tenues admodum fruges parit: nulliſque ad copiam fecundi ceſpitis culminibus ingraveſcit. Aggrediar tamen facultate, qua valeo.

COMMORATIO.

COmmoratio eſt, quum in loco firmiſsimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodem ſaepius reditur. Hac uti maxime convenit, & id eſt oratoris boni maxime proprium. Non enim datur auditori poteſtas, animum de re firmiſsima dimovendi. Huic exemplum ſatis idoneum ſubiici non potuit: propterea quod hic locus non eſt a tota cauſa ſeparatus, ſicut membrum aliquod, ſed tamquam ſanguis perfuſus eſt per totum corpus orationis. Hac uti Eccleſiaſtes poterit, quum rem aliquam ad ſalutem maxime neceſſariam auditorum animis infigere cupit:

ut,

ut, hac repetita admonitione, rei dignitatem & neceſsitatem intelligant. Sic D. Hieronymus, in epiſtola ad Demetriadem, finem, inquit, iungo principio, nec ſemel monuiſſe contentus. Ama ſcientiam ſcripturarum, & amabit te ſapientia. Hoc autem Apoſtolum Timotheo praecepiſſe arbitror, quum dixit: (a) inſta opportune & importune.

FREQVENTATIO.

FInitima eſt huic figurae frequentatio, quum res, in tota cauſa diſperſae, coguntur unum in locum, quo gravior, aut acrior, aut criminoſior ratio ſit, hoc pacto: a quo tandem abeſt iſte vitio? Quid eſt, iudices, cur velitis eum liberare? Suae pudicitiae proditor eſt, inſidiator alienae, cupidus, intemperans, petulans: ſuperbus, impius in parentes; ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in aequos & pares faſtidioſus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis. Hac figura in fine concionis uti poſſumus, praeſertim in ſuaſoriis concionibus, quum argumenta omnia, quae in tota concione tractavimus, breviter in unum colligimus: ut velut agmine facto in animos auditorum irrumpamus, & illis vim quodam modo inferamus. Qua de re in ſuperiori libro diximus, quum de ſuaſorii generis partibus ageremus. Neque in fine ſolum concionis, ſed in eius etiam partibus, ubi longa aliqua diſputatio vel argumentatio abſoluta fuerit, auditorum memoriam refricare hac eadem figura licebit, non ſolum ut meminerint, ſed etiam ut vi argumentorum aſſentiant & convincantur. Quo in genere non graviora modo, ſed etiam leviora argumenta colligenda ſunt. Feriunt enim, ſi non ut fulmine, certe ut grandine. Eadem etiam figura ad amplificandum aptiſsima eſt; quando omnia, quae rem augent, in unum ſimul cogit. Qua de re ſuperius dictum eſt.

BRE-

(a) 2. *Timoth.* 4.

BREVITAS.

BRevitas eſt res, ipſis tantummodo verbis neceſſariis expedita, hoc modo: Lemnum praeteriens cepit: inde Tarſi praeſidium reliquit: poſt urbem in Bithynia ſuſtulit: inde pulſus in Helleſpontum, ſtatim potitur Abydo. Item: modo conſul, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis. Tum proficiſcitur in Aſiam: deinde exſul & hoſtis eſt dictus: poſt imperator, poſtremo conſul factus eſt. Habet paucis comprehenſa brevitas multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda ſaepe eſt, quum tempus non ſinit commorari, aut res non longa eget narratione. Qua de cauſa D. Ambroſius ſuper Lucam multa brevi comprehendit his verbis: (a) non ſolum ab angelis & paſtoribus, ſed etiam a ſenioribus & iuſtis generatio Domini accepit teſtimonium. Omnis aetas, & uterque ſexus, eventuumque miracula fidem adſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Eliſabeth prophetat, magus adorat, utero clauſus Ioannes exſultat, vidua confitetur, iuſtus ſpectat. Hic videre licet, quam multa paucis comprehenſa ſint: quia hoc ſatis erat ad id explicandum, quod ad rem propoſitam pertinebat. Quae quidem oratio quo brevior, eo ad augendum potentior eſt.

CAP. XIV.

SECVNDA CLASSIS DE FIGVRIS ſententiarum, quae maiorem vim & acrimoniam habent.

SEquitur deinde altera claſsis de figuris ſententiarum: quae quamvis ad omnia valeant, praecipue tamen ad commovendos auditorum animos adiuvant. Maiorem quippe vim & acrimoniam, quam praecedentes, habent. Incipiamus igitur ab ea, quae magis in uſu eſt, & ad plura valet, nempe interrogatione. Simplex eſt, ſic rogare: (b) ma-

(a) *In cap. 2.* (b) *Matth. 19.*

giſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Figuratum autem, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi. Cyprianus de ſimplic. praelat. quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum letale ſerpentum, & cruenta ſaevitia beſtiarum? Idem ibidem: quam vero unitatem ſervat, quam dilectionem cuſtodit aut cogitat, qui diſcordiae furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, caritatem diſsipat, ſacramentum profanat?

Idem ſermone de livore: quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiae caecitate omne pacis & caritatis lumen exſtinguis? quid ad Zabulum, cui renuntiaveras, iterum redis? quid Caïn ſimilis exſiſtis? Nec minus urget illa eiuſdem interrogatio in ſermone de lapſis: putas ne tu Dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium praeponere maluiſti, cuius templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Sed haec exempla indignationi, ſequens vero, quod modo ſubiiciam, admirationi & optationi magis ſervit: quale eſt illud eiuſdem ſermone de eleemoſyna. Quae illa erit, fratres cariſsimi, operantium gloria, quam grandis & ſumma laetitia, quum populum ſuum Dominus coeperit recenſere, & meritis atque operibus noſtris praemia promiſſa retribuere, pro terrenis caeleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna praeſtare? Inſtat etiam illa eiuſdem interrogatio in ſermone de mortalitate. Quis non peregre conſtitutus properet in patriam regredi? Quis non ad ſuos navigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes noſtros patriarchas habere iam coepimus: quid non properamus & curimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſsimus?

Ceterum quum praecipua orationis virtus exſiſtat, ut non iners & languida, ſed viva & mobilis ſit; hoc quidem cum aliae figurae, tum praecipue interrogatio praeſtat,

ſtat, quae neque dicentem neque audientem langueſcere aut dormitare ſinit. Semper enim acrior ſententia eſt, quae interrogatione, quam quae ſimplici oratione, effertur. Quae eo eſt ornatior, quo & longior: qualis eſt pulcherrima illa Apoſtoli inductio, variis exemplis & ſimilibus decurrens: (a) quis, inquit, militat ſtipendiis ſuis umquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem haec dico? an & lex haec non dicit? Et cetera, quae hac eadem figura ſequuntur, atque etiam praecedunt.

OCCVPATIO.

OCcupatio eſt, quum dicimus, nos praeterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. Cyprianus in epiſtola ad Cornelium: (b) taceo ... de fraudibus Eccleſiae factis: coniurationes, & adulteria, & varia delictorum genera praetereo. Vnum illud, in quo non mea, nec hominum, ſed Dei cauſa eſt, de eorum facinore non puto eſſe reticendum: quod a primo ſtatim perſequutionis die, quum recentia delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſae lapſorum atque ora maderent, communicare cum lapſis, & poenitentiae agendae intercedere non deſtiterunt. Haec utilis eſt exornatio, ſi aut rem, quam non pertineat aliis oſtendere, occulte admonuiſſe prodeſt, aut ſi longum eſt, aut ignobile, aut planum, aut non poteſt fieri, aut facile poteſt reprehendi.

PRAECISIO.

PRaeciſio eſt, quum dictis quibuſdam, reliquum, quod coeptum eſt dici, relinquitur in audientium iudicium, ſic: mihi tecum praecertatio non eſt, ideo quod pop. Rom. me: nolo dicere, ne cui forte arrogans videar: te autem ſaepe ignominia dignum putavit. Item, tu iſta nunc

(a) 1. *Corinth.* 9. (b) *Epiſt. lib. I. ep. 3. paullo poſt medium.*

audes dicere, qui nuper alienae domui? Non auſim dicere, ne, quum te digna dixero, me indignum quidpiam dixiſſe videar. Hic atrocior tacita ſuſpicio, quam diſerta explanatio, facta eſt. Hac etiam figura vates regius vehemens animi ſui deſiderium ſignificavit, quum ait: (a) anima mea turbata eſt valde, ſed tu, Domine, uſquequo? Idemque alibi: (b) & calix meus inebrians. Nam quod deinde ſequitur, quam praeclarus eſt, ab interprete explicationis gratia adiectum eſſe, oſtendit Hieronymi verſio ex Hebraeo, quae hac particula caret. Hac eadem figura Eccleſiaſtes in rebus indigniſsimis, quas ad ſummum dicendo perduxit, praeciſa oratione interiecta, & in ipſo calore dicendi paullulum moratus, ingentem animi affectum ſignificat: quem quia loquendo explicare non poteſt, ſilentio indicat. Quae res quum in veritate ex animo fit, vehementer auditores commovere ſolet. D. Hieronymus, in epiſtolis, quorumdam hominum vitia tecte caſtigans, neque quid ſignificare vellet aperte explicans, hac brevi praeciſione ſententiam clauſit: prudens mecum lector intelligis, quid taceam, & quid magis tacendo loquar.

EMPHASIS.

VIcina huic emphaſis, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per ſe ipſa declarant. Eius duae ſunt ſpecies: altera, quae plus ſignificat, quam dicit; altera, quae etiam id, quod non dicit. Prior eſt apud Ciceronem pro Ligario ad Caeſarem: (c) *quod* ſi in ... tanta... fortuna bonitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines: intelligo quid loquar. Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines, qui illum ad crudelitatem impellerent. Eſt in vulgaribus quoque verbis emphaſis: virum eſſe oportet: &, homo eſt ille. Et in ſacris litteris: homo natus de muliere: emphaſim habet *mulier*: quam explicuit D. Gregorius dicens: (d) quid in ſe habet fortitudinis, qui natus eſt de infirmitate? Item

Apo-

(a) *Pſalm.6.* (b) *Pſalm.22.* (c) *Cap.5.* (d) *Lib.11.in Iob, cap.26.*

Apoſtolus ad Timoth. (a) haec, inquit, meditare: in his eſto. Vnico verbo, eſto, multa comprehendit: ſtudium, curam, amorem, occupationem, diligentiam, & ſimilia. Omnes quippe animae vires, & omne tempus, ceteris omnibus praetermiſsis, in hoc uno eſſe voluit. Emphaſis enim eſt, quum dicimus: hiſce oculis vidi, ne nega. Item quum Abſalom famulis praecepit, ut Amnon fratrem interficerent, adieciſſetque: (b) nolite timere: ego ſum, qui praecipio vobis: verbum illud, ego, emphaſim habet. Sic etiam quum Salvator ait: (c) ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, &c. Item quum Apoſtolus ait: (d) det ei Dominus miſericordiam invenire in die illa. Pronomen, illa, non vulgarem emphaſim habet. Eſt autem non infrequens in litteris ſanctis haec figura: in qua excutienda non minima pars theologicae eruditionis poſita eſt.

DVBITATIO.

DVbitatio eſt, quum quaerere videtur orator, utrum de duobus potius, an quid de pluribus potiſsimum dicat, hoc modo: obfuit eo tempore plurimum reipub. conſulum ſive ſtultitiam, ſive malitiam dicere oportet, ſive utrumque. Item: tu iſtud auſus es dicere homo omnium mortalium? Quaero quonam te digno, ac moribus tuis appellem nomine. Item D. Hieronymus: noſtri doctores ita eloquentia ſuos refarcierunt libros, ut neſcias quid in eis prius mirari debeas, an eruditionem ſaeculi, an ſcientiam ſcripturarum. Item Cyprianus ad Chriſti confeſſorem Celerinum, eumdemque parentibus martyribus natum, ſic ait: (e) non invenio, quem beatiorem magis dicam, utrumne illos de poſteritate tam clara, an hunc de origine glorioſa. Item Euſebius Emiſſenus homilia de nativitate Domini: quid primum mirer, quidve poſtremum? Quod ſine conceptu eſt collata fecunditas, an quod per partum magis

(a) 1. *Timoth.* 4. (b) 2. *Reg.* 13. (c) *Matth.* 5. (d) 2. *Timoth.* 1. (e) *Non ad Celerinum, ſed de Celerino loquitur, epiſt. IIII.* 5.

eſt glorificata virginitas? Sed non mirum, ſi ita peperit: talis erat ille, cui nupſerat. Item D. Gregorius de Magdalena: (a) quid igitur miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam, an trahentem? Dicam melius, trahentem, & ſuſcipientem. Hac etiam figura quaerimus, quid dicamus, aut unde incipiamus. Cyprianus ſermone de lapſis: quid hoc loco faciam, dilectiſsimi fratres, fluctuans vario mentis aeſtu? Quid, aut quo modo dicam? Lacrimis magis, quam verbis, opus eſt. Item Bernardus ad Eugenium: unde iam initium ſumam? Libet ab occupationibus tuis.

CONCESSIO.

CONceſsio eſt, quum aliquid ei, adverſus quem diſputamus, concedimus: quod ita tamen concedimus, ut cauſae atque propoſito noſtro non obſit, aut certe nihil illum iuvet, quod in ſententiae ſuae defenſionem adducit. Sic honoris cupidis concedimus, ut honorem quidem appetant, ſed verum tamen & ſolidum, non futilem & inanem. Sic etiam, ut opes quaerant, non tamen fragiles & caducas, ſed in aeternum permanſuras. Sic voluptates atque delitias permittimus, non turpes & carnales, quae hominem in pecudem transforment, ſed ſpirituales & caſtas, quibus angeli perfruuntur. Sic Eucherius epiſcopus ad verae vitae amorem hortatur his verbis: cupiditas vitae nos delectatione rei praeſentis innexuit. Ergo amantes vitam, hortamur ad vitam. Vera ratio eſt perſuadendi, quum id poſcitur, ut impetremus a vobis, quod concupiſcitis. Pro vita, quam diligitis, legatione apud vos fungimur; & hanc, quam omnes exiguam amatis, inſinuamus, ut ametis aeternam. Quam quo pacto amemus, neſcio, ſi non hanc, quam amamus, eſſe quam ſpecioſiſsimam cupimus. Itaque iſtud, quod, quum arctum ſit, placet, placeat magis, ſi poteſt eſſe perpetuum: & quod apud nos pretium habet, quum finem habeat,

ſit

(a) *Homil.* 33. *in Evang.*

ſit nobis ſupra pretium, ſi poteſt eſſe ſine fine. Hactenus ille.

Item Cyprianus de habitu virginum: locupletem te eſſe dicis & divitem, & utendum putas iis, quae poſsidere te Deus voluit: utere, ſed ad res ſalutares: utere, ſed ad bonas artes: utere ad illa, quae Deus praecepit, quae Dominus oſtendit. Divitem te eſſe ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonia tua Deo foenera, Chriſtum ciba. Poſſeſsiones tibi, ſed caeleſtes magi compara, ubi fructus tuos iuges ac perennes, & ab omni contactu iniuriae ſaecularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando caedat, nec Sol urat, nec pluvia corrumpat. Idem etiam, ſermone de mortal. ſic ait: mori plane timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennae ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſsione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quem de ſaeculo recedentem perennibus poenis aeterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus eius & gemitus interim differatur.

ADHORTATIO.

ADhortatio, ut ipſum nomen indicat, eſt, quum plura monita atque praecepta ſub uno orationis impetu timul coniungimus, quibus aliquid fieri, aut non fieri adhortamur. Eſt autem huiuſmodi adhortatio velut concluſio, qua poſt alicuius rei probationem aut amplificationem uti ſolemus: qua etiam, ut ante diximus, commodiſsime in epilogo ſuaſoriae concionis utimur. Talis eſt illa Domini adhortatio apud Iſaïam, poſt Iſraëlitici populi ſcelera amplificata: qua praeteritis & futuris malis remedium adhibet, his verbis: (a) lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere. Quaerite iudicium, ſubvenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite

(a) *Iſai.* 1.

viduam: & venite & arguite me, dicit Dominus.

Cyprianus contra Demetrianum ſic argumentationem claudit: reſpicite itaque, dum tempus eſt, ad veram & aeternam ſalutem: & quia iam mundi finis in proximo eſt, ad Dominum Deum mentes veſtras Dei timore convertite. Deum vel ſero quaerite: quia iam pridem per prophetam praemonens hortatur,& dicit: (a)quaerite Dominum,& vivet anima veſtra. Credite illi, qui omnino non fallit: credite illi, qui haec omnia futura praedixit: credite illi, qui credentibus praemium vitae aeternae dabit: credite illi, qui incredulis aeterna ſupplicia gehennae ardoribus irrogabit. Idem ſermone de livore, poſt invidiae morbum amplificatum, ſic orationem claudit: his meditationibus corroborandus eſt animus, fratres dilectiſsimi. Eiuſmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus. Sit in manibus divina lectio, in ſenſibus dominica cogitatio. Oratio iugis omnino non ceſſet. Salutaris operatio perſeveret. Spiritualibus ſemper actibus occupemur: ut quotieſcumque inimicus acceſſerit, quoties adire tentaverit, & clauſum adverſus ſe pectus inveniat, & armatum. Idemque paullo poſt: venena fellis evome, diſcordiarum virus exclude, purgetur mens, quam ſempiternus livor infecerat. Amaritudo omnis, quae intus inſederat, Chriſti dulcedine leniatur. Ama eos, quos ante oderas: dilige illos, quibus iniuſtis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, ſi potes: ſi ſectari non potes,collaetare certe & gratulare melioribus: fac te illis adunata dilectione participem, fac te conſortio caritatis & fraternitatis vinculo coheredem. Dimittentur tibi debita, quando tu ipſe dimiſeris. Accipientur ſacrificia tua,quum pacificus ad Deum veneris.

SVSTENTATIO.

SVſtentatio eſt figura, qua diu ſuſpenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexſpectatum ſubiungitur, ut in Verrem Cicero.(b)Quid deinde?quid cenſetis?furtum fortaſſe, an praedam aliquam? Deinde quum diu ſuſpen-

(a) *Pſalm.* 68. (b) *Act. VII.*

pendiſſet iudicum animos, ſubiecit quod multo eſſet improbius. Aliquando etiam quum exſpectationem alicuius rei graviſsimae orator concitaverit, ad aliquid, quod leve ſit, aut nullo modo criminoſum, deſcendit. Hac ratione Phariſaeorum levitatem amplificare poſſumus, qui diſcipulos Domini accuſandos putabant, quod illotis manibus manducarent. Prius enim Scribarum & Phariſaeorum dignitatem exponimus, atque eorum praecipue, qui ab Ieroſolymis veniebant: qui omnes uno conſilio Dominum adeuntes, ampla oratione accuſationem ſuam illi propoſuerunt. (a) Quare, inquiunt, diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Magnum certe & intolerandum crimen, quum ſcriptum ſit: (b) ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Sed videamus, quale ſit hoc crimen, qualis iſta tranſgreſsio. Non, inquiunt, lavant manus ſuas, quum panem manducant. Quid hac accuſatione magis ridiculum? Hoccine erat crimen illud, quod tanti doctores communi conſilio exprobrare volebant? Hac igitur figura duplici in loco utimur, vel quum leve aliquid hoc modo inferre, vel ſummum aliquid & inexſpectatum amplificare volumus: ut quod natura ſua magnum eſt, praemiſſa hac praeparatione maius appareat.

IRONIA.

IRonia, quum uno verbo, aut brevi oratione fit, tropus eſt, in quo pro rei nomine proprio aliud ſubiicitur. Quale eſt illud: (c)

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,
Tuque puerque tuus.

Quum vero longa oratione fit, inter ſententiarum ornamenta numeratur. Sic Cyprianus adverſus Pupianum, qui ipſum Cyprianum negabat epiſcopum eſſe, acri ironia hoc modo invehitur: (d) niſi, inquit, apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, etiam ſex annis

nec

(a) *Matth.* 15. (b) *Prov.* 22. (c) *Virg. AEn. lib. IIII. v.* 93. (d) *Epiſt. lib. IIII. ep.* 9.

nec fraternitas habuerit epiſcopum, nec plebs praepoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem? Subveniat Pupianus, & ſententiam dicat: iudicium Dei & Chriſti in apertum referat, ne tantus fidelium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt, ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur. Et mox: annue aliquando, & dignare pronuntiare de nobis, & epiſcopatum noſtrum cognitionis tuae auctoritate firmare: ut Deus & Chriſtus eius agere tibi gratias poſsint, quod per te antiſtes & rector altari eorum pariter & plebi reſtitutus ſit. Et paullo poſt: quare in hunc ſcrupulum non inciderunt martyres, Spiritu ſancto pleni, ... qui ad Cyprianum epiſcopum litteras de carcere direxerunt? ... Niſi ſi omnes iſti communicantes mecum, ſecundum quod ſcripſiſti, polluto ore noſtro polluti ſunt, & ſi ſpem vitae aeternae communicationis noſtrae contagione perdiderunt. Pupianus ſolus integer, inviolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo atque in regno caelorum ſolus habitabit. Hactenus ille.

Eſt etiam in ſacris litteris huius figurae uſus. Sic Ieremias: (a) confortamini, inquit, filii Beniamin, in medio Ieruſalem, & in Thecua clangite buccina, & ſuper Bethacarem levate vexillum: quia malum viſum eſt ab aquilone, & contritio magna. Idem alibi eadem ironia utitur, quum, denuntiato Chaldaeorum adventu, ſubdit: (b) praeparate ſcutum & clypeum, & procedite ad bellum, iungite equos, & aſcendite equites, ſtate in galeis, polite lanceas, induite vos loricas. Quid igitur vidi ipſos pavidos, & terga vertentes, &c. Tale eſt & illud Salomonis: (c) laetare ergo, iuvenis, in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuventutis tuae, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Simile eſt & illud ex Apocalypſi: (d) qui nocet, noceat adhuc: & quī in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.

EXEM-

(a) *Cap.* 6. (b) *Cap.* 46. (c) *Eccleſ.* 11. (d) *Cap.* 22.

EXEMPLVM.

EXemplum, & ſimile, conſtat eſſe argumentandi loca, quae tamen inter figuras numerantur, propterea quod magnum orationi ornamentum afferant; praeſertim quum illuſtrandae aut ornandae rei gratia adhibentur. Quia vero duo haec orationis ornamenta magnam inter ſe affinitatem habent, atque eodem fere modo tractantur, de utriſque hoc in loco dicemus.

Exemplum eſt, alicuius facti aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propoſitio. Id ſumitur iiſdem de cauſis, quibus ſimilitudo. Rem ornatiorem facit, quum nullius rei niſi dignitatis cauſa ſumitur. Apertiorem, quum id, quod ſit obſcurius, dilucidum reddit. Probabiliorem, quum magis veriſimilem facit. Ante oculos ponit, quum exprimit omnia perſpicue, ut res dicta prope manu tentari poſsit. Movent autem potiſsimum animos antiqua, illuſtria, noſtratia, domeſtica, ideſt, ſuam quaeque gentem, ſuum quaeque genus. Aut longe minora, ut mulieris, pueri, ſervi, barbari. Adhibentur autem exempla, aut ut ſimilia, aut diſsimilia, aut contraria. Rurſum aut ut maiora, aut ut minora, aut ut paria. Diſsimilitudo, & inaequalitas conſtat genere, modo, tempore, loco, ceteriſque ferme circumſtantiis, quas ſupra recenſuimus.

Augentur autem & creſcunt exempla tractandi ratione. Licebit enim vel ab auctoris laude, vel gentis, unde ducitur exemplum, hoc modo praefari. Si quis e Plutarcho citabit exemplum, praefari licebit, eum auctorem unum omnium eſſe graviſsimum, quippe qui ſummam philoſophiae ſcientiam cum hiſtoricorum eloquentia coniunxerit, ut in eo non ſolum hiſtoriae fidem, verum etiam auctoritatem & iudicium doctiſsimi philoſophi ſpectare oporteat. Item ſi quis M. Attilii Reguli, ad hoſtem redeuntis, exemplum velit adducere, poterit ad hunc praeloqui modum: inter tam multa Romanae virtutis inſignia decora, nullum umquam facinus pulchrius exſtitit, aut etiam laudatius, quem M. Attilii. Huiuſmodi commendatiunculas

licet affigere, vel longiores, vel breviores, utcumque locus poſtulabit. Affigendae ſunt autem, quae maxime ſint ad id, quod agitur, appoſitae. Veluti ſi in exemplo deſiderabitur fides, auctor a gravitate fideque commendetur. Si pium videri voles, quod adfers, ſumatur a pietate commendatio. Atque item de ceteris.

Quod vero ad tractandi rationem attinet, aliquando quidem breviter, ubi res notior eſt, quam ut longam orationem deſideret: quale eſt illud D. Hieronymi: memento Daretis, & Entelli. Aliquando vero longius, quemadmodum idem Hieronymus, ad ſapientiae ſtudium commendandum, peregrinationem Pythagorae, Platonis, & Apollonii in praefatione, quam univerſae ſcripturae divinae praeponunt, tractat. Quum autem exempla imparia aut diſsimilia ſunt, poterunt latius per collationem & contentionem dilatari: quum videlicet oſtendimus, id, quod adducimus, pro ratione & commoditate cauſae noſtrae eſſe ſimile, diſsimile, contrarium, par, maius, aut minus. Atque ea collatio ſumitur ex omnibus rerum & perſonarum circumſtantiis. Adiuvatur & orationis artificio, quum verbis aut figuris accommodis alia conſulto elevantur, alia attolluntur. Porro qui copioſiſsime volet exemplum tractare, is ſingulis ſimilitudinis aut diſsimilitudinis partes explicabit, atque inter ſe per contentionem comparabit. Exſtat locupletiſsimum huius rei exemplum apud D. Bernardum in vita Malachiae epiſcopi: quo vitam eius & mores cum aliorum epiſcoporum moribus confert. Sed quoniam exornatio haec frequenter in dicendo ſolet incidere, alia eius exempla, ex ſecundo de copia rerum commentario deſumta, ſubiiciemus.

Si quis hortetur aliquem, ut filii mortem moderate ferat, & ex ethnicorum exemplis mulierem aliquam obiiciat, quae plurium liberorum mortem fortiter tulerit, poſt enarratam rem, ita comparabit: quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non feres? Illa cum ſexu vicit & affectum matris: tu ab altero ſuperaberis? Illa complurium liberorum iacturam animo infracto pertulit: tu unum exſtin-

ſtinctum inconſolabiliter defles? Adde, quod illius filii ſimul omnes naufragio perierunt, morte videlicet ingloria: tuus in bello fortiter pugnans occubuit. Illa non habebat, cui filios honeſte imputaret: tu filium impendiſti patriae. Illi vere torique perierunt: tuus immortali gloria ſemper victurus eſt. Illa naturae gratias agebat, quod aliquando tot liberorum mater fuiſſet: tu tantum meminiſti, te optimum perdidiſſe filium. Illa non habebat ſartiendae orbitatis ſpem, quippe maior, quam ut uterum iam ferre poſſet: tibi & uxor fecunda, & aetas etiam num integra valenſque. Ergo quod barbara muliercula praeſtitit, tu vir Romanus non praeſtabis? Quod contemnere potuit litterarum imperita, hoc te, tot praeditum litteris, tantum philoſophiae profeſſorem, frangit? Denique quam animi fortitudinem praeſtitit pagana, hanc homo chriſtianus non exhibebit? Illa credens, poſt rogum nihil ſupereſſe, tamen luctum indecorum exiſtimavit: tu doctus, eos demum vere vivere, qui cum laude exceſſerint ex hac vita, ſine fine clamas, tibi periiſſe filium? Et quod illa aequo animo reddidit naturae, tu Deo repetenti non reddes? Illa fortiter paruit neceſsitati: tu Deo repugnas?

Ex hac forma ſatis, opinor, apparet, quibus modis oporteat exempla conferre: quamquam in veris cauſis, quoniam maior eſt circumſtantiarum copia, facilius eſt invenire varias contentiones. Illud obiter admonendum, in huiuſmodi contentionibus ſententias & epiphonemata non inconcinne poſſe admiſceri. Velut in hoc eodem exemplo poſt primam collationem: quod mulier imbecilla potuit, tu vir barbatus non poteris? Subiici poterant ſententiae: natura diſcrevit ſexum, tu non diſcernis animum. A muliere nemo fortitudinis laudem exſpectat: vir, niſi fortis ſit animo, nec viri nomine cenſetur. Vir utrumque ſignificat, & ſexum robuſtiorem, & animum infractum. Turpiter barbam geſtat, qui pectoris robore ſuperatur a femina. Item poſt illam contentionem: illa non habebat, cui filium imputaret honeſte, tu filium impendiſti patriae; poterant affigi ſententiae ferme huiuſmodi: magnum

gnum doloris ſolatium eſt, habere, cui honeſte poſsis imputare fortunam. Vt nulli iuſtius, ita nec glorioſius impenditur filius, quam patriae. Rurſum poſt illam: illi vere totique perierunt, tuus immortali gloria ſemper victurus eſt; adiici poterant huiuſmodi: longe felicius honeſta fama, quam hoc communi ſpiritu, vivitur. Corporis vita & calamitoſa eſt, & omnino, ut nihil accidat, brevis: denique cum pecudibus communis: illa clara ſempiternaque homines in divorum conſortium referens. Ad eumdem modum ſingulis collationum partibus ſententiae ſubiici poterant. Sed haec obiter indicaſſe ſat fuerit.

Haec exempla, quae propoſuimus, ſatis aperte huius figurae naturam explicant: quae docendi gratia paullo fuere longiora. Ceterum quum res agitur ſeria, brevius aut longius, pro ratione earum rerum, de quibus dicimus, tractanda eſt. Superius autem admonuimus, D. Chryſoſtomum, ubi aliqua ſimilitudine aut exemplo id, quod dicit, ad ſummum uſque perduxerit, operam dare, ut aliquarum circumſtantiarum comparatione rem, quam amplificat, maiorem adhuc faciat.

DE CONTENTIONE DEMONSTRATIVA, QVAE ad exemplorum ordinem ſpectat.

EST & generalis quaedam contentio, praeſertim in genere demonſtrativo: quoties laudandi vituperandive gratia perſonam cum perſona conferimus. Sic igitur Gregorius Nazianzenus, in homilia de laudibus Baſilii, eum cum omnibus laudatiſsimis veteris & novi teſtamenti patribus, nempe cum Noë, Abraham, Iacob, Ioſeph, Moſe, Davide, Ioanne Baptiſta, Petro, Paullo, ceteriſque patribus comparat, eorumque virtutes vel ſectatum fuiſſe, vel aequaſſe ait. Sic enim incipit: (a) age igitur, quum multi viri, tum in veteri, tum in novo teſtamento, pietate illuſtres exſtiterint, legislatores, militares duces, pro-

(a) *Circa finem.*

prophetae, doctores, fortes usque ad sanguinis profusionem, cum illis Basilium nostrum conferamus; ut hinc, qualis fuerit, perspiciamus. Est & rerum comparatio: quod genus est, si quis historiam laudans, eam cum laudatissimis quibusque disciplinis comparet. Atque in his duplex ratio. Aut enim alterius partis bona elevas, alterius amplificas: aut alterius partis sic exaggeras laudes, ut praeferas tamen, aut certe aeques, quod laudandum susceperis. In vituperando attollis vitia, sed sic, ut sceleſtiorem tamen, aut aeque sceleſtum ostendas, quem insectaris.

In his illud observandum, ut quae adhibentur ad comparationem, sint tum confessa, tum insignia. Vt si bonum principem conferas cum Traiano, aut Antonino philosopho: contra malum cum Nerone, aut Caligula. Rursus si hominem maledicum conferas quum Zoilo, & Hyperbolo: aut hominem obtrectatorem quum Dipsade, aut Regulo: hominem voluptatibus effeminatum, quum Sardanapalo. Crescet autem comparationis copia, si, quemadmodum modo attigi, ad unius hominis aut rei laudem, seu vituperationem, complures aut personae aut res adhibeantur. Veluti si quis principem laudaturus, e multis excerpat, quod in unoquoque maxime excelluit. E Iulio Caesare, felicitatem, animique praesentiam: ex Alexandro, magnanimitatem: ex Augusto, urbanitatem: ex Tito seniore, civilitatem: ex Traiano, sanctimoniam, & clementiam: ex Antonino, gloriae contemtum: atque item de ceteris. Similiter & in vituperando. Praeterea si iracundiam detestans, conferas eam cum enormi temulentia, cum phrenesi, cum morbo comitiali, aut daemoniaco. Aut si linguae virulentiam damnans, componas eam cum halitu hominis pestilentia laborantis, cum afflatu serpentum, quibus est venenum praesentissimum, cum exhalatione quorumdam lacuum, aut specuum subitam mortem afferente.

SIMILITVDO.

SImilitudo eſt (a) oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ea ſumitur aut ornandi cauſa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Quo modo igitur quattuor de cauſis ſumitur, ita quattuor modis dicitur; per contrarium, per negationem, per brevitatem, per collationem. Ad unamquamque ſumendae cauſam ſimilitudinis accommodabimus ſingulos modos pronuntiandi. Ornandi cauſa ſumitur per diſsimile, ſive contrarium, hoc modo: non enim ut domus nova, aut navis, aut etiam veſtis melior vetuſtate vel ſenio confecta eſt; ita melior novus amicus, quam antiquus: illius enim adhuc dubia & parum firma fides eſt, haec ut aurum, quod igne exploratur, multis experimentis & longa die probata & perſpecta eſt. Dicitur autem ſimile a contrario, quod negemus, rem, quam adducimus, ei ſimilem eſſe, quam probamus.

Per negationem vero ducitur ſimile probandi cauſa, hoc modo: neque equus indomitus, quamvis natura bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas utilitates, quae deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quamvis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt pervenire. Hoc probabilius factum eſt, quod magis eſt veriſimile, non poſſe virtutem ſine doctrina comparari: quoniam nec equus quidem indomitus idoneus poſsit eſſe. Ergo ſumtum eſt probandi cauſa. Dictum eſt autem per negationem: id enim perſpicuum eſt de primo ſimilitudinis verbo.

Apertius dicendi cauſa ſimilitudo ducitur per brevitatem, hoc modo: in amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita convenit exerceri, ut, quoad neceſſe ſit, pervenire poſsis: ſed ut productus ſtudio & viribus ultra facile procurras. Nam hoc ſimile eſt, ut apertius intelligatur, mala ratione facere, qui reprehendant eos, qui verbi cauſa poſt mortem amici liberos eius cuſtodiant: propterea quod in curſore tantum velocitatis eſſe oporteat,

(a) *Ad Herem. lib. IIII. cap.* 45.

teat, ut efferatur uſque ad finem: in amico tantùm benevolentiae ſtudium, ut ultra quam amicus ſentire poſsit, procurrat amicitiae ſtudio. Dictum autem ſimile eſt per brevitatem: non enim,ita ut in ceteris rebus, res ab re ſeparata eſt, ſed utraeque res coniuncte & confuſſe pronuntiatae.

Ante oculos ponendi negotii cauſa ſumetur ſimilitudo per collationem, ſic: uti citharoedus, quum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum clamyde purpurea, coloribus variis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore diſtinctam; ipſe praeterea forma & ſpecie ſit & ſtatura appoſita ad dignitatem; ſi, quum magnam populo commoverit his rebus exſpectationem, repente ſilentio facto, vocem emittat acerbiſsimam cum turpiſsimo corporis motu; quo melius ornatus, & magis fuerit exſpectatus, eo magis deriſus & contemtus eiicitur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunae muneribus & naturae commodis omnibus abundabit, ſi virtutis, & artium, quae virtutis magiſtrae ſunt, egebit; quo magis ceteris rebus erit copioſus & illuſtris & exſpectatus, eo vehementius deriſus & contemtus ex omni conventu bonorum eiicietur. Hoc ſimile, exornatione utriuſque rei, & alterius inſcitia artificii, alterius ſtultitia ſimili ratione collata, ſub adſpectum rem omnem ſubiecit. Dictum autem eſt per collationem, propterea quod propoſita ſimilitudine paria ſunt relata omnia.

In ſimilibus obſervare oportebit diligenter, ut quum rem afferamus ſimilem, cuius rei cauſa ſimilitudinem attulerimus, verba quoque ad ſimilitudinem habeamus accommodata. Id eſt huiuſmodi: ita ut hirundines aeſtivo tempore praeſto ſunt, frigore pulſae recedunt: ex eadem ſimilitudine nunc per translationem verba ſumimus; ita falſi amici ſereno vitae tempore praeſto ſunt, ſimul atque hiemem fortunae viderint, devolant omnes. Sed inventio ſimilium facilis erit, ſi quis ſibi omnes res animatas & inanimatas, mutas & loquentes, feras & manſuetas, terreſtres & caeleſtes & maritimas, artificio, caſu, natura compara-

tas, uſitatas atque inuſitatas, frequenter ante oculos poſſuerit, & ex his aliquam venari ſimilitudinem ſtuduerit, qua aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poſsit. Non enim, res tota toti rei, neceſſe eſt, ſimilis ſit; ſed ad ipſum, ad quod conferetur, ſimilitudinem habeat oportet. Exſtat libellus quidam, ex D. Chryſoſtomi aliorumque auctorum ſimilitudinibus collectus, qui ſtudioſum concionatorem ad ſimilium inventionem non mediocriter iuvare poterit. Meminerit tamen, nequaquam ex rebus ſordidis & humilibus, neque item ex obſcuris, nimiumque ſubtilibus, & ad intelligendum difficilibus ſimilitudines ſumendas eſſe: illud, quia orationem ſordidant, hoc vero, quia obſcurant; & in id praecipue nocent, ad quod ſimilitudo reperta eſt.

Ceterum quod ad tractandi rationem attinet, quemadmodum exempla, ſicut paullo ante diximus, quandoque brevius, quandoque latius tractantur, ſic etiam ſimilitudines. Nam aliquando uno verbo notantur: ut, non intelligis tibi vertenda vela. Aut, deſine lavare laterem. Vt iam vel allegoria ſit, vel metaphora. Aliquando latius explicatur, & apertius accommodatur. Quod facit Cicero pro Murena: (a) quod ſi e portu ſolventibus, ii, qui iam in portum ex alto invehuntur, praedicere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & praedonum, & locorum; quod natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem me animo eſſe oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas... tempeſtates eſſe ſubeundas?

Hanc Ciceronis parabolam ſic imitatur D. Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum: & ego non integris rate vel mercibus moneo: ſed quaſi nuper naufragio eiectus in litus, timida navigaturis voce denuntio. In illo aeſtu charybdis luxuriae ſalutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiae perpetranda naufragia ſcyllaeum renidens libido blanditur. Hic barbarum litus, hic diabolus pyrata cum ſociis

(a) *Cap.* 2.

ciis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum aequor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite. Crux antennae figatur in frontibus. Tranquillitas illa tempestas est. Hic si quis singula pericula, quae a vitiis, aut improbis, aut aliunde, bonis moribus imminent, velit conferre cum singulis, quae nautis vitae discrimen adducere solent; deinde per comparationem maius aut minus, item dissimile aut contrarium ostendere; postremo sententiis & epiphonematis, ut inciderint, exornare: nimirum copiosissime dilatabit orationem.

Velut in hoc exemplo: ut quo pretiosior est res, hoc & diligentius solet adservari, & impendi circumspectius: ita temporis, quo nihil est pretiosius, summa habenda est ratio, ne quid effluat sine fructu. Etenim si curatores dari solent his, qui gemmas & aurum temere profundunt: quae tandem erit insania, tempus, pulcherrimum immortalis Dei munus, aut otio, aut inhonestis studiis turpiter consumere? Quid enim perdis, quum tempus perdis, nisi vitam? At vita quid esse potest carius? Et quum una gemmula perit, iacturam vocas: quum totus perit dies, hoc est, bona vitae portio, iacturam non vocas? Praesertim quum illa perdita aliunde possint recuperari, temporis irreparabilis sit iactura. Praeterea illa quum tibi pereunt, aliis plerumque lucro sunt: at temporis dispendium in nullius transit compendium. Nullum est damnum, ex quo non aliquis emolumentum aliquod sentiat, praeter damnum temporis.

Adde his, quod illarum opum iactura saepe saluti fuit. Nam divitiae plerumque vitiorum materiam ministrant, ita ut praestet temere profudisse, quam attente adservasse. Quanto cuiusque rei usus honestior, tanto turpior profusio. At nihil pulchrius, nihil praeclarius, quam bonas horas bene collocare. Illas ut quam maxime serves, saepenumero tamen vel casus eripit, vel homo tollit, ut iactura

te calamitoſum dumtaxat, non etiam turpem reddat. At temporis amiſsio, quoniam non niſi noſtro vitio contingit, non miſeros ſolum, verum & infames reddit. Peſsimum infamiae genus, quoties culpa in nullum conferri poteſt, praeterquam in eum, qui patitur malum. Illis fundos aut aedes mercari poteras, hoc, praeter alia animi ornamenta, parare poteras immortalitatem. Nulla eſt tam brevis vitae portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poſsit. Poſtremo de illis male inſumtis, patri fortaſsis rationem redditurus eras: de horis male tranſactis, Deo. Sed ſatis eſt indicaſſe, in quantam amplitudinem dilatari poſsit collatio, ſi quis ad eum modum ſingulas circumſtantias velit componere atque ornare.

Hoc exemplum docendi gratia paullo fuſius tractatum eſt. At quum in veritate dicemus, contrahenda eſt oratio: ſic tamen ut quum a minori vel maiori ducitur ſimilitudo, imparitas haec maxime conſpicua fiat, quo vis argumenti maior appareat. Sumamus exempli gratia hoc a minori argumentum. Si dominus de ſervo delinquente ſupplicium ſumit, cur non Deus ab homine peccante idem faciat? Qui igitur artis expers eſt, hoc ſane modo dixiſſet. Vide autem, quanto aliter dixerit Cyprianus contra Demetrianum: ipſe, inquit, de ſervo tuo exigis ſervitium, & homo hominem parere tibi & obedire compellis, & quum ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio una moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, aequali iure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtmodum recedatur; tamen niſi pro arbitrio tibi ſerviatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus, & nimius ſervitutis exactor, flagellis verberas, fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias: & non agnoſcis Dominum Deum tuum, quum ſic exerceas ipſe dominatum? In hoc exemplo D. Cyprianus ſumma tum copia, tum brevitate uſus eſt. Summa enim brevitas eſt, quod ait: non agnoſcis Dominum tuum, quum ſic exerceas ipſe dominatum? Totam enim collationem, quam, divinae maieſtatis amplitudine expoſita, latius tra-

ctare poterat, breviſsimo ſermone comprehendit. Similitudo vero, quae praeceſsit, copioſe admodum explicata eſt.

Quamvis autem exemplorum & ſimilium uſus ad faciendam fidem non vulgariter adiuvent; tamen hoc praecipue praeſtant, quum per inductionem adhibentur. Quo in genere plurimus eſt Socrates Platonicus. Exemplum per inductionem adhibetur hoc modo: dic mihi, quem tandem fructum attulit Demoſtheni inſignis eloquentia? Nempe, praeter alia incommoda, infeliciſsimum & miſerandum exitum. Quid autem praemii Tib. & C. Gracchis attulit? Nimirum caedem & miſeram, nec ſatis honeſtam. Quid porro illi tantopere laudato Antonio? Certe & hic latronum ſicis crudeliſsime confoſſus eſt. Age Ciceroni, eloquentiae parenti, quam mercedem attulit? Non ne mortem & acerbam, & miſerandam? I nunc, & tot vigiliis ad ſummam eloquentiae laudem enitere, quae praeſtantiſsimis quibuſque viris ſemper exitio fuit.

Simile adhibetur per inductionem, hoc modo: de navigando num melius diſputabit nauta, quam medicus? An non medicus rectius de medendi ratione diſſeret, quam pictor? Num pictor de colorum & umbrarum ac linearum ratione melius dicet, quam ſutor? Num auriga de ratione moderandi currum melius, quam nauta? Ea ſi plurima conferantur, faciunt ut omnino probabile videatur, unumquemque melius de ea re dicturum eſſe, quam melius norit. Sic D. Cyprianus de ſimplicitate praelatorum: Eccleſia una eſt, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quo modo Solis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium Solis a corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praeciſus areſcet. Sic & Eccleſia, Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis

ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fecunditatis ſucceſsibus copioſa.

Haec de tropis & figuris, cum verborum, tum ſententiarum, dicta ſint: in quorum numero, nominibus, vi & natura explicanda vehementer diſſentiunt auctores, tum Graeci, tum Latini: neque modo inter ſe ipſi diſcordant, ſed, quod magis mirandum eſt, Cicero ipſe ſibi diſcrepat, qui ut ornatiſsimus in dicendo fuit, ſic in praecipiendo diligentiſsimus. Nam, ut Quinctilianus animadvertit, (a) multas figuras in tertio de oratore libro poſuit, quas in oratore, poſtea ſcripto, quoniam de illis mentionem non fecit, videtur repudiaſſe. Quaſdam poſuit inter verborum exornationes, quae ſententiarum ſunt lumina. Quaedam ne figurae quidem ſunt. Iam numerus illarum nec fuit olim certus, nec vero umquam eſſe poterit. Cuius rei duas ego reperio cauſas: altera eſt, quod novae figurae, Quinctiliano etiam auctore, fieri adhuc & excogitari poſſunt: altera, quod tam verborum, quam ſententiarum figurae non in formas, ſeu ſpecies, quarum certus eſt numerus, ſed in partes, & quaſi membra, quorum infinitior eſt numerus, diſtribuuntur.

CAP. XV.

DE VSV FIGVRARVM.

NON multum prodeſt, figurarum nomina & definitiones tenuiſſe, niſi earum uſum ſciamus: hoc eſt, quonam modo, & quibus potiſsimum in rebus illis uti debeamus. Hoc autem ex tribus praecipuis concionatoris officiis colligendum eſt. Ad eum enim ſpectat, auditores primum docere, deinde delectare, ac poſtremo flectere. Et quidem docere neceſsitatis, delectare ſuavitatis, flectere victoriae eſſe dicunt. Ex figuris igitur quaedam ad docendum, quaedam ad delectandum, quaedam ad flectendum, & affectus

(a) *Inſtit. lib. VIII. cap.* 3.

ctus concitandos potiſsimum ſerviunt. Et quidem ad docendum figurae, quas inter argumentorum formas poſuimus, praecipue pertinent: quibus adiungi poteſt ratiocinatio, quam modo inter ſententiarum figuras numeravimus; & non nullae aliae, quae vel ad probandum, vel ad expoſitionem rerum conducunt. Inter quas merito collocatur tranſitio, quae, quum exponat, quid dictum ſit, quidque deinceps ſit dicendum, hac diſtinctione lucem orationi affert. Quae tamen interdum vim habet & acrimoniam, ut paullo ante admonuimus. Ad delectandum vero pertinent cum aliae figurae, tum praecipue quas inter figuras verborum in ſecunda & tertia claſſe collocavimus: quae ſimilium & contrariorum proportione conſtant.

Ex aliis vero figuris, ſive verborum, ſive ſententiarum, pleraeque vim & acrimoniam habere videntur. Sunt tamen aliae, & quidem non paucae, quae ad haec omnia valent. Conſtat enim, rerum, perſonarum, locorum ac temporum deſcriptiones, modo ad delectandum, modo vero ad amplificandum, interdum etiam ad docendum valere. Idem de contrariis diximus, quae, praeter venuſtatem & gratiam, vim quoque & acrimoniam in loco habent. Iam vero exempla, ac praecipue ſimilitudines, quid non efficiunt? Quid enim rebus obſcuris maiorem lucem, quam ſimilitudines praeferunt? Quid non eiſdem amplificamus, aut oculis ſpectandum ſubiicimus? Quantum praeterea iucunditatis commode inducta ſimilitudo affert? Studioſi autem concionatoris erit, non ſolum numerum, & nomina, & naturam figurarum noſſe, ſed multo magis earum uſum: ut, quibus figuris in quavis concionis parte utendum ſit, probe teneat. Quum autem eadem ſententia pluribus figuris explicari, & quodam modo veſtiri poſsit; periti artificis erit, eam potiſsimum figuram deligere, quae ſenſum animi ſui apertiſsime, breviſsime, atque appoſitiſsime explicet. Hactenus de figuris: deinceps de compoſitione dicendum eſt.

CAP. XVI.

DE COMPOSITIONE.

§. I.

POST tropos & figuras, de quibus hactenus dictum est, sequitur tertia pars ornatus, quae est in compositione, & in apta ac numerosa verborum collocatione, posita. Quam D. Augustinus non prorsus concionatori negligendam esse ait, licet ea in sacris litteris minus inveniatur. Eius haec verba sunt: (a) sane hunc eloquutionis ornatum, qui numerosis fit clausulis, deesse fatendum est auctoribus nostris. Quod utrum per interpretes factum sit, an, quod magis arbitror, consulto illi haec plausibilia devitaverint, affirmare non audeo, quoniam me fateor ignorare. Illud tamen scio, quod si quisquam, huius numerositatis peritus, illorum clausulas eorumdem numerorum lege componat, quod facillime fit, mutatis quibusdam verbis, quae tantumdem significatione valent, vel mutato eorum, quae invenerit, ordine, nihil eorum, quae velut magna in scholis grammaticorum aut rethorum didicit, illis divinis viris defuisse cognoscet. Et multa reperiet eloquutionis genera tanti decoris, quae quidem & in nostra, sed maxime in sua lingua, decora sunt: quorum nullum in eis, quibus isti inflantur, litteris invenitur.

Sed cavendum est, ne divinis gravibusque sententiis, dum addicitur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, ubi numerus iste plenissime discitur, usque adeo non defuit prophetis nostris, ut vir doctissimus Hieronymus quorumdam etiam metra commemoret in Hebraea dumtaxat lingua. Cuius veritatem ut servaret in verbis, haec inde non transtulit. Ego autem, ut de sensu meo loquar, qui mihi, quam aliis, & quam aliorum est utique notior, sicut in meo eloquio, quantum modeste fieri arbitror, non praetermitto istos numeros clausularum: ita in au-

(a) *Lib. IIII. de doctr. christ. cap.* 20.

auctoribus noſtris hoc mihi plus placent, quod ibi eos rariſsime invenio. Haec ille. Cuius exemplum ſequi poterit, quiſquis aliquid eleganter ſcribere parat. Habet enim hoc praecipue oratio numeroſa, & verba apte collocata, ut ſine oſtentatione & ſplendore verborum legentis animum adeo latenter oblectet, ut idem ipſe, qui delectatur, rationem reddere nequeat, cur tantopere delectetur. Eadem etiam compoſitio non mediocriter intellectum adiuvat, quando orationis membra ita ſibi reſpondent & connexa ſunt, ut planiſsimum orationis ſenſum efficiant. Verum haec ad ſcribendum.

Ad concionandum autem, ut ii etiam, qui hac de re ſcripſere, fatentur, huiuſmodi numeroſa compoſitio minus neceſſaria eſt: ideoque, praetermiſsis praeceptis, quae multa rhetores hac de re tradunt, quam breviſsime hanc partem abſolvam. Cornificius ergo de ea ſic ait: (a) compoſitio eſt verborum conſtructio, quae facit omnes partes orationis aequaliter perpolitas. Et conſervabitur, ſi fugiemus crebras vocalium concurſiones, quae vaſtam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc eſt: vaccae aeneae amoeniſsimae impendebant. Et ſi vitabimus eiuſdem litterae nimiam aſsiduitatem, cui vitio verſus hic erit exemplo: (b)

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tuliſti.

Et hic eiuſdem poëtae:

Quidquam quiſquam cuiquam, quod conveniat, neget.

Et ſi eiuſdem verbi aſsiduitatem nimiam fugiemus. Ea eſt huiuſmodi: nam cuius rationis oratio non exſtet, ei rationi ratio non eſt fidem habere. Et ſi non utemur continenter ſimiliter cadentibus verbis, hoc modo: flentes, plorantes, lacrimantes, obteſtantes. Et ſi verborum traiectionem vitabimus, niſi quae erit concinna. Quo in vitio eſt Lucilius aſsiduus, ut hoc eſt in priori libro:

Has res ad te ſcriptas, Luci, miſimus, AEli.

Tale eſt illud Politiani: legit epiſtolam mihi nuper ad ſe tuam Picus hic Mirandula noſter. Quae quidem compoſitio puerilis ab omni gravitate aliena videtur. Item fugere opor-

ter

(a) *Ad Heren. lib. IIII. cap. 12.* (b) *Ennius apud Iſid. etym. lib. I. cap. 35.*

tet longam verborum continuationem, quae & auditoris aures, & oratoris ſpiritum laedit.

§. II.

DE DVPLICI SPECIE COMPOSITIONIS.

QVisquis autem compoſitionis rationem exactius aſſequi cupit, quae res ad artificioſe ſcribendum neceſſaria eſt, ſcire debet, aliam eſſe compoſitionem ſimplicem, aliam duplicem, ſive compoſitam. Simplex eſt a numerorum lege, & periodis longioribus ſoluta; qua in familiari ſermone utimur, quaque pleriſque in locis ſacrae litterae utuntur. Simplex enim veritas ſermonis ſimplicitate gaudet. Tale eſt illud Geneſeos: (a) in principio creavit Deus caelum, & teram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebrae erant ſuper faciem abyſsi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux, &c. Compoſita vero, ſive duplex oratio ab hac ſimplicitate recedens, flexuoſa & longiori utitur oratione: cuius partes & velut membra explicare neceſſe eſt, ut eis cognitis, totum, quod ex illis conſtat, facilius agnoſcatur. Vt autem in manu ipſam quidem manum velut totum quoddam conſideramus, deinde digitum ut eius membrum, ac poſtremo digiti articulos, qui ſunt variae huius membri partes; ita in oratione ſimiles partes attendimus. Sunt enim velut articuli ea, quae Graecicommata, Latini caeſa vel inciſa vocant. Sunt deinde veluti membra, quae Graeci cola, Latini vero eodem nomine membra vocant. Sunt rurſus periodi, quas Latini tum ambitum, tum comprehenſionem, tum circumſcriptionem appellant, quae pluribus membris conſtant.

Quia vero D. Auguſtinus, 4. de doctrina chriſtiana, horum omnium exempla ex 2. ad Corinth. epiſtola ponit; nos, quod ille fecit, in hac parte ſequemur. Caeſa igitur vel inciſa ſunt quattuor illa: (b) in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Et illa item quattuordecim: in itineribus ſaepe periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere

(a) *Geneſ.* 1. (b) 2. *Corinth.* 11. *v.* 23.

re, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, & cetera, quae ſequuntur. Membra vero ſunt duo haec:(a)quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Periodus vero bimembris eſt apud eumdem: (b)libenter ſuffertis inſipientes,quum ſitis ipſi ſapientes. Trimembris vero,quum ait: (c)in quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego, & cetera. Quadrimembris autem, quum ait: (d)quod loquor,non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in ſtultitia, in hac ſubſtantia gloriae. Poteſt autem periodus plura etiam membra habere. Quum vero membra conſtant pari fere numero ſyllabarum, iſocolon, ſive compar, appellari, inter figuras verborum diximus.

D. autem Auguſtinus, poſteaquam totius loci huius divinam eloquentiam miris laudibus extuliſſet, & dicendi flores adnotaſſet; potiſsimum commendat compoſitionis varietatem, quod modo caeſis, modo membris, modo periodis haec oratio fluat; quodque decentiſsime, modo poſt caeſa, modo poſt membra, periodos intermiſceat: quibus orationis compoſitio variatur, & taedium legentis excutitur, & reſpirandi ſpatium datur. Quod Apoſtolum non humana quidem arte, ſed divina ſapientia, quam ſequitur & comitatur, vera eloquentia feciſſe conſtat. Sapientiae enim eſt, recte & pro dignitate res concipere & ponderare: eloquentiae vero, quod ita conceperis, ſimili oratione proferre. Hanc vero ſapientiam ſequi ſolet vera & naturalis eloquentia, qua viri ſancti maxime utuntur, qui ſine arte artificioſiſsimi & eloquentes ſunt. Recte enim ille, (e)ſi rem, inquit, potenter conceperis, nec facundia dicendi, nec ſermo te deſeret ullus. Eadem varietate utitur D. Ambroſius, quum in libro de virgin. beatiſsimae Virginis virtutes laudeſque percenſet. Eadem enim venuſtate & gratia, modo poſt inciſa, modo poſt membra, periodos bimembres aut trimembres interponit, ut ſequenti capite videbimus.

Sciendum eſt etiam, duplicem eſſe periodi formam: alteram, qua vel caeſim, vel membratim dicimus: alteram vero, qua circumſcripte dicimus, qua videlicet ab initio

ad

(a) *Verſ.*29. (b) *Verſ.*19. (c) *Verſ.*21. (d) *Verſ.*17. (e) *Horat.in art.poetica.*

ad finem uſque quaſi in orbem incluſa fertur oratio, quae niſi in fine ſententiam non abſolvit. Itaque imaginem refert vel perfecti ſyllogiſmi, vel interdum etiam propoſitionis hypotheticae; idque modo brevius, modo longius, ut inſtituta ratio vel argumentatio poſtulaverit. Hoc autem praeter ea exempla, quae modo ex Paulli epiſtola propoſita ſunt, ſequentia quoque declarant. Membratim quidem fluit illa D.Cypriani periodus contra Demetrianum: (a) mundus... occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur, non hieme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt, non frugibus aeſtate torrendis ſolita flagrantia eſt, nec ſic verna de temperie ſata laeta ſunt, nec adeo arboreis fetibus autumna fecunda ſunt. Minus de effoſsis & fatigatis montibus eruuntur marmorum cruſtae, minus argenti & auri opes ſuggerunt exhauſta iam metalla, & pauperes venae. Caeſim vero perfluit, quae deinde ſequitur: breviatur in dies ſingulos... ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. Huiuſmodi autem periodi, quamvis poſsint bimembres eſſe, maiorem tamen gratiamhabent, quum vel trimembres ſunt, vel etiam quadrimembres: quorum illa Graeci tricola, haec vero tetracola vocant. Tricola, ut illud: (b) vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Tetracola, ut illud Cypriani: quemadmodum ſponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita ſe caeleſtis Spiritus infundit. Singula quoque verba caeſam orationem faciunt, ut illud: acrimonia, voce, vultu inimicos perterruiſti.

Periodus vero, qua circumſcripte dicimus, in qua, ut Ariſtoteles ait, principio ita reſpondet finis, ut plenum ſenſum faciat, abſolvatque ſententiam, quandoque brevior, quandoque longior eſt. Brevis eſt illa:

..... *Finem qui quaeris amori:*
Cedit amor rebus: res age, tutus eris.

Hic perfectus ſyllogiſimus eſt. Brevior item & illa D. Cypriani in ſermone de lapſis: nemo, fratres, nemo hanc con-

(a) *Sub initium.* (b) *Cic. pro Cluent. cap. VI.*

confeſſorum gloriam mutilet: quum dies negantibus praeſtitutus exceſsit, quiſquis profeſſus intra diem non eſt, chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. Paullo vero longior illa eiuſdem, qua ſermonem de patientia exorditur hoc modo: de patientia loquuturus, fratres dilectiſsimi, & utilitates eius & commoda praedicaturus, unde potius incipiam, quam quod nunc quoque ad audientiam veſtram patientiam video eſſe neceſſariam; ut nec hoc ipſum, quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſsitis. Paullo etiam longior eſt ea, quae deinde ſequitur, periodus: nec invenio, fratres dilectiſsimi, inter ceteras caeleſtis diſciplinae vias, quibus ad conſequenda divinitus praemia ſpei ac fidei noſtrae ſecta dirigitur, quid magis ſit vel utilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quam ut qui praeceptis dominicis obſequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota obſervatione tueamur. Serviunt autem huiuſmodi periodis frequenter coniunctiones adverſativae, quamquam, etſi, licet: & item comparativae, ut, ſicut, ita, &c. quia ubi hae particulae intercedunt, ſenſus orationis niſi in eius fine non abſolvitur: quod huius periodi, quo circumſcripte dicimus, proprium eſt. Participia quoque in hoc praecipue reperta ſunt, ut plura verba ſub una circumductione continerentur. Participia namque verborum vim habent.

His tribus compoſitionis ſpeciebus, caeſis, membris, & periodis, additur quarta, Graecis peribole dicta, id eſt, circuitus, aut flexus. Ea vero eſt oratio ſinuoſa & prolixior, conſtans fere pluribus membris, quam vulgata periodus: & hic flexus proprius eſt hiſtoricorum, in quo plura membra & commata ſua ſerie ita ſe aequaliter conſequuntur, ut tamen perſpicua ſit continuata & longior conſtructio. Differt autem peribole a periodo non ita multum, niſi quod in periodo tam rerum, quam orationis conſequentia & cohaerentia requiritur bene coagmentata. Sed peribole eſt hiſtorica & longior conſtructio orationis, non ita nexis inter ſe antecedentibus & conſequentibus, quin facillime poſsit in ſua membra reſolvi. Cavere tamen oportet, ne il-

la ſit iuſto prolixior, & obſcuritatem vel taedium pariat. Summatim ergo, periodus eſt circuitus orationis oratoriae, peribole eſt circuitus orationis hiſtoricae.

Talis eſt illa Sanazarii de partu virginis oratio, qua ſanctorum patrum in limbo reſidentium laetitiam de filii Dei conceptu grandi orationis figura, de qua mox dicemus, his verbis deſcribit: (a)

Interea maneis deſcendit fama ſub imos,
Pallenteiſque domos veris rumoribus implet:
Optatum adventare diem, quo triſtia linquant
Tartara, & e victis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemque ululatum, & non laetabile murmur
Tergemini canis, adverſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque trifauci
Horrendum, ſtimulante fame, ſub nocte profunda
Perſonat, & morſu venienteis adpetit umbras.

Huic vero quintam addunt conſtructionis ſpeciem, quam Ariſtoteles *camptera*, Latini tractum vel nexum vocant, aut productionem ſpiritus: quae re vera idem eſt, quod peribole, quam definivimus; niſi quod eſt paullo longior, & quo longior, eo elegantior, dum tamen, ut diximus, modum in hac longitudine ſervet. Exemplo erit illud D. Cypriani in epiſtola ad Cornelium, quod etiam grandi figura profluit. Tuetur enim vir ſanctus epiſcopatus ſui dignitatem adverſus haereticos, qui illum epiſcopum eſſe negabant, eiuſque vitae & electioni detrahebant. Sic igitur ait: ceterum dico, dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus, quando epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi univerſi ſuffragio deligitur, quando Dei auxilio in perſequutione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi ſuae in epiſcopatu quadriennio iam probatus, in quiete ſerviens diſciplinae, in tempeſtate proſcriptus, applicato & adiuncto epiſcopatus ſui nomine, toties ad leonem petitus, in circo, in amphiteatro dominicae donationis teſtimonio honoratus: quum talis frater a quibuſdam deſperatis, & perditis, & extra Eccleſiam conſti-

(a) *Av.* 225.

ſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet: non ſcilicet Chriſtus, qui ſacerdotes aut conſtituit, aut protegit: ſed ille, qui Chriſti adverſarius, & Eccleſiae eius inimicus, ob hoc Eccleſiae praepoſitum ſua infeſtatione perſequitur, ut gubernatore ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiae naufragia graſſetur. Hactenus ille.

His igitur quinque conſtructionis ſpeciebus pro rerum natura, quas tractamus, utendum erit. Quo fiet, ut ſatietatem varietate vitemus, & rebus ipſis ſuum velut habitum & colorem tribuamus. Periti autem artificis erit, animadvertere, quando his vel illis uti debeat: neque enim huius rei plena obſervatio praeceptis artis comprehendi poteſt. Illud tamen conſtat, caeſa & membra non raro inſtandi gratia adhiberi, praeſertim quum plura ſint. Periodis tum in argumentando, tum in exordiis frequentius utimur, quamquam hic longioribus, illic vero brevioribus. Peribole ad hiſtoriae narrationes & amplificationes accommodatior eſt. Quamquam haec omnia & in aliis quoque orationis partibus non inepte locum habent. Hactenus de compoſitione, quam tertiam ornatus partem eſſe diximus, qua leniter, iucunde & aperte decurrit oratio. Deinceps de quarta eloquutionis virtute, nempe apte dicendi, agendum eſt.

CAP. XVII.

DE APTE DICENDO.

HActenus de tribus eloquutionis virtutibus, nempè latinitate, perſpicuitate, & ornatu, dictum eſt. De ornatu quoque, qui eſt tum in verbis, tum in figuris, tum etiam in compoſitione, diſſeruimus. Sequitur apte dicendi ratio, quae & ipſa ornate dicendi pars maxima eſt. Cicero autem paucis totam eius naturam atque rationem breviter complexus eſt, quum II. de oratore libro ait, non omni cauſae, neque auditori, neque perſonae, nec tempori congruere orationis unum genus. His igitur rebus apte atque appoſite orationem accommodare, id demum apte dicere eſt.

eſt. Quod quidem, ut Fabius ait, non in eloquutione tantum, ſed in inventione quoque ſpectatur. Nam ſi tantum habent etiam verba momentum, quanto res ipſae maius?

Quattuor ſunt autem, quae praecipue obſervare debet, qui apte dicere cupit, nempe ut oratio tum dicenti, tum audienti, tum rebus ipſis, quas tractat, & officio, quod gerit, maxime conveniat. Hoc eſt, quis dicat, cui dicat, qua de re dicat, & quid potiſsimum dicendo conſequi velit. In his igitur omnibus, quid maxime deceat, conſiderandum eſt: quod quidem non ad artis praecepta ſolum, ſed ad prudentiae iudicium, quod ſicut rerum omnium gerendarum, ita dicendarum moderator eſt, praecipue pertinet. Inter eius autem officia & maximum & difficilimum eſt, quid ubique deceat, intelligere. Hinc enim decorum illud naſcitur, quod omnibus in rebus captandum eſt. Ceterum quid in his quattuor rebus, quas ſupra memoravimus, maxime deceat, ordine tractandum eſt.

Primum igitur, eius, qui dicit, ratio habenda eſt. Non enim eadem oratio omnibus convenit: aliter enim iuniores, aliter ſenes, aliter principes viri, aliter humiles atque privati, aliter inferioris ordinis miniſtri, aliter epiſcopi & ſuperiores praelati dicere debent. His enim multa licent, quae aliis non perinde licent. Quod quidem in D. Chryſoſtomi concionibus apparet: in quarum exordiis auditorum benevolentiam captat, ſuam erga illos caritatem, paternamque curam & providentiam declarans, illorumque interdum laudes & virtutes praedicans. Hoc autem, quod epiſcopum & virum ſanctiſsimum maxime decebat, alios non perinde deceret. Quum enim, iuxta Fabii ſententiam, (a) rhetorica ſit prudentia dicendi, praecipuum autem prudentiae opus ſit, intelligere, quid maxime in agendo deceat; non minus eiuſdem erit, videre, quid unamquamque perſonam deceat. Vnde quum Socrati Lyſias orationem, quam in eius defenſionem compoſuerat, recitaſſet: praeclara, inquit, & elegans oratio eſt, ſed non convenit Socrati. Erat enim forenſi inſtituto aptior, quam philoſopho,

(a) *Inſtit. lib. II. cap.* 20.

pho, ac tali philoſopho. (a) Rurſus Lyſiae percontanti, cur, ſi bonam iudicaret orationem, putaret ſibi non convenire: nonne, inquit, fieri poteſt, ut amictus aut calceus elegans ſit ac pulcher, qui tamen alicui non conveniat? Ad omnes tamen in univerſum pertinet, ne quid dicant, quo auditores offendi iure poſsint: hoc eſt, ut nihil inſolenter, nihil arroganter, nihil inverecunde, nihil petulanter, nihil contumelioſe, nihil ſordide, nihil ſcurriliter, nihil abiecte, nihil licenter, aut alias indecenter & vitioſe dicant; ſed totus orationis character modeſtiam, humanitatem, caritatem, & communis ſalutis ſtudium, & ardens verae pietatis deſiderium prae ſe ferat. Haec autem modeſtia cum aliis concionis partibus, tum exordiis maxime convenit, quae ſubmiſſa eſſe debent & verecunda.

Has in dicendo virtutes cum alii patres, tum praecipue D. Cyprianus ubique praefert: nihil enim in eo reperies, quod ad oſtentationem ingenii videri poſsit adſcitum. Talis ubique ſermonis habitus eſt, ut loqui ſentias vere chriſtianum epiſcopum, & martyrio deſtinatum. Pectus ardet evangelica pietate, & pectori reſpondet oratio: loquitur diſerta, ſed magis fortia, quam diſerta. Hunc autem pietatis & dilectionis affectum declarat, quum in concionibus ſuis hanc vocem caritatis pleniſsimam frequentiſsime repetit: fratres dilectiſsimi. Sed hunc tamen affectum in ſermone de lapſis praecipue declaravit; cuius haec verba ſunt: quid hoc loco faciam, dilectiſsimi fratres, fluctuans vario mentis aeſtu? Quid, aut quo modo dicam? Lacrimis magis, quam verbis, opus eſt ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri plaga deflenda eſt, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamentanda iactura eſt. Quis enim ſic durus ac ferreus, quis ſic fraternae caritatis oblitus, qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere praevaleat? nec erumpente ſtatim fletu prius gemitus ſuos lacrimis, quam voce, depromat? Quis igitur in his verbis pectus apoſtolicum, & caritatem pluſquam paternam non agnoſcat? Hanc igitur mentem, hunc de tot pereun-

(a) *Quinct. lib. XI. cap. 1. Cic. de orat. lib. I. cap. 10. Val. Max. lib. VI. tit. 4.*

tium animarum interitu dolorem Eccleſiaſtes aliqua ſaltem ex parte imitari ſtudeat; &, quatenus cuique liceat, dicendo quoque manifeſtare curabit.

Verum hoc in loco non tam virtutem noſtram oſtendere, quam vitia fugere, ſtudeamus. Illud enim oſtentationi proximum eſt, ſi nimium ſit; in hoc autem nihil eſſe poteſt nimium. Inter cetera autem vitia, quae fugere debemus, omnem vitioſam ſui iactationem maxime fugiendam eſſe, monet Fabius, (a) quod ea audientibus afferat non faſtidium modo, ſed plerumque etiam odium. Habet enim mens noſtra natura ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris. Ideoque abiectos, aut ſubmittentes ſe, libenter allevamus, quia hoc facere tamquam maiores videmur: & quoties diſceſsit aemulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe maiorem, quam minores ceteros facere. Inde invident humiliores. Hoc vitium eſt eorum, qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere: rident ſuperiores, improbant boni. Hactenus ille.

Ab hoc autem vitio non admodum abhorrent, qui, oſtentandi ingenii & eruditionis gratia, difficiles quaeſtiones, quae nihil ad animarum ſalutem conducunt, in concionibus tractant. Hac enim ratione ſe ipſos oſtentare & venditare populo volunt. Nec minus peccant, qui, eloquentiae laudem affectantes, plurima verba idem ſignificantia temere congerunt: quibus apud imperitum populum & rudem concionem hac loquendi facultate, & volubilitate linguae, admirationem ſui faciant: quum tamen nihil eſſe poſſit magis eloquentiae contrarium. Haec ſunt igitur, & his ſimilia, quae qui dicit, partim cavere, partim obſervare debet.

Nec ſolum quis dicat, ſed apud quos etiam dicat, conſiderandum eſſe, ratio ipſa monet. Aliter enim apud ruſticos & agreſtes homines, aliter apud eruditos, aut nobiles, aut principes viros, & delicatas aures, dicendum eſt. Apud hos enim ſublimis & elaborata oratio, apud illos vero concitatior eſſe debet. Praeterea aliter apud monachos & virgi-

(a) *Inſtit. lib. XI. cap. 1.*

gines Deo dicatas, hominesque divinarum rerum studio & contemplationi addictos; aliter apud eos, qui sine ullo divini numinis metu in omnia scelera ruunt. Denique, pro varietate tum personarum, tum vitiorum, quae in populo grassantur, varie sermo tractandus est. Cuius rei monitorem habemus Apostolum, qui Timotheo praescripsit,(a) quid viros, quid uxores, quid seniores, quid iuniores, quid divites docere debeat. Quin & Ecclesiasticus huius rei nos admonuisse videtur, quum ait: (b) cum viro irreligioso tracta de sanctitate; & cum iniusto, de iustitia; & cum muliere, de his, quae aemulatur; cum timido, de bello; cum negotiatore, de traiectione; cum emtore, de venditione; cum viro livido, de gratiis agendis; cum impio, de pietate; cum inhonesto, de honestate; cum operario annuali, de consummatione anni; cum servo pigro, de multa operatione.

His igitur verbis non obscure Ecclesiasticus docet, pro auditorum varietate, sermonem esse varie accommodandum. Hoc autem parum advertunt, qui, quum neque episcopi, neque urbium praefecti, neque cognitores causarum in concione adsunt, adversus illos tonare ac fulminare solent; quum hoc non sit plebem erudire, sed indignationem atque odium, quod forte adversus illos conceperunt, irritare atque exsatiare: quod est a christiana pietate maxime alienum. Sed haec ad auditorum personam spectant.

Nunc, quid res ipsas, de quibus dicimus, & concionatoris officium maxime deceat, consideremus. Quia vero hoc non solum ad eloquendi, sed etiam ad inveniendi rationem pertinet; quid in hoc genere concionatorem deceat, in superiori libro, (c) quum de inveniendi ratione ageremus, non nulla observanda esse docuimus. Sed ne nihil hoc in loco dicamus; ille apte dicere, quod ad inveniendi rationem attinet, putandus est, qui pro ratione causae, quam tractat, commodissima, maximeque propria, & ad rem potissimum pertinentia dicit: neque ab ea, vel ad communia loca, vel ad peregrina, minimeque instituto suo deservientia, nisi

(a) 1. *Timoth.* 5. (b) *Eccli.* 37. (c) *Cap.* 2. *& seqq.*

quum hoc ratio argumenti exigit, digreditur. Qui enim ita vagatur, quamvis eleganter fortaſſe dicat, apte tamen minime dicit; quia non id agit, cuius gratia dicere inſtituit. In quo vitio ſunt concionatores ii, qui, inſtituti ſui obliti, quod in hominum moribus caſtigandis & inſtituendis poſitum eſt, aliena, minimeque huic propoſito ſervientia, tractant; miſeroſque auditores, qui huius rei gratia concliones adeunt, ieiunos vacuoſque domum dimittunt. Verum haec in rebus ipſis obſervatio, ut modo diximus, ad inventionis rationem pertinet. Quod autem eloquutionis genus rebus ipſis, pro ipſarum natura & varietate, conveniat, in quo huius operis difficultas praecipue ſita eſt, deinceps aperiendum eſt. Quae enim hactenus diximus, quamvis maxime neceſſaria, quivis concionator, vel mediocriter eruditus, facile advertere & praeſtare poterit; praeſertim ſi fraterna caritate praeditus ſit. Difficiliora ſunt, quae ſequuntur, & quae non tam a communi prudentia, quam ab artis praeceptionibus, maturo iudicio, & dicendi exercitatione pendent.

§. I.

CVIVS MODI ELOQVVTIONEM VARIA GENERA cauſarum, variaque concionatoris officia exigant.

SCiendum eſt igitur, non idem eloquutionis genus omnibus cauſis & argumentis convenire. Hoc enim perinde eſſet, atque idem indumenti genus diverſis perſonarum ſtatibus, nempe dominis & ſervis, viris & feminis, ſacratis Deo hominibus, & profanis, velle accommodare: quum conſtet, unicuique harum perſonarum ſuum peculiarem habitum & cultum, pro cuiuſque perſonae conditione & fortuna, convenire. Sic igitur aliud eloquutionis genus in parvis cauſis, aliud in mediocribus, aliud in gravibus deſideratur. Qua de re ſic Fabius ait: (a) parata... facultate ſcribendi, &c. proxima eſt cura, ut dicamus apte: quam virtutem quartam eloquutionis Cicero (b) demonſtrat, quaeque, meo quidem iu-

(a) *Quinctil. lib. XI. cap. 1.* (b) *De orat. lib. I. cap. 6.*

iudicio, maxime neceſſaria eſt. Nam quum ſit ornatus orationis varius & multiplex, conveniatque alius alii; niſi fuerit accommodatus rebus atque perſonis, non modo non illuſtrabit eam, ſed etiam deſtruet, & vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodeſt eſſe verba & latina, & ſignificantia, & nitida, ... niſi cum iis, in quae *auditorem* duci formarique volumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi parvis in cauſis, parvum limatumque grandibus, laetum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſubmiſſum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus; ut monilibus, & margaritis ac veſte longa, quae ſunt ornamenta feminarum, deformentur viri: nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari poteſt auguſtius, feminas deceat. Hactenus Fabius.

Idemque lib. VIII. de vario orationis ornatu differens, eamdem ferme ſententiam, aliquanto tamen apertius, explicat his verbis:(a) illud obſervatione dignius,quod hic ipſe honeſtus ornatus, pro materiae genere, debet eſſe variatus. Atque ut a prima diviſione ordiar, non idem demonſtrativis, & deliberativis, & iudicialibus cauſis conveniet. Namque illud genus oſtentationi compoſitum ſolam petit audientium voluptatem; ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit: ut qui non inſidietur, nec ad victoriam, ſed ad ſolum finem laudis & gloriae tendat. Quare quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compoſitione elaboratum, velut inſtitor quidam eloquentiae intuendum, & paene pertractandum dabit. Nam eventus ad ipſum, non ad cauſam, refertur. At ubi res agitur, & vera dimicatio eſt, ultimus fit famae locus. Praeterea non debet quiſquam, ubi maxima rerum momenta verſantur, de verbis eſſe ſollicitus. Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus ſit ornatus; ſed uti preſsior & ſeverior, & minus confeſſus, praecipue ad materiam accommodatus. Nam & ſuadendo, ſublimius aliquid ſenatus, concitatius populus; & in iudiciis publicae, capitaleſque cauſae poſcunt accura-

(a) *Quinctil. lib. VIII. cap. 3.*

tius dicendi genus. At privatum consilium, causasque paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, & dissimilis curae, magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis postulare? aut circa stillicidia affici? aut in mancipii redibitione sudare? Hactenus Fabius.

Cornificius autem haec omnia dicendi genera ad tria revocat his verbis: (a) tria sunt *dicendi* genera, quae nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. Gravis est, quae constat ex verborum gravium laevi & ornata constructione. Mediocris est, quae constat ex humiliore, neque tamen ex infima & pervulgatissima verborum dignitate. Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem. In gravi figura consumetur oratio, si quae cuiusque rei poterunt ornatissima verba reperiri, sive propria, sive translata, sive extranea, ad unamquamque rem accommodabuntur: & si graves sententiae, quae in amplificatione, & commiseratione tractantur, eligentur: & si exornationes sententiarum, aut verborum, quae gravitatem habebunt, ... adhibebuntur. In mediocri autem figura versabitur oratio, si haec, ut ante dixi, aliquantulum demiserimus, neque tamen ad infimum descenderimus. Attenuatum autem figurae genus, ad infimum & quotidianum sermonem demissum est.

Haec autem tria dicendi genera, quae rebus ipsis, quas dicimus, pro earum natura atque varietate, aptanda sunt, tribus etiam oratoris aut concionatoris officiis praecipue convenire, D. Augustinus ex Ciceronis sententia auctor est. Eius haec verba sunt: (b) dixit.. quidam eloquens, & verum dixit, (c) ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit: docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae. Horum trium, quod primo loco positum est, hoc est, docendi necessitas, in rebus est con-

(a) *Ad Heren. lib. IIII. cap.* 8. (b) *August. IIII. de doctrin. christian. cap.* 12. (c) *Cic. in orat. cap.* 8.

conſtituta, quas dicimus; reliqua duo, in modo quo dicimus... Sicut eſt autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuaviter loquaris; ita flectitur, ſi amet, quod polliceris; timeat, quod minaris; oderit, quod arguis; quod commendas, amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat: quum quid laetandum praedicas, gaudeat; miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis; fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt, ad commovendos animos auditorum; non, quid agendum ſit, ut ſciant, ſed ut agant, quod agendum eſſe iam ſciunt.

Si autem adhuc neſciunt, prius utique docendi ſunt, quam movendi. Et fortaſſe, rebus ipſis cognitis, ita movebuntur, ut eos non opus ſit maioribus eloquentiae viribus iam moveri. Quod tamen, quum opus eſt, faciendum eſt. Tunc autem opus eſt, quando, quum ſcierint, quod agendum ſit, non agunt: ac per hoc docere neceſsitatis eſt. Poſſunt enim homines & agere, & non agere, quod ſciunt. Quis autem dixerit, eos agere debere, quod neſciunt? Et ideo flectere neceſsitatis non eſt, quia non ſemper opus eſt, ſi tantum docenti, vel etiam delectanti, conſentit auditor. Ideo autem victoriae eſt flectere, quia fieri poteſt, ut & doceatur, & delectetur, & non aſſentiatur... (a) Quum vero id docetur, quod agendum eſt, & ideo docetur, ut agatur: fruſtra perſuadetur verum eſſe, quod dicitur; fruſtra placet modus ipſe, quo dicitur, ſi non ita dicitur, ut agatur. Oportet igitur, eloquentem eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolum docere, ut inſtruat...; verum etiam flectere, ut vincat. Hactenus Auguſtinus.

Ex his autem tribus concionatoris officiis colligit idem ſanctus, tria eſſe dicendi genera, ſive tres formas atque figuras, quae his tribus officiis reſpondeant. Sic enim eodem in loco ait: (b) quum vir eloquens tria praeſtare debeat, id eſt, ut doceat, ut delectet, ut flectat; ad eumdem etiam haec tria dicendi genera pertinere ait idem ipſe

(a) *Cap.* 13. (b) *Cap.* 17.

Romani auctor eloquii, quum itidem dixit: is igitur erit eloquens,qui poterit parva ſubmiſſe, modica temperate, magna granditer dicere:tamquam ſi adderet etiam illa tria,& ſic explicaret unam eamdemque ſententiam , dicens : is erit igitur eloquens , qui ut doceat , poterit parva ſubmiſſe ; ut delectet , modica temperate ; ut flectat , magna granditer dicere. Hactenus Auguſtinus. Ex cuius verbis aperte liquet , haec tria dicendi genera ad tria illa concionatoris officia , docendi , delectandi , atque movendi , pertinere.

§. II.

DE TRIBVS ELOQVENDI GENERIBVS, & quibus potiſsimum ornamentis unumquodque eorum conſtet.

QVum igitur & varietates cauſarum , de quibus ante diximus , & haec tria concionatoris officia , quae modo expoſuimus , variam eloquutionis rationem habitumque requirant ; de his modo , quot ſint , & quibus potiſsimum ornamentis conſtent , ex D. Auguſtini ſententia dicendum eſt. Sunt igitur , ut modo diximus , tria dicendi genera : unum ſubmiſſum , tenue , & acutum : alterum vehemens, copioſum, & grave: tertium eſt interiectum, & intermedium , & quaſi temperatum ; in quo nec eſt acumen ſuperioris generis , nec vis poſterioris.

In genere autem ſubmiſſo & acuto forma debet eſſe orationis , a vinculis numerorum libera & ſoluta ; non tamen vaga , ut ingredi libere , non ut licenter videatur errare. Diligentia etiam conglutinandi verba praetermittenda eſt , & omnis inſignis ornatus removendus. Ponentur tamen acutae crebraeque ſententiae : ornamenta verborum & ſententiarum cum tropis verecunde parceque adhibebuntur : tranſlationes tamen poterunt eſſe crebriores; nec tam crebrae tamen , quam in genere dicendi ampliſsimo. Genus temperatum uberius eſt aliquanto & robuſtius , quam hoc humile , de quo dictum eſt : ſubmiſsius autem , quam illud , de

quo

quo dicetur, ampliſsimum. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque eſt in hac oratione ſuavitatis. In idem cadunt lumina omnia & verborum & ſententiarum. Hoc in genere nervorum vel minimum, ſuavitatis autem eſt vel plurimum. At illud amplum, grave, copioſum, ornatum, vim profecto habet vel maximam: modo enim perfringit, modo irrepit in ſenſus, inſerit novas opiniones, evellit inſitas. Hic orator & defunctos excitabit, ut Appium Caecum. Apud hunc & patria ipſa exclamabit, aliquemque, ut apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in ſenatu, alloquetur. Hic & amplificationibus quoque eriget, & omne genus affectuum, pro rei natura, quam tractat, excutere & concitare poterit.

Ceterum, quod ad verborum delectum attinet, genus hoc dicendi amat verba ampla & magnifica, & in rebus atrocibus, ut ante diximus, auditu ipſo aſpera & veluti confragoſa. Ex tropis autem illuſtres metaphoras, epitheta, & hyperbolem, ſimileſque tropos. Huiuſmodi ſunt illa Prophetae verba: (a) inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes. Et: (b) ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſsima: devorabitque terram cum germine ſuo: & montium fundamenta comburet. Inebriare autem ſagittas ſanguine, & gladium devorare carnes, inſignes illae & audaces metaphorae ſunt, de quibus ante diximus: devorare autem terram, & montium fundamenta comburere, hyperbole eſſe videtur, quae ad rem augendam maxime accommodata eſt. Epitheta quoque, & adverbia epitaſim, hoc eſt, incrementum, ſignificantia ad hoc genus praecipue pertinent.

Haec omnia breviter indicat illa D. Cypriani oratio in epiſtola ad Cornelium, ubi ait: (c) Gentiles & Iudaei minantur, & haeretici atque omnes, quorum pectora & mentes diabolus obſidet, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur: non tamen idcirco cedendum eſt, quia minantur; aut ideo adverſarius & inimicus maior eſt Chriſto, quia tantum ſibi vindicat & aſſumit in ſaeculo. Ma-

(a) *Deut.* 32. (b) *Ibid.* (c) *Lib. I. epiſt.* 3.

Manere debet apud nos, frater, fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petrae obiacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Huius autem figurae in Herenniana rhetorica commodiſsimum exſtat exemplum: quod vel ſolum, quid hoc dicendi genus requirat, abſque ullis etiam artis praeceptionibus poterit indicare: ideoque quamvis ſententia, quae in eo tractatur, ab inſtituto noſtro non nihil diſsideat, libuit tamen hoc in loco adſcribere: quoniam facile cuique erit, ex ſimilibus ſimilia effingere atque perficere. Sic igitur ait: (a) quis eſt veſtrum, iudices, qui ſatis idoneam poſsit in eum poenam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? Quod maleficium cum hoc ſcelere comparari? Quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inveniri? In his, qui violaſſent ingenuum, matremfamilias conſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremo necaſſent, maxima ſupplicia maiores noſtri conſumſerunt: huic vero truculentiſsimo ac nefario facinori ſingularem poenam non reliquerunt. Atque in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos, ex alieno peccato iniuria pervenit: huius ſceleris qui ſunt affines, conſilio univerſis civibus atrociſsimas calamitates machinantur. O feros animos! O crudeles cogitationes! O derelictos homines ab humanitate! Quid agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt? Quo pacto hoſtes, revulſis maiorum ſepulcris, deiectis moenibus, ovantes irruerent in civitatem: quo modo Deum templis ſpoliatis, optimatibus trucidatis, aliis arreptis in ſervitutem, matribusfamilias & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubiectis, urbs acerbiſsimo concidat incendio conflagrata: qui ſe non putant id, quod voluerint, ad exitum perduxiſſe, niſi ſanctiſsimae patriae miſerandum ſcelerati viderint cinerem. Nequeo verbis conſequi, iudices, indignitatem rei: ſed negligentius id fero, quia vos mei non indigetis. Veſter enim vos animus amantiſsimus reipub. facile edocet, ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, praecipitem perturberis ex ea civitate, quam ipſe ſpurciſsimorum hoſtium

(a) *Lib. IIII. cap.* 8.

ſtium dominatu nefario voluit obruere. Hactenus Cornificius, qui hoc ampliſsimo dicendi genere proditionis indignitatem & atrocitatem exaggerat.

Ex figuris autem verborum & ſententiarum, quas vim & acrimoniam habere diximus,(a)quum de illis loqueremur, & praecipue deſcriptiones rerum & perſonarum, conformatio,& congeries illa,quae Graece ſynathriſmus dicitur,(b) qua multa ſimul, quae rei magnitudinem attollunt, unum in locum congeruntur, ad hoc genus pertinent. Compoſitio vero longiores periodos, & flexuoſam orationis formam, quae multa caeſa & membra includit, deſiderat: de quibus paullo ante, (c) propoſitis eiuſdem D.Cypriani exemplis, (d) loquuti ſumus. Omnes vero amplificandi rationes, de quibus etiam ſuo loco diximus, huic generi praecipue ſerviunt. In hoc autem genere licet interdum, quum rei dignitas poſtulat, tonare ac fulminare, & caelum ac terram invocare: quale eſt illud Iſaiae exordium: (e) audi caelum, & auribus percipe terra: quia Dominus loquutus eſt.Et apud Ieremiam Dominus, (f) obſtupeſcite caeli ſuper hoc, &c.

CAP. XVIII.

QVIBVS IN REBVS, HIS TRIBVS DICENDI figuris ſive generibus uti debeamus: ex D. Auguſtini ſententia, lib. IIII. de doctrina chriſtiana.

QVoniam, quid unamquaeque harum figurarum exigat, & quibus potiſsimum ornamentis conficiatur, oſtendimus; ordo exigit, ut, quando non omnes hae formae omnibus cauſis & argumentis conveniunt, quibus potiſsimum unaquaeque harum conveniat, explicemus. Hunc autem laborem D. Auguſtinus in IIII. de doctrina chriſtiana libro nobis ademit, qui, variis ſanctarum ſcripturarum, & ſanctorum patrum propoſitis exemplis, praecipuam rhetoricae artis partem copioſe tractavit. Quia vero is non nulla alia huic praeceptioni obiter admiſcet, ne harum re-

(a) *Pag.* 255. & 289. (b) *Pag.* 278. (c) *Pag.* 312. *ſeqq.* (d) *Pag.* 316. *ſeqq.* (e) *Cap.* 1. (f) *Ierem.* 2.

rerum admixtio lectori tenebras offundat, nos, quae ad hanc praeceptionem maxime pertinent, ab aliis seiuncta, eiusdem D. Augustini verbis hoc in loco adscribenda curavimus. Is igitur, ubi ex Ciceronis mente (a) dixisset, eum esse eloquentem, qui ut doceat, parva submisse: ut delectet, modica temperate, magna granditer diceret, sic ait. (b) „ Haec autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis „ forensibus posset ostendere: non autem hic, hoc est, in „ ecclesiasticis quaestionibus, in quibus huiusmodi, quem „ volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea par- „ va dicuntur, ubi de rebus pecuniariis iudicandum est: ea „ magna, ubi de salute ac de capite hominum: ea vero, „ ubi nihil horum iudicandum est, nihilque agitur, ut „ agat, sive decernat, sed tantum modo ut delectetur au- „ ditor, inter utrumque quasi media, & ob hoc modica, „ hoc est, moderata, dixerunt. Modicis enim modus nomen „ imposuit. Nam modica pro parvis abusive, non proprie, „ dicimus. In istis autem nostris, quandoquidem omnia, ma- „ xime quae de loco superiori populis dicimus, ad ho- „ minum salutem, nec temporariam, sed aeternam, refer- „ re debemus, ubi etiam cavendus est aeternus interitus, „ omnia magna sunt, quae dicimus: usque adeo, ut nec „ de ipsis pecuniariis rebus, vel adquirendis, vel amitendis „ parva videri debeant, quae doctor ecclesiasticus dicit, „ sive sit illa magna, sive parva pecunia. Neque enim par- „ va est iustitia, quam profecto & in parva pecunia custodi- „ re debemus, dicente Domino: (c) qui in minimo fidelis „ est, & in magno fidelis est. Quod ergo minimum est, mi- „ nimum est: sed in minimo fidelem esse, magnum est. Nam „ sicut ratio rotunditatis, id est, ut a puncto medio omnes „ lineae pares in extrema ducantur, eadem est & in magno „ disco, quae in nummulo exiguo: ita ubi parva iuste ge- „ runtur, non minuitur iustitiae magnitudo.

„ (d) Et tamen quum doctor iste debeat rerum dictor es- „ se magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed „ sub-

(a) *In libris de Orat. variis locis haec ad sensum; totidem verbis, nullibi.* (b) *Cap.* 18. (c) *Luc.* 16. (d) *Cap.* 19.

„ ſubmiſſe, quum aliquid docetur; temperate, quum aliquid
„ vituperatur ſive laudatur. Quum vero aliquid agendum
„ eſt, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec ta-
„ men volunt; tunc ea, quae magna ſunt, dicenda ſunt
„ granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et ali-
„ quando de una eademque re magna & ſubmiſſe dicitur,
„ ſi docetur; & temperate, ſi praedicatur; & granditer, ſi
„ averſus inde animus, ut convertatur, impellitur. Quid
„ enim Deo ipſo maius eſt? Numquid ideo non diſcitur?
„ Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet niſi ſubmiſſa
„ diſputatione agere, ut res ad dignoſcendum difficilis,
„ quantum datur, poſsit intelligi? Numquid hic ornamen-
„ ta, & non documenta, quaeruntur? Numquid, ut aliquid
„ agat, eſt flectendus auditor; & non potius, ut diſcat, in-
„ ſtruendus? Porro quum laudatur Deus, ſive de ipſo, ſi-
„ ve de operibus ſuis; quanta facies pulchrae ac ſplendi-
„ dae dictionis oboritur ei, qui poteſt quantum poteſt lau-
„ dare, quem nemo convenienter laudat, nemo quomo-
„ documque non laudat? At ſi non colatur, aut cum il-
„ lo, vel etiam prae illo, colantur idola, ſive daemonia, ſi-
„ ve quaecumque creatura; quantum hoc malum ſit, at-
„ que ut ab hoc malo avertantur homines, debet utique
„ granditer dici.

„ (a) Submiſſae dictionis exemplum eſt apud Apoſtolum
„ Paullum, ut planius aliquid commemorem, ubi ait: (b)
„ dicite mihi, ſub lege volentes eſſe, legem non audiſtis?
„ Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habuit:
„ unum (c) de ancilla, & unum (d) de libera: ſed ille, qui de
„ ancilla, ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libe-
„ ra, per repromiſsionem: quae ſunt in allegoria. Haec
„ enim ſunt duo teſtamenta: unum quidem a monte Sina,
„ in ſervitutem generans, quae eſt Agar. Sina enim mons
„ eſt in Arabia, qui coniunctus eſt huic, quae nunc eſt
„ Ieruſalem, & ſervit cum filiis ſuis. Quae autem ſurſum
„ eſt Ieruſalem, libera eſt, quae eſt mater noſtra, & cete-
„ ra. Itemque ibi ratiocinatur, & dicit: (e) fratres, ſecun-
„ dum

(a) *Cap.*20. (b) *Galat.*4. (c) *Gen.*16. (d) *Gen.*21. (e) *Galat.*3.

„ dum hominem dico, tamen hominis confirmatum testa-
„ mentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahae
„ dictae sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & se-
„ minibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, &
„ semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico testamen-
„ tum confirmatum a Deo, quae post quadringentos &
„ triginta annos facta est lex, non infirmat ad evacuandas
„ promissiones. Si enim ex lege hereditas, iam non ex pro-
„ missione. Abrahae autem per repromissionem donavit
„ Deus. Et quia occurrere poterat audientis cogitationi:
„ ut quid ergo lex data est, si ex illa non est hereditas?
„ Ipse sibi hoc obiecit, atque ait, velut interrogans: quid
„ ergo lex? Deinde respondit: transgressionis gratia pro-
„ posita est, donec veniret semen, cui promissum est, dispo-
„ sita per angelos in manu mediatoris. Mediator autem u-
„ nius non est, Deus vero unus est. Et hic occurrebat, quod
„ sibi ipse proposuit: lex ergo adversus promissa Dei? Et
„ respondit: absit. Reddiditque rationem, dicens: si enim da-
„ ta esset lex, quae posset vivificare, omnino ex lege esset
„ iustitia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccato, ut
„ promissio ex fide Iesu-Christi daretur credentibus, &c.
Haec igitur omnia, quae docendi gratia inducta sunt, submisso dicendi genere tractantur.

„ In illis autem Apostolicis verbis dictio temperata est:
„ (a) seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iu-
„ niores ut fratres, anus ut matres, adolescentulas ut so-
„ rores. Et in illis: (b) obsecro autem vos, fratres, per
„ miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vi-
„ vam, sanctam, Deo placentem. Et totus fere ipsius ex-
„ hortationis locus temperatum habet eloquutionis genus:
„ ubi illa pulchriora sunt, in quibus propria propriis tam-
„ quam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est: (c)
„ habentes dona diversa secundum gratiam, quae data est
„ nobis; sive prophetiam, secundum regulam fidei; sive mi-
„ nisterium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina;
„ sive qui exhortatur, in exhortatione; qui tribuit, in sim-
„ pli-

(a) 1. *Timoth.* 5. (b) *Rom.* 12. (c) *Ibid.*

„ plicitate; qui praeeſt, in ſollicitudine; qui miſeretur, in
„ hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione; odio habentes ma-
„ lum, adhaerentes bono: caritate fraternitatis invicem
„ diligentes, honore mutuo praevenientes, ſtudio non pi-
„ gri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, ſpe gauden-
„ tes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſ-
„ ſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſe-
„ ctantes. Benedicite perſequentibus vos, benedicite, &
„ nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum
„ flentibus, id ipſum invicem ſentientes. Et quam pulchre
„ iſta omnia, ſic effuſa, bimembri circuitu terminantur: non
„ alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes? Et aliquan-
„ to poſt: (a) in hoc ipſo, inquit, perſeverantes, reddite
„ omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal,
„ vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, hono-
„ rem. Quae membratim fuſa clauduntur etiam ipſo circui-
„ tu, quem duo membra contexunt. Nemini quidquam de-
„ beatis, niſi ut invicem diligatis.

„ Grande autem dicendi genus hoc maxime diſtat ab
„ iſto genere temperato, quod non tam verborum ornati-
„ bus comtum eſt, quam violentum animi affectibus. Nam
„ capit etiam illa ornamenta paene omnia: ſed ea, ſi non
„ habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu ſuo, & elo-
„ quutionis pulchritudinem, ſi occurrerit, vi rerum rapit,
„ non cura decoris aſſumit. Satis eſt enim ei, propter quod
„ agitur, ut verba congruentia non oris eligantur indu-
„ ſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem. Nam ſi aurato
„ gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentiſsimus pu-
„ gnae, agit quidem ille armis, quod agit, non quia pre-
„ tioſa, ſed quia arma ſunt: idem ipſe eſt tamen, & va-
„ let plurimum, etiam quum rimanti telum ira facit. Agit
„ Apoſtolus, ut pro evangelico miniſterio patienter mala
„ huius temporis cum ſolatio donorum Dei omnia toleren-
„ tur. Magna res eſt, & granditer agitur, nec deſunt or-
„ namenta dicendi: (b) ecce, inquit, nunc tempus acceptа-
„ bile, ecce nunc dies ſalutis. Nullam in quoquam dantes
„ of-

(a) *Rom.* 13. (b) 2. *Corinth.* 6.

„ offenſionem , ut non reprehendatur miniſterium noſtrum:
„ ſed in omnibus commendantes noſmetipſos , ut Dei mi-
„ niſtros, in multa patientia , in tribulationibus , in neceſsi-
„ tatibus , in anguſtiis , in plagis , in carceribus , in ſedi-
„ tionibus , in laboribus , in vigiliis , in ieiuniis , in caſti-
„ tate , in ſcientia , in longanimitate , in benignitate , in
„ Spiritu ſancto , in caritate non ficta , in verbo veritatis,
„ in virtute Dei : per arma iuſtitiae a dextris , & a ſini-
„ ſtris ; per gloriam , & ignobilitatem ; per infamiam , &
„ bonam famam : ut ſeductores , & veraces ; ut qui igno-
„ ramur , & cognoſcimur ; quaſi morientes , & ecce vivi-
„ mus ; ut coërciti , & non mortificati ; ut triſtes , ſemper
„ autem gaudentes ; ſicut egeni , multos autem ditantes;
„ tamquam nihil habentes , & omnia poſsidentes. Vide
„ adhuc ardentem : os noſtrum patet ad vos , o Corin-
„ thii , cor noſtrum dilatatum eſt , &c. quae perſequi lon-
„ gum eſt.

„ Itemque ad Romanos agit , ut perſequutiones huius
„ mundi caritate vincantur ſpe certa in adiutorio Dei. A-
„ git autem granditer & ornate : (a) ſcimus , inquit , quo-
„ niam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,
„ iis , qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Quoniam
„ quos ante praeſcivit , & praedeſtinavit conformes ima-
„ ginis filii ſui , ut ſit ipſe primogenitus fratribus. Quos
„ autem praedeſtinavit , illos & vocavit ; & quos vocavit,
„ ipſos & iuſtificavit ; quos autem iuſtificavit , illos & glo-
„ rificavit. Quid ergo dicemus ad haec ? Si Deus pro no-
„ bis , quis contra nos ? Qui proprio filio non pepercit,
„ ſed pro nobis omnibus tradidit illum ; quo modo non
„ etiam cum illo nobis omnia donabit ? Quis accuſabit
„ adverſus electos Dei ? Deus , qui iuſtificat : quis eſt qui
„ condemnet ? Chriſtus Ieſus , qui mortuus eſt , magis au-
„ tem qui reſurrexit , qui eſt in dextera Dei , qui & inter-
„ pellat pro nobis. Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti ?
„ Tribulatio , an anguſtia , an perſequutio , an fames , an
„ nuditas , an periculum , an gladius ? Sicut ſcriptum
„ eſt:

(a) *Rom.* 8.

„ eſt : (a) quoniam propter te mortificamur tota die, ae-
„ ſtimati ſumus ut oves occiſionis. Sed in his omnibus
„ ſupervincimus per eum, qui dilexit nos. Certus ſum
„ enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, ne-
„ que principatus, neque praeſentia, neque futura, ne-
„ que virtus, neque altitudo, neque profundum, neque
„ creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quae
„ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

„ Ad Galatas autem quamvis tota ipſa epiſtola ſubmiſ-
„ ſo dicendi genere ſcripta ſit, niſi in extremis partibus,
„ ubi eſt eloquium temperatum ; tamen interponit quem-
„ dam locum eo motu animi, ut ſine ullis quidem talibus
„ ornamentis, qualia ſunt in iis, quae modo poſuimus,
„ non poſſet tamen niſi granditer dici. Dies, inquir, (b)
„ obſervatis, & menſes, & annos, & tempora. Timeo
„ vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vos. Eſtote ſic-
„ ut & ego : quoniam & ego ſicut vos. Fratres, precor
„ vos, nihil me laeſiſtis. Scitis quia per infirmitatem car-
„ nis iam pridem evangelizavi vobis, & tentationes ve-
„ ſtras in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis ; ſed
„ ſicut angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.
„ Quae ergo fuit beatitudo veſtra ? Teſtimonium vobis
„ perhibeo, quoniam, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſ-
„ ſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus factus ſunt vo-
„ bis verum praedicans ? AEmulantur vos non bene ; ſed
„ excludere vos volunt, ut eos aemulemini. Bonum eſt
„ autem in bono aemulari ſemper, & non ſolum quum
„ praeſens ſum apud vos. Filioli mei, quos iterum partu-
„ rio, donec formetur Chriſtus in vobis : vellem autem
„ nunc adeſſe apud vos, & mutare vocem meam, quia
„ confundor in vobis. Numquid hic aut contraria contra-
„ riis verba ſunt reddita, aut aliqua gradatione ſibi ſub-
„ nexa ſunt, aut caeſa & membra circuituſve ſonuerunt ?
„ Et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium
„ fervere ſentimus.

„ (c) Sed apoſtolica iſta ſic clara ſunt, ut & profun-

(a) *Pſalm.* 43. (b) *Galat.* 4. (c) *Cap.* 21.

„ da ſint: atque ita conſcripta, memoriaeque mandata,
„ ut non ſolum lectore, vel auditore, verum etiam expo-
„ ſitore opus habeant, ſi quis in eis, non ſuperficie con-
„ tentus, altitudinem quaerat. Quapropter videamus iſta
„ genera dicendi in eis, qui iſtorum lectione ad rerum
„ divinarum atque ſalubrium ſcientiam profecerunt, eam-
„ que eccleſiae miniſtrarunt. B. Cyprianus ſubmiſſo di-
„ cendi genere uti tur in eo libro, ubi de ſacramento
„ calicis diſputat. Solvitur quippe ibi quaeſtio, in qua
„ quaeritur: utrum calix dominicus aquam ſolam, an
„ eam vino mixtam, debeat habere. Sed exempli gratia
„ aliquid inde ponendum eſt. Poſt principium ergo epi-
„ ſtolae, iam ſolvere incipiens propoſitam quaeſtio-
„ nem, (a) “ admonitos autem nos ſcias, inquit, ut in
“ calice offerendo dominica traditio ſervetur, neque
“ aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior
“ fecit, ut calix, qui in commemorationem eius offer-
“ tur, vino mixtus offeratur. Nam quum dicat Chriſtus,
“ (b) ego ſum vitis vera; ſanguis Chriſti non aqua eſt uti-
“ que, ſed vinum; nec poteſt videri ſanguis eius, quo
“ redemti & vivificati ſumus, eſſe in calice, quando
“ vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui
“ ſcripturarum omnium ſacramento ac teſtimonio prae-
“ dicatur. Invenimus enim in Geneſi circa ſacramentum
“ Noë hoc idem praecucurriſſe, & figuram dominicae paſ-
“ ſionis illic exſtitiſſe, (c) quod vinum bibit, quod inebria-
“ tus eſt, quod in domo ſua nudatus eſt, quod fuit re-
“ cumbens nudis & patentibus femoribus, quod nudi-
“ tas illa patris a medio filio denotata eſt, a maiore vero
“ & minore contecta, & cetera, quae neceſſe non eſt ex-
“ ſequi, quum ſatis ſit hoc ſolum complecti, quod Noë, ty-
“ pum futurae veritatis oſtendens, non aquam, ſed vi-
“ num biberit, & ſic imaginem dominicae paſsionis ex-
“ preſſerit. Item in ſacerdote Melchiſedech dominicum
“ ſacramentum praefiguratum videmus, ſecundum quod
“ ſcri-

(a) *Cyprian. epiſt. 63. ad Caecil. ſacramento calicis.* (b) *Ioan. 15.* (c) *Geneſ. 9.*

" ſcriptura divina teſtatur, & dicit: (a) & Melchiſedech,
" rex Salem, protulit panem & vinum. Fuit autem ſacer-
" dos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem
" Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in pſal-
" mis Spiritus ſanctus ex perſona patris ad filium dicens:
" (b) ante Luciferum genui te. Tu es ſacerdos in aeternum,
" ſecundum ordinem Melchiſedech. ,, Haec, & alia, quae
,, ſequuntur, huius epiſtolae, ſubmiſſae dictionis modum
,, ſervant: quod facile eſt explorare legentibus.

,, Sanctus quoque Ambroſius quum agat rem magnam
,, de Spiritu ſancto, ut eum patri & filio demonſtret
,, aequalem, ſubmiſſo tamen dicendi genere utitur; quo-
,, niam res ſuſcepta non ornamenta verborum, aut ad fle-
,, ctendos animos commotionis affectum, ſed rerum docu-
,, menta deſiderat. Ergo inter cetera in principio huius
,, operis ait: (c) " commotus oraculo Gedeon, (d) quum
" audiſſet, quod deficientibus licet populorum millibus, in
" uno viro Dominus plebem ſuam ab hoſtibus liberaret,
" obtulit hoedum caprarum. Cuius carnem, ſecundum prae-
" ceptum angeli, & azyma ſupra petram poſuit, & ea iu-
" re perfudit. Quae ſimul ut virgae cacumine, quam
" gerebat angelus Dei, contigit, de petra ignis erupit;
" atque ita ſacrificium, quod offerebatur, abſumtum eſt.
" Quo indicio declaratum videtur, quod petra illa ty-
" pum habuerit corporis Chriſti, quia ſcriptum eſt: (e)
" bibebant de conſequenti petra: petra autem erat Chri-
" ſtus. Quod utique non ad divinitatem eius, ſed ad car-
" nem relatum eſt, quae ſitientium corda populorum pe-
" renni rivo ſui ſanguinis inundavit. Iam tunc igitur in
" myſterio declaratum eſt, quia Dominus Ieſus in carne
" ſua totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec ſolum
" delicta factorum, ſed etiam cupiditates animorum. Ca-
" ro enim hoedi ad culpam facti refertur, ius ad illece-
" bras cupiditatum, ſicut ſcriptum eſt: (f) quia concu-
" pivit populus cupiditatem peſsimam, & dixerunt: quis

 " nos

(a) *Geneſ.* 14. (b) *Pſalm.* 109. (c) *Ambroſ. lib. I. de Spiritu ſancto in prologo.* (d) *Iudic.* 6. (e) 1. *Corinth.* 10. (f) *Num.* 11.

" nos cibabit carne? Quod igitur extendit angelus virgam,
" & tetigit petram, de qua ignis exiit; oſtendit, quod ca-
" ro Domini, Spiritu repleta divino, peccata omnia hu-
" manae conditionis exureret. Vnde & Dominus ait: (a)
" ignem veni mittere in terram, &c. „ In quibus (*Am-*
„ *broſius*) rei docendae ac probandae maxime in-
„ cumbit.

„ De genere temperato eſt apud Cyprianum virgini-
„ tatis illa laudatio: (b) " nunc nobis ad virgines ſermo
" eſt, quarum quo ſublimior gloria eſt, maior & cura.
" Flos eſt ille eccleſiaſtici germinis, decus atque orna-
" mentum gratiae ſpiritalis laeta indoles laudis & ho-
" noris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago
" reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio
" gregis Chriſti. Gaudet per ipſas, atque in illis largiter
" floret eccleſiae matris glorioſa fecunditas: quantoque
" plus glorioſa virginitas numero ſuo addit, tanto plus gau-
" dium matris augeſcit. „ Et alio loco in fine epiſtolae: „
" quo modo portavimus, inquit, imaginem eius, qui de
" limo eſt, ſic portemus & imaginem eius, qui de caelo
" eſt. Hanc imaginem virginitas portat, portat integri-
" tas, ſanctitas portat & veritas; portant diſciplinae Dei
" memores, iuſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles
" in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam for-
" tes, ad ſuſtinendas iniurias mites, ad faciendam miſeri-
" cordiam faciles, fraterna pace unanimes atque con-
" cordes. Quae vos ſingula, o bonae virgines, obſerva-
" re, diligere, implere debetis, quae Deo & Chriſto va-
" cantes, ad Dominum, cui vos dicaſtis, maiori & me-
" liori parte praeceditis. Provectae annis, iunioribus fa-
" cite magiſterium. Minores natu, praebete maioribus mi-
" niſterium, comparibus incitamentum: hortamentis vos
" mutuis excitate, aemulis de virtute documentis ad glo-
" riam provocate, durate fortiter, ſpiritaliter pergite, per-
" venite feliciter, tantum mementote tunc noſtri, quum
" incipiet in vobis virginitas honorari.

„ Am-

(a) *Luc.* 12. (b) *Cyprian. in tract. de habitu virginum.*

„ Ambroſius etiam genere dicendi temperato & or-
„ nato profeſsis virginibus proponit (*matrem Domini*)
„ tamquam ſub exempli forma, quod moribus imitentur,
„ & dicit: (a) " virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam
" mente, quae nullo doli ambitu ſincerum adulteraret af-
" fectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens,
" loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto
" divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens, in-
" tenta operi, verecunda ſermoni; arbitrum mentis ſoli-
" ta non hominem, ſed Deum, quaerere; nullum laedere,
" bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, aequa-
" libus non invidere, fugere iactantiam, rationem ſequi,
" amare virtutem. Quando iſta vel vultu laeſit parentes?
" Quando diſſenſit a propinquis? Quando faſtidivit hu-
" milem? Quando riſit debilem? Quando vitavit inopem?
" Eos ſolos ſolita coetus virorum inviſere, quos mi-
" ſericordia non erubeſceret, neque praeteriret verecun-
" dia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, ni-
" hil in actu inverecundum, non geſtus fractior, non in-
" ceſſus ſolutior, non vox petulantior; ut ipſa corporis
" ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, & figura probitatis.
" Bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac
" primo praetendat ingreſſu, nihil intus latere tenebra-
" rum, tamquam lucernae lux intus poſita, foris luceat.
" Quid ego exſequar ciborum parſimoniam, officiorum
" redundantiam: alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, al-
" terum ipſi naturae paene defuiſſe? Illic nulla intermiſſa
" tempora, hic congeminati ieiunio dies: & ſi quando
" reficiendi ſucceſsiſſet voluntas, cibus plerumque ob-
" vius, qui mortem arceret, non delitias miniſtraret,
" &c. „ Haec autem propterea in exemplo huius tempe-
„ rati generis poſui, quia non hic agit, ut virginitatem
„ voveant, quae nondum voverunt; ſed quales eſſe de-
„ beant, quae iam votae ſunt. Nam ut aggrediatur ani-
„ mus tantum ac tale propoſitum, grandi utique dicendi
„ genere debet excitari & accendi. Sed martyr Cypria-

(a) *Ambroſ. lib. II. de Virginibus in princip.*

„ nus de habitu virginum, non de ſuſcipiendo virginita-
„ tis propoſito ſcripſit. Iſte vero epiſcopus etiam ad hoc
„ eas magno accendit eloquio.

„ Verum ex eo, quod ambo egerunt, dictionis gran-
„ dis exempla memorabo. Ambo quippe invecti ſunt in
„ eas, quae formam pigmentis colorant, vel potius de-
„ colorant: quorum prior ille, quum hoc ageret, ait inter
„ cetera: (a) " ſi quis pingendi artifex vultum alicuius
" & ſpeciem & corporis qualitatem aemulo colore ſignaſ-
" ſet, & ſignato iam conſummatoque ſimulacro manus
" alius inferret, ut iam formata, iam picta quaſi peritior
" reformaret; gravis prioris artificis iniuria, & iuſta in-
" dignatio videretur. Tu te exiſtimas impune laturam tam
" improbae temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam?
" Vt enim impudica circa homines, & inceſta fucis leno-
" cinantibus non ſis; corruptis violatiſque, quae Dei
" ſunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas,
" quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prae-
" varicatio eſt veritatis. Monentis Apoſtoli vox eſt: (b)
" expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio,
" ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt
" Chriſtus. Itaque feſta celebremus, non in fermento ve-
" teri, neque in fermento malitiae & nequitiae, ſed in
" azymis ſinceritatis & veritatis. Num ſinceritas perſeve-
" rat & veritas, quando quae ſincera ſunt, polluuntur, &
" colorum adulteriis, & medicaminum fucis, in menda-
" cium vera mutantur? Dominus tuus dicit: (c) non potes
" facere capillum unum album aut nigrum: & tu ad vin-
" cendam Domini tui vocem vis te eſſe potiorem? Au-
" daci conatu, & ſacrilego contemtu crines tuos inficis;
" malo praeſagio futurorum capillos iam tibi flammeos
" auſpicaris. „ Longum eſt inſerere omnia, quae ſe-
„ quuntur.

„ Ille vero poſterior, ut in tales diceret: (d) " hinc il-
" la, inquit, naſcuntur incentiva vitiorum, ut quaeſitis
" co-

(a) *Cyprian. de habitu Virgin.* (b) 1. *Corinth.* 5. (c) *Matth.* 5.
(d) *Ambroſ. lib. I. de Virginibus.*

" coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formi-
" dant, & de adulterio vultus, meditantur adulterium
" caſtitatis. Quanta haec amentia, effigiem mutare natu-
" rae, picturam quaerere; & dum verentur maritale iu-
" dicium, prodere ſuum? Prior enim de ſe pronuntiat,
" quae cupit mutare, quod nata eſt: ita dum alii ſtudet
" placere, prius ipſa ſibi diſplicet. Quem iudicem, mu-
" lier, veriorem requiremus deformitatis tuae, quam te
" ipſam, quae videri times? Si pulchra es, cur abſcon-
" deris? Si deformis, cur te formoſam eſſe mentiris, nec
" tuae conſcientiae, nec alieni gratiam erroris habitu-
" ra? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: &
" iraſceris, ſi amet alteram, qui adulterare in te doce-
" tur. Mala magiſtra es iniuriae tuae. Lenocinari enim
" refugit, etiam quae eſt paſſa lenonem. Ac licet vilis
" mulier, non alteri tamen, ſed ſibi, peccat. Tolerabi-
" liora propemodum in adulterio crimina ſunt: ibi enim
" pudicitia, hic natura adulteratur. ,, Satis, ut exiſtimo,
,, apparet, feminas, ne ſuam fucis adulterent formam,
,, & ad pudorem & ad timorem hae facundia vehemen-
,, ter impelli. Proinde neque ſubmiſſum, neque tempe-
,, ratum, ſed grande omnino genus hoc eloquutionis agno-
,, ſcimus. Et in his autem, quos duos ex omnibus propo-
,, nere volui, & in aliis eccleſiaſticis viris, & bona, &
,, bene, id eſt, ſicut res poſtulat, acute, ornate, arden-
,, terque dicentibus, per multa eorum ſcripta vel dicta
,, poſſunt haec tria genera reperiri, & aſsidua lectione vel
,, auditione, admixta etiam exercitatione, ſtudentibus
,, inoleſcere.

,, (a) Nec quiſquam praeter diſciplinam eſſe exiſtimet,
,, iſta miſcere: immo, quantum congrue fieri poteſt, omni-
,, bus generibus dictio varianda eſt. Nam quando prolixa
,, eſt in uno genere, minus detinet auditorem. Quum ve-
,, ro fit in aliud ab alio tranſitus, etiam ſi longius eat,
,, decentius procedit oratio: quamvis habeant & ſingula
,, genera varietates ſuas in ſermone eloquentium, quibus

(a) *Cap.* 22.

„ non ſinuntur in eorum , qui audiunt , frigeſcere vel
„ tepeſcere ſenſibus. Verumtamen facilius ſubmiſſum ſo-
„ lum , quam ſolum grande , diutius tolerari poteſt. Com-
„ motio quippe animi quanto magis excitanda eſt , ut no-
„ bis aſſentiatur auditor ; tanto minus in ea diu teneri
„ poteſt , quum fuerit , quantum ſatis eſt , excitata. Et ideo
„ cavendum eſt , ne , dum volumus altius erigere , quod
„ erectum eſt , etiam inde decidat , quo fuerat excitatio-
„ ne perductum. Interpoſitis vero quae ſunt dicenda ſub-
„ miſsius , bene reditur ad ea , quae opus eſt granditer
„ dici , ut dictionis impetus, ſicut maris aeſtus, alternet. Ex
„ quo fit , ut grande dicendi genus , ſi diutius eſt dicen-
„ dum , non debeat eſſe ſolum , ſed aliorum generum in-
„ terpoſitione varietur: ei tamen generi dictio tota tribua-
„ tur , cuius copia praevaluerit.

„ (a) Intereſt enim , quod genus cui generi interpona-
„ tur vel adhibeatur certis & neceſſaris locis. Nam & in
„ grandi genere ſemper , aut paene ſemper, temperata de-
„ cet eſſe principia. Et in poteſtate eſt eloquentis , ut di-
„ cantur non nulla ſubmiſſe , etiam quae poſſent granditer
„ dici : ut ea , quae dicuntur granditer , ex illorum fiant
„ comparatione grandiora , & eorum tamquam umbris lu-
„ minoſiora reddantur. In quocumque autem genere ali-
„ qua quaeſtionum vincula ſolvenda ſunt , acumine opus
„ eſt , quod ſibi ſubmiſſum genus proprie vindicat. Ac
„ per hoc eo genere utendum eſt , & in aliis duobus ge-
„ neribus , quando eis iſta incidunt : ſicut laudandum ali-
„ quid vel vituperandum , ubi nec damnatio cuiuſquam,
„ nec liberatio , nec ad actionem quamlibet aſſenſio re-
„ quiritur : in quocumque alio genere occurrerit , genus
„ adhibendum & interponendum eſt temperatum. In gran-
„ di ergo genere inveniunt ſuos locos duo cetera , & in
„ ſubmiſſo ſimiliter. Temperatum autem genus non qui-
„ dem ſemper , ſed tamen aliquando ſubmiſſo indiget , ſi,
„ ut dixi , quaeſtio , cuius nodus eſt ſolvendus , incurrat;
„ vel quando non nulla, quae ornari poſſent , ideo non or-

„ nan-

(a) *Cap.* 23.

„ nantur, ſed ſubmiſſo ſermone dicuntur, ut quibuſdam
„ quaſi toris ornamentorum praebeant eminentiorem lo-
„ cum. Grande autem genus temperata dictio non requi-
„ rit. Ad delectandos quippe animos, non ad movendos,
„ ipſa ſuſcipitur.

„ (a) Non ſane ſi dicenti crebrius & vehementius ac-
„ clametur, ideo granditer putandus eſt dicere: hoc enim
„ & acumina ſubmiſsi generis, & ornamenta faciunt tem-
„ perati. Grande autem genus plerumque pondere ſuo vo-
„ ces premit, ſed lacrimas exprimit.

„ Denique quum apud Caeſaream Mauritaniae populo
„ diſſuaderem pugnam civilem, vel potius pluſquam ci-
„ vilem, quam *catervam* vocabant; neque enim cives tan-
„ tummodo, verum etiam propinqui, fratres, poſtremo
„ parentes, ac filii lapidibus inter ſe, in duas partes divi-
„ ſi, per aliquot dies continuos, & certo tempore anni
„ ſollemniter dimicabant, & quiſque, ut quemque pot-
„ erat, occidebat: egi quidem granditer quantum valui,
„ ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus
„ & moribus eorum avellerem pelleremque dicendo: non
„ tamen egiſſe aliquid me putavi, quum eos audirem ac-
„ clamantes, ſed quum flentes viderem. Acclamationi-
„ bus quippe ſe doceri & delectari, flecti autem lacri-
„ mis indicabant. Quas ubi adſpexi, immanem illam con-
„ ſuetudinem, a patribus & avis longeque a maioribus
„ traditam, quae pectora eorum hoſtiliter obſidebat, vel
„ potius poſsidebat, devictam, antequam re ipſa id oſten-
„ derent, credidi. Moxque, ſermone finito, ad agendas Deo
„ gratias corda atque ora converti. Et ecce iam ferme
„ octo vel amplius anni ſunt, propitio Chriſto, ex quo
„ illic nihil tale tentatum eſt. Sunt & alia multa experi-
„ menta, quibus didicimus, homines, quid in eis fecerit
„ ſapientis granditas dictionis, non clamore potius, quam
„ gemitu, aliquando etiam lacrimis, poſtremo vitae mu-
„ tatione monſtraſſe.

„ Submiſſo etiam dicendi genere ſunt plerique muta-
„ ti;

(a) *Cap.* 24.

„ ti ; ſed ut, quod neſciebant , ſcirent , aut quod eis vide-
„ batur incredibile , crederent ; non autem ut agerent,
„ quod agendum iam noverant , & agere nolebant. Ad
„ huiuſmodi namque duritiam flectendam debet grandi-
„ ter dici. Nam & laudes & vituperationes , quando elo-
„ quenter dicuntur , quum ſint in genere temperato , ſic
„ afficiunt quoſdam , ut non ſolum in laudibus & vitupe-
„ rationibus eloquentia delectentur , verum & ipſi lau-
„ dabiliter appetant , fugiantque vituperabiliter vivere.
Et mox.

„ Illud vero , quod agitur genere temperato , id eſt,
„ ut eloquentia ipſa delectet , non eſt propter ſe ipſum
„ uſurpandum ; ſed ut rebus , quae utiliter honeſteque
„ dicuntur , ſi nec docente indigent eloquio , nec moven-
„ te ; quia ſcientes & faventes auditores habent; aliquan-
„ to promtius ex delectatione ipſa eloquutionis accedat,
„ vel tenacius adhaereſcat aſſenſus. Nam quum eloquen-
„ tiae ſit univerſale officium , in quocumque iſtorum trium
„ generum , dicere apte ad perſuaſionem ; finis autem , id,
„ quod intenderis , perſuadere dicendo : in quocumque
„ iſtorum trium generum dicit quidem eloquens ad per-
„ ſuaſionem , ſed niſi perſuadeat , ad finem non pervenit
„ eloquentiae. Perſuadet autem in ſubmiſſo genere , vera
„ eſſe , quae dicit. Perſuadet in grandi , ut agantur , quae
„ agenda eſſe iam ſciuntur , nec tamen aguntur. Perſuadet
„ in genere temperato , pulchre ornateque ſe dicere. Quo
„ fine nobis quid opus eſt ? Appetant eum , qui lingua
„ gloriantur , & ſe in panegyricis , talibuſque dictioni-
„ bus iactant , ubi nec docendus , nec ad aliquid agendum
„ movendus , ſed tantummodo eſt delectandus auditor.
„ Nos vero iſtum finem referamus ad alterum finem , ut
„ ſcilicet quod efficere volumus , quum granditer dicimus,
„ hoc etiam iſto velimus , id eſt , ut bona morum diligan-
„ tur , vel devitentur mala ; ſi ab hac actione non ſic alie-
„ ni ſunt homines , ut ad eam grandi genere dictionis ur-
„ gendi videantur : aut ſi iam id agunt , ut agant ſtudio-
„ ſius , atque in eo firmiter perſeverent. Ita fit , ut etiam

„ tem-

„ temperari generis ornatu non iactanter, ſed prudenter,
„ utamur: non eius fine contenti, quo tantummodo
„ delectatur auditor; ſed potius hoc agentes, ut etiam
„ ipſo ad bonum, quod perſuadere volumus, adiuve-
„ tur.

Haec omnia ex D. Auguſtino ad verbum ſelecta ſunt: quibus haec praeceptio de triplici dicendi genere, ſive de tribus orationis formis, adeo copioſe & aperte tradita eſt, ut facile quiſque concionator intelligat, quo dicendi charactere in quavis concione, vel concionis parte, ſit uſurus.

His autem, quae vir ſanctus adeo copioſe explicavit, totque commodiſsimis exemplis illuſtravit, nihil deeſſe videtur, niſi ut caveamus, quod Cornificius (a) diligenter admonet, „ ne, dum haec (*tria dicendi*) genera conſe-
„ ctamur, in finitima & propinqua vitia veniamus. Nam
„ gravi figurae, quae laudanda eſt, propinqua eſt ea, quae
„ fugienda eſt, quae recte videbitur appellari, ſi ſufflata
„ nominabitur. Nam ut corporis bonam habitudinem tu-
„ mor imitatur ſaepe; ita gravis oratio ſaepe imperitis vi-
„ detur ea, quae turget & inflata eſt, quum aut novis,
„ aut priſcis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut gra-
„ vioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur, hoc mo-
„ do: nam qui perduellionibus venditat patriam, non ſa-
„ tis ſupplicii dederit, ſi praeceps in Neptunias depultus
„ erit lacunas. Poenitet igitur iſtum, qui montes belli fa-
„ bricatus eſt, campos ſuſtulit pacis.

„ In hoc genus plerique quum declinaſſent, & ab eo,
„ quo profecti ſunt, aberraverunt, & ſpecie gravi-
„ tatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tu-
„ morem. Qui in mediocre genus orationis profe-
„ cti ſunt, ſi pervenire eo non potuerunt, errantes
„ perveniunt ad confine genus eius generis, quod ap-
„ pellamus fluctuans & diſſolutum; eo quod ſine ner-
„ vis & articulis fluctuat huc & illuc, nec poteſt con-
„ firmate, neque viriliter ſe ſe expedire. Id eſt hu-
„ iuſ-

(a) *Ad Heren. lib. IIII. cap. 10.*

„ iuſmodi : ſocii noſtri quum belligerare nobiſcum vellent, „ profecto ratiocinati eſſent etiam atque etiam, quid „ poſſent facere, ſi quidem ſua ſponte facerent, & non ha- „ berent hic adiutores multos, & malos homines, & au- „ daces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna neg- „ otia volunt agere. Non poteſt huiuſmodi ſermo tenere „ attentum auditorem : diffluit enim totus, neque quid- „ quam comprehendens, perfectis verbis amplectitur. Qui „ non poſſunt in illa facetiſsima verborum attenuatione „ commode verſari, veniunt ad aridum & exſangue ge- „ nus orationis, quod non alienum eſt, exile nominari, „ cuiuſmodi eſt hoc : nam iſtic ille ad balneas acceſsit; „ ad hunc poſtea dixit : hic tuus ſervus me pulſavit. Po- „ ſtea dicit hic illi, conſiderabo. Poſt ille huic convicium „ fecit, & magis magiſque praeſentibus multis clamavit. „ Frivolus hic quidem iam, & illiberalis eſt ſermo : non „ enim adeptus eſt id, quod habet attenuata figura, pu- „ ris verbis & electis compoſitam orationem. „ Hactenus Cornificius.

CAP. XIX.

DE GRANDILOQVI GENERIS MATERIA.

QVia vero grande genus orationis ſublimitatem & vim ad commovendos animos habet, quod quidem eſt praecipuum & ſingulare concionatoris officium ; danda illi opera eſt, ut in omni concione unam aliquam rem, aut plures etiam eligat, quas hac dicendi figura proſequatur. Ad hoc autem pertinent, ut ex D. Auguſtini exemplis colligitur, quaecumque in ſuo genere maxima ſunt, & ad movendos animos potentiſsima : cuiuſmodi non nulla docendi gratia hoc in loco breviter adnotabimus. Periti autem concionatoris erit, eadem rationibus & ornamentis, quae paullo ante expoſuimus, exaggerare, & talia dicendo facere, qualia ſunt.

Ad hoc ergo genus pertinent, quae de ſeveritate extre-

mi iudicii, de atrocitate & aeternitate poenarum, quas improbi apud inferos patiuntur, de letalis peccati gravitate dicuntur. Qua amplificata, vehementer adverſus eos, qui ſine ullo pungentis conſcientiae aculeo tot letalia peccata committunt, incandeſcere poſſumus. Similique ratione adverſus eos indignamur, qui leviſsimis de cauſis, hoc eſt, propter exiguum lucrum, aut etiam ſine ullo ſuo commodo, divinam maieſtatem gratis offendere, & eius amicitiam & gratiam amittere non verentur. Quam rem idem ipſe Dominus ſic apud Ieremiam amplificat, quum ait: (a) obſtupeſcite, caeli, ſuper hoc, & portae eius deſſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, &c.

Hac item ratione illorum periculum amplificamus, qui ſtatim a confeſsione, nulla interpoſita mora, in eadem crimina relabuntur, atque hunc tota vita ludum ludunt; & eorum etiam, qui de die in diem converſionem ſuam procraſtinant; ac multo magis eorum, qui ad extremum vitae diem poenitentiam differunt; & eorum etiam, qui quam diutiſsime peccatis aſſuevere, quorum converſio adeo difficilis eſt, ut Dominus per Ieremiam dicat: (b) ſi poteſt aethyops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; ita & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. Verum maius adhuc periculum eſt obdurati & excaecati cordis, ad quod eadem peccandi conſuetudine pervenitur. Eodem modo amplificamus ſummum redemtionis noſtrae beneficium, quo ſummus ille rerum omnium conditor, ut nos divinitatis & gloriae ſuae participes efficeret, atrociſsimum crucis ſupplicium ſubire, & ſanguinem ſuum pretioſum pro nobis fundere dignatus eſt. In quo quidem beneficio omnia ſunt adeo magna, ut maiora eſſe nequeant; hoc eſt, & meritum, & praemium, & ſupplicium, & dignitas dantis, & indignitas recipientis. Hinc orationis impetum flectimus ad hominum tum malitiam, tum ingrati animi crimen exaggerandum: qui ne tanta quidem Domini ſui bonitate a peccatis cohibentur, nec pro tan-

(a) *Cap.* 2. (b) *Cap.* 13.

tanto beneficio dignas redemtori gratias agunt. Neque diſsimilis ratio eſt, cetera divina beneficia, & ingratitudinem hominum amplificandi, atque eorum praecipue, qui divinis muneribus non ad largitoris gloriam, ſed, quod eſt multo indignius, ad eius iniuriam abutuntur.

Hoc autem genus argumenti mira orationis grandiloquentia Moſes, non quidem rhetorico, ſed prophetico ſpiritu afflatus, tractat in cantico illo, cuius initium eſt: (a) audite caeli quae loquor: in quo primum divina beneficia, deinde populi ingratitudinem & ſcelera, ac poſtremo divinae iuſtitiae ſupplicia, ſceleratis hominibus inferenda, ampliſsima oratione attollit. Similique ordine & facultate dicendi idem argumentum tractat Ezechiel cap. 17. ſub metaphora Virginis derelictae, & a Deo in ſponſam aſſumtae, & multis opibus auctae & ornatae; quae tamen fidem ſponſo datam violaverit, & adulterum admiſerit. Eadem orationis figura Amos cap. 6. adverſus Iſraëlitici populi principes exclamat his verbis: vae vobis, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariae, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſraël: tranſite in Calanne. Et cetera, quae ſequuntur. Huius autem loci grandiloquentiam D. Auguſtinus IIII. de doctrina chriſtiana libro (b) miratur, & varia eius ornamenta copioſe declarat. Verum haec, quae docendi gratia ſubiecimus, exempla ad indignationis affectum commovendum pertinent. In quo quidem amplificationis genere, illa, quam Graeci dinoſim vocant, praecipue dominatur, quae rei indignitatem magnopere auget & attollit: de qua mox (c) dicemus.

Nemo tamen his exemplis admonitus exiſtimet, ad hos tantum affectus hoc orationis genus deſervire. Quaecumque enim alia res, ſive nimium fauſta & laeta, ſeu vehementer triſtis & luctuoſa exſiſtat, hoc orationis genere tractanda eſt. Vtriuſque rei commodiſsimum exſtat exemplum apud D. Cyprianum in ſermone de lapſis. Initio namque rem tractat laetiſsimam. Gratulatur enim eccleſiae de in-

(a) *Deut.* 32. (b) *Cap.* 7. (c) *Pag.* 354.

insigni confessorum gloria atque fortitudine, qua Christi fidem apud infideles iudices constanti animo confessi fuerant. Deinde vero miserandam lapsorum ruinam & inconstantiam, qui tormentorum metu a fide desciverant, maestissima oratione lamentatur. Confessores igitur glorioſos initio sermonis his verbis collaudat: exoptatus votis omnibus dies venit, & post longae noctis horribilem tetramque caliginem, Dei luce radiatus mundus eluxit. Confessores praeconio boni nominis claros, & virtutis ac fidei laudibus glorioſos, laetis conspectibus intuemur, sanctis osculis adhaerentes, desideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cohors candida, qui persequutionis urgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis, repugnastis fortiter saeculo: spectaculum glorioſum praebuistis Deo, sequuturis fratribus fuistis exemplo... Quam vos laeto sinu excipit mater ecclesia de praelio revertentes? Quam beata, quam gaudens portas suas aperit, ut adunatis agminibus intretis, de hoste prostrato tropaea referentes? Cum triumphantibus viris, & feminae veniunt, quae, cum saeculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt & geminata militiae suae gloria virgines, & pueri annos suos virtutibus transeuntes. Et cetera. Sunt & argumenta alia, quae hoc genus dicendi exigunt. Ea vero facile quisque ex his, quae diximus, intelligere poterit.

Illud tamen hoc in loco advertendum est, unius rei amplificationem alteri aditum praebere. Vt exempli causa, quum extremi iudicii severitatem, aut gehennae supplicium amplificaverimus; incandescere licebit adversus multorum hominum stuporem atque caecitatem; qui quum hoc certissima fide teneant, non verentur praecipites in omnia scelera, atque adeo in ipsa gehennae supplicia, sine ullo doloris sensu, irruere.

CAP. XX.

DE ALIIS ORNATVS VIRTVTIBVS, ac in primis de energia, quae latine evidentia dicitur.

PRaeter has autem quattuor ornatus virtutes, quas in tropis, figuris, compoſitione, & apte dicendi ratione poſuimus, ſunt & aliae, quae ad eumdem ornatum pertinent, quas modo breviter attingemus.

Eſt enim in primis energia, quae latine dicitur evidentia, ſive repraeſentatio: quae rem oculis evidenter veluti ſpectandam proponit & repraeſentat. Qua de re ſic Fabius ait: (a) magna virtus eſt, res, de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enuntiare. Quod aliquando brevi oratione, aliquando longiori efficitur. Hoc modo Cicero luxurioſum convivium deſcribit his verbis: (b) videbar videre alios intrantes, alios vero exeuntes, quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes... Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus videret, qui intraſſet? Sic urbium captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit, expugnatam eſſe civitatem, complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit: ſed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At ſi aperias haec, quae verbo uno incluſa erant, apparebunt & fuſae per domos ac templa flammae, & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohaerentes, & infantium feminarumque ploratus, & male uſque in illum diem ſervati fato ſenes: tum illa profanorum ſacrorumque direptio, efferentium praedas, repetentiumque diſcurſus, & acti ante ſuam quiſque praedonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, &, ſicubi maius lucrum eſt, pugna inter victores. Licet enim

(a) *Quinctil. lib. VIII. cap. 3.* (b) *Cicero in frag. orat. pro Q. Gal. apud Quinctil. loco citato.*

enim haec omnia, ut dixi, complectatur everſio; minus eſt tamen totum dicere, quam omnia. Hactenus Fabius. Ex cuius exemplis liquet, ad hoc genus virtutis, rerum & perſonarum deſcriptiones, de quibus in tertio huius operis libro (a) diſſeruimus, maxime pertinere. Ea namque rem oculis ita ſubiiciunt, ut qui dicit, non dixiſſe, ſed pinxiſſe; & qui audit, non tam audiſſe, quam inſpexiſſe, videatur.

Ad hanc etiam virtutem pertinet illud ſimilitudinis genus, obſcuris rebus explicandis accommodatum; quo ex rebus familiariter notis, ea, quae ſunt reconditiora & obſcuriora, patefacimus, & velut ex tenebris in lucem producimus. Eſt enim, ut Ariſtoteles ait, innatum nobis, ut ex notioribus, & iis, quae ſenſu percipiuntur, ad ignotiora, & quae intellectu comprehenduntur, procedamus. Hoc autem ſimilitudinis genere aliquando quidem brevius, aliquando latius ſacrae litterae utuntur. Tale eſt illud: (b) ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, &c. Et apud Ieremiam: (c) quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluviorum intumeſcunt gurgites eius? AEgyptus fluminis inſtar aſcendet, & velut flumina movebuntur fluctus eius. Et Dominus in evangelio: (d) quoties, inquit, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Longiores ſunt illae apud Iſaïam: (e) quo modo ſi rugiat leo ſuper praedam ſuam, quum occurrerit ei multitudo paſtorum, a voce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pavebit; ſic deſcendet Dominus exercituum ſuper montem Sion, ut praelietur. Et alio in loco idem: (f) ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, quum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius; & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, &c.: ſic erit multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra montem Sion.

Ad hanc etiam virtutem emphaſim quoque pertinere idem Fabius (g) auctor eſt. Ea namque rem appoſitiſsimo

(a) *Cap. 6. pag. 139. ſeqq.* (b) *Iſai. 53.* (c) *Cap. 46.* (d) *Matth. 23.* (e) *Cap. 31.* (f) *Cap. 29.* (g) *Inſtit. lib. VIII. cap. 3. ſub fin.*

nomine, reique naturam maxime significante, exprimit: quam inter verborum figuras (a) collocavimus. Praecisio quoque, quae plus tacendo, quam docendo, significat, ad hoc genus pertinet: quam etiam inter sententiarum figuras (b) numeravimus.

§. I.

DINOSIS.

EST etiam virtus alia, quam Graeci dinosim, id est, gravitatem, vocant, qua utimur in exaggeranda rei indignitate. Qua virtute Demosthenes plurimum valuisse (c) dicitur. Hac enim fit, ut rei indignitas tanta appareat, quanta est, & interdum etiam maior quam est. Vtinam autem eam nobis Dominus dicendi facultatem concederet, ut peccati indignitatem, & peccati supplicia, & multorum fidelium stuporem, & salutis suae neglectum, ceteraque his similia, oratione nostra, non dico supra id quod sunt, attollere, sed saltem exaequare possemus, & tanta dicendo efficere, quanta sunt! Sed quae dicendi facultas haec ipsa pro dignitate amplificare queat? Danda tamen nobis opera est, ut, quam proxime fieri poterit, ad harum rerum magnitudinem explicandam accedamus, quo torpentium atque ignorantiam animos salutari & necessario metu concutere & excitare possimus.

§. II.

DE COPIA.

PErtinet etiam ad eloquendi rationem orationis ubertas & copia, qualem in D. Chrysostomo videmus. Vt enim eruditae aures brevitate & acumine sententiarum, & pressa oratione gaudent; ita rudes & indoctae copia rerum maxime capiuntur. Ad hanc vero copiam pertinet, ut, quidquid apte & commode pro ratione argumenti dici potest, ad causam afferamus: neque quidquam, quod eam magno-

(a) *Lib. V. c. 14. pag. 292.* (b) *Pag. 291.* (c) *Apud Quinct. lib. VI. c. 3.*

gnopere tueatur, praetermittamus. Deinde ut ea ipſa, quae adducimus, non indigeſta & anguſta, ſed copioſa oratione ita proſequamur, ut quidquid virium in rebus ipſis latet, eruamus, & in medium proferamus. Quod exornationis proprium eſſe ſuperius diximus, (a) quum collectionis partes explicavimus. Cuius rei exempla ex D. Cypriano, Gregorio Niſſeno, & Euſebio Emiſſeno adduximus.

Ad hanc etiam virtutem pertinet vitare tautologiam, cuius ſuperius (b) mentionem fecimus, quae eſt eiuſdem verbi vitioſa repetitio, inopiae cauſa facta: quum is, qui dicit, adeo inops verborum eſt, ut rem eamdem ſignificaturus, verbum aliud tantumdem efficiens non invenit, quo eam exprimat. Qui enim copiae ſtudet, non rerum modo, ſed verborum etiam dives eſſe debet: ne inopiae cauſa idem verbum centies, ut multi faciunt, repetere cogatur.

Porro autem quemadmodum liberalitatis virtuti duo vitia finitima ſunt, nempe avaritia, & prodigalitas; quorum alterum defectu, alterum redundantia, virtutis mediocritatem deſerit: ita plane copiae utroque modo ſua vitia adverſantur. Nam illi primum orationis ariditas contraria eſt, commune barbarorum & imperitorum vitium, qui animi ſui ſenſus ieiuna & ſterili oratione declarant. Hi enim non vident, hoc vel maxime, ut ante diximus, (c) dialecticam & ſcholaſticam orationem ab oratoria diſtare, quod illa nervis & oſsibus tantum conſtat, haec iſtis curem, & carnem, & ſanguinem, & coloris pulchritudinem addat.

Per redundantiam vero illi adverſatur vitium illud, quod Aſiatiſmum ab Aſianis appellant: qui (d) longiſsima oratione minimeque neceſſaria utebantur, inanique verborum congerie luxuriabant. Adverſatur etiam hoc eodem modo macrologia, de qua mox (e) dicemus.

(a) *Lib. II. cap. 10. pag. 80. ſeqq.* (b) *Pag. 266.* (c) *Lib. II. cap. 2. pag. 46.* (d) *Apud Quinctil. lib. XII. cap. 10.* (e) *Pag. 360.*

§. III.

DE ORATIONIS VARIETATE.

EST etiam varietas non vulgaris orationis virtus: cui contrarium est vitium mire taedioſum, homiologia quae (a) nulla varietatis gratia levat taedium, eſtque tota coloris unius. Eſt igitur primum quidem in rebus ipſis adhibenda varia & multiplex ſupellex, quam varia auctorum, tum noſtrorum, tum etiam ethnicorum, lectio praeſtabit. Ad quod non modo ſententiae, ſed etiam exempla, ſimilia, & apophthegmata mire faciunt. Vtendum etiam tribus illis dicendi generibus, de quibus hactenus diximus, infimo, temperato, atque grandi, quae magnum orationi varietatem conciliant. Quum autem multa membra in eadem orationis ſerie coniunguntur, ne longa rerum enumeratio faſtidium pariat, varietas figurarum adhibenda eſt, quae orationem a moleſta illa rerum continuatione vindicet. Ad quod cum aliae figurae, tum praecipue interrogatio maxime conducit. Sic Ambroſius in eo exemplo, quod paullo ante poſuimus, (b) quum multas beatiſsimae Virginis virtutes recto orationis ductu enumeraſſet, orationem hac interrogatione variavit: (c) quando illa vel vultu laeſit parentes? quando vitavit inopem? quando faſtidivit humilem? &c. Deinde repetitione quoque varietatem auxit: nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non geſtus fractior, & cetera, quae ſequuntur. Denique omnes, tam verborum, quam ſententiarum, figurae, huic orationis varietati deſerviunt. Vt enim perſonae alio atque alio cultu, ita eaedem ſententiae alio atque alio verborum & figurarum habitu veſtiri poſſunt. Quod ut planius fiat, exempla aliquot, quibus hanc variandi rationem rhetores commendant, ſubiiciemus.

Non eſt miſerum mori: &, uſque adeo ne mori miſerum eſt? Nihil eſt te vanius: an quidquam eſt te vanius? Hic per interrogationem variata eſt figura. Non magnam lau-

(a) *Apud Quinct. lib. VIII. c. 3.* (b) *Pag. 341.* (c) *Lib. II. de Virg.*

laudem assequutus es: egregiam vero laudem es assequutus. Non ista curat populus: id populus curat scilicet. Hic per ironiam commutata est sermonis facies. Vehementer amat pecuniam: bone Deus, quam amat pecuniam. Per admirationem versus est orationis color. Tum Deum contemnit, tum homines: haud scio, magis ne Deum contemnat, an homines. Hic per dubitationem commutata est orationis forma. Nihil mihi carius aut antiquius fama: dispeream, si quid mihi carius fama. Hic per adiurationem variatus est sermo. Est vir insigni vanitate: o singularem hominis vanitatem! Hic per exclamationem. Non modo virgines aliquot constupravit, verum etiam Vestalem incestu polluit: virgines complures stupravit, ut interim de Vestali, incestu polluta, sileam. Hic per occupationem variatus est sermo. Quum & genere sis obscurissimo, & re nulla, nullis litteris, nulla forma, nullo ingenio; quid est cur te adeo iactes? quid habes cur tam sis insolens? Natalium splendorem? atqui genere est obscurissimo: opes? at vel Iro ipso pauperior es: eruditionem? sed bonas litteras neque attigisti umquam: formam? at ipso Thersite deformior es: ingenium? at istud profecto nactus es stupidissimum. Quid igitur ista tua iactantia est, nisi mera insania? Hic per subiectionem variatus est orationis habitus.

Variatur etiam oratio per aequipollentiam: de qua dialectici quoque differunt. Ea constat negationis additione, detractione, geminatione, & verbis contrariis. Vt, primas obtinet, non est in postremis. Vir egregie doctus, vir minime indoctus. Omnia fecit, nihil non fecit. Placet, non displicet. Accipio conditionem, non recuso conditionem. Ad hanc formam pertinent, quae actionem & passionem declarant. Ab illo grave vulnus accepit: inflixit illi grave vulnus. In Cicerone quaedam desiderantur a doctis: in Cicerone docti quaedam desiderant.

Facilis est item variandi ratio per dictiones relativas, quae & ipsa ad contrariorum genus pertinent. Vxor illius esse non vult: non vult illum maritum. Recusat illius esse socer: recusat illum generum. Pudet me huius nurus: pu-

det me huius ſocrum videri. Non alium mihi patrem optem: nullius malim eſſe filius. O me tali felicem praeceptore! felicem me, qui tuus ſim diſcipulus! Haec de eloquutionis virtutibus dicta ſufficiant: nunc ad vitia illis adverſantia tranſeamus.

CAP. XXI.

DE VITIIS ELOQVVTIONI, AC PRAECIPVE ornatui, oppoſitis.

QVoniam de eloquutionis, ac praecipue de ornatae orationis virtutibus diximus; reliquum eſt, ut, quoniam virtutibus vitia contraria ſunt, de vitiis quoque orationis non nulla dicamus, quo ea ſtudioſe declinantes, virtutes plenius conſectari valeamus. Et quidem quum initio huius libri (a) quattuor praecipuas eloquutionis virtutes eſſe dictum ſit; ut videlicet oratio eſſet emendata, perſpicua, ornata, & rebus, quae dicuntur, apta & accommodata: quae eſſent emendatae & perſpicuae orationi contraria vitia, ſimul cum ipſis virtutibus (b) expoſuimus. Ornatae autem atque aptae orationis vitia, quoniam plurima ſunt, in hunc locum reſervavimus: propterea quod ea, niſi cognitis virtutibus, haud facile dignoſci poterant. Atque ut ſummatim rem totam perſtringamus, quaecumque adverſus ea, quae ad ornate apteque dicendum requiri diximus, (c) pugnant, orationis vitia ſunt. Quum igitur ornatus tria illa potiſsimum exigat, delectum verborum cum rebus ipſis cohaerentium, accommodatas eiſdem verborum & ſententiarum figuras, lenem & numeroſam compoſitionem; quidquid adverſus iſta peccat, vitium eſt. Nec minus vitium eſt, ſi oratio perſonis & rebus apta non ſit.

Sed quia ſub hac communi admonitione varia vitia continentur; operae pretium erit, eadem ſigillatim enumerare, ſuiſque nominibus, quo apertius cognoſcantur, adnota-

(a) *Cap. 2. pag. 236.* (b) *Ibid.* (c) *Lib. V. cap. 17. pag. 319. ſeqq.*

tare. (a) Incipiamus ab eo vitio, quod honeſtiſsimo cuique cum primis vitandum eſt, nempe cacophaton, id eſt, obſcena pronuntiatio, quum turpe aliquod verbum, vel parum honeſtum dicimus. Cuius rei exemplum ponere non decet, ne in id vitium incidamus, quod vitandum praecipimus. Verum quum aliquid huiuſmodi ſignificandum neceſſario eſt, periphraſi, aut aliquo alio tropo, utemur.

Deformitati proximum vitium eſt tapinoſis, qua rei magnitudo vel dignitas verbis aut ſententiis minuitur; quum videlicet rei honeſtae vel ſplendidae ſordidum nomen tribuimus, parumque rei dignitati accommodatum. Cui natura contrarium, ſed errore par eſt, parvis dare excedentia modum nomina: ut ſi quis parricidam appellaverit nequam hominem, aut deditum meretrici, nefarium. Illud enim parum, hoc nimium eſt. Debent enim verba rebus convenire, niſi quum aliquid augere volumus: de quo in amplificandi rationibus (b) dictum eſt.

Tautologia, hoc eſt, vitioſa eiuſdem verbi repetitio, non nitoris, ſed inopiae cauſa facta: id quod aridis & inexercitatis evenit, ut eadem per eadem dicant, & eamdem quaſi cantilenam recantent, cordaque oberrent eadem. Vnde adagium manavit, *Crambe bis poſita mors.* Varietas ergo verborum adhibenda eſt, quum res eadem ſaepius eſt dicenda, ne idem verbum pluries in eodem contextu repetatur.

Pleonaſmos adiectio verbi ſupervacua, ut: (c) *ſic ore locuta eſt.* Itaque non inurbane Cicero adverſus Panſam declamans, (d) quum is dixiſſet, filium a matre decem menſibus in utero latum, ille contra: quid igitur? aliae in penula geſtare ſolent? Omne enim verbum, quod intellectum, aut ornatum non adiuvat, vitioſum dici poteſt. Excuſatur tamen hoc, quum aſſeverationis gratia fit; quale eſt illud: (e)

..... *vocemque his auribus hauſi.*

(a) *Quae ſequuntur paene ad verbum deſumta ſunt ex Quinctil. lib. VIII. cap. 3.* (b) *Lib. III. cap. 5. pag. 130. ſeqq.* (c) *Virg. AEneid. lib. I. v. 618.* (d) *Apud Quinctil. loco cit.* (e) *Virgil. AEneid. lib. IIII. v. 359.*

Et: hiſce oculis vidi, ne nega.

Macrologia, id eſt, iuſto longior ſermo, quale eſt illud: (a) legati,non impetrata pace,retro domum, unde venerant, reverſi ſunt. Verum hic in brevi ſententia peccatum eſt. Peius tamen eſt, quum hoc eodem modo in tota oratione peccatur: hoc eſt, quando, quae breviter & dici & intelligi poterant, longa & perplexa oratione tractantur: quae res prudentem auditorem obtundit enecatque.

(b) „ Cacozelon, id eſt, mala affectatio, per omne dicen-
„ di genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & praedul-
„ cia, & abundantia, & arceſsita, & exſultantia ſub idem
„ nomen cadunt. Denique cacozelon vocatur, quidquid
„ eſt ultra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, &
„ ſpecie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum peſ-
„ ſimum. Nam cetera quum vitentur, hoc petitur. „ In hoc autem vitium incidit quiſquis eam orationem affectat, cui non eſt par, nec aſſuetus.

Brachilogia,(c) id eſt, conciſum,quum de re gravi nimis breviter & anguſte loquimur, quae longiorem & apertiorem requirebat ſermonem.Quod ſi is, qui dicit, alio properans, hoc ipſum praeſtare non poterit; cauſam reddere conveniet, cur rem amplam anguſtis terminis comprehenderit.

Mioſis, id eſt, diminutio, ſuperiori vitio affinis, niſi quod pluribus verbis fit, ubi de re magna & ardua eſt iuſto tenuior & ſimplicior oratio, quam eius dignitas & natura poſtulat: ut ſi quis materiam grandem & ſplendidam, ſermone quotidiano, & iacente, ſervilique proferat. Hoc enim eloquentiae proprium eſt, ſermonem dignitati rerum parem adhibere.

Bomphiologia, hoc eſt, tumiditas, contraria mioſi, ubi res tenues, & leviculae efferuntur affectata, tumida, & ſpecioſa, nimiſque magnifica oratione: ut ſi quis ad amicum in epiſtolio, vel ad ruſticos & indoctos ſplendidis nugetur periodis. Quod vitium ſic irridet Horatius in arte: (d)

Quid

(a) *T. Liv. lib. VIII. ab urbe condita.* (b) *Quae ſequuntur ad litteram deſumta ex Quinctil. loco cit.* (c) *Ex Quinct. lib. VIII. cap. 3. & lib. VIII. cap. 3.* (d) *Ver.* 138.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Hoc idem Fabius reprehendit his verbis: (a) „ ut oran-„ tem pro capite ſollicitudo deceat & cura, & omnes ad „ amplificandam orationem quaſi machinae: ita in parvis „ rebus iudiciiſque vana ſint eadem; rideaturque merito, „ qui apud diſceptatorem de re leviſsima ſedens dictu-„ rus, utatur illa Ciceronis (b) confeſsione, non modo „ ſe animo commoveri, ſed etiam corpore ipſo perhorre-„ ſcere.

Aſiatiſmus, id eſt, Aſianum genus orationis, immodicum verbis & figuris, ſed rebus inane. Hoc enim orationis genere Aſiani utebantur, (c) a quibus huius vitii nomen deſumtum eſt, ut paullo ante (d) diximus.

Homiologia, (e) mire taedioſum vitium, quod nulla varietatis gratia levat taedium, eſtque tota coloris unius: quae maxime deprehenditur carens arte oratoria. Eodem quippe ducitur ſemper tenore, ſicut cantilena aliqua taedioſior, neque numeris neque ſonis probe diſtincta & variata: ideoque non animis ſolum, ſed etiam auribus eſt ingratiſsima. Eſtque hoc vitium ſuperiori finitimum, & ſequenti contrarium.

Picilogia, coloratum, ſuperiori contrarium vitium, ubi nihil in oratione rectum aut proprium eſt, ſed omnia immodice figurata, &, ſicut verſicolor veſtis, ſcurriliter picturata & conſuta ſunt. Tales eſt fere ſermo Apulianus: atque hoc quidem vocatur alias immodice floridum, eo quod pueriliter & effeminate floſculis figurarum abutatur.

Periergia, (f) id eſt, curioſitas, & ſupervacua, ut ſic dixerim, operoſitas: ut a diligenti curioſus, & a religione ſuperſtitio diſtat. Ea vero eſt, quum de re nihili, & in ſententia levicula multum verborum abſumimus, nimiſque futiliter immoramur. Quod vitium copiam male affectantibus eſt valde familiare.

Ca-

(a) *Quinctil. lib. XI. cap. 1.* (b) *Divin. in Q. Caecil. cap. 13.* (c) *Apud Quinctil. lib. XII. cap. 10.* (d) *Pag. 355.* (e) *Quinctil. lib. VIII. cap. 3.* (f) *Quinctil. ibid.*

Cacophonia, id eſt, abſurditas, vel abſonum, quum duriter & confragoſe inter ſe cohaerent & colliduntur ſtridentque litterae & ſyllabae. Eſt autem hoc vitium in verſu maxime cavendum, niſi ubi res tumultuoſior requirit talem aſperitatem. Peccat autem hoc vitium contra compoſitionis lenitatem & concinnitatem.

Arithmon, id eſt, ſine numeris, eſt oratio carens numeris & compoſitione tolerabili: ut ſi quis mere brevibus brevia, aut mere longis longa continuet, aut perpetuis commatibus tinniat, vel continuatis membris abundet, vel perpetuis periodis incedat pompoſe. De quo vitio Fabius, lib. VIIII. cap. 4. & Cicero in oratore perfecto (a) praecipit. Etenim quaedam temperatura ſyllabarum eſt facienda, quam & aures mediocriter purgatae ſentiant & probent; ut Pontanus ſcribit in opere de euphonia.

Oniconomiton, id eſt, indiſtinctum, ſuperiori affine vitium, peccans contra decorum orationis & diſpoſitionis, in qua nulla eſt oeconomia, ſed omnia confuſa ſurſum deorſumque miſcentur; & fit plerumque verbis pluribus in oratione longa, quae caret arte & ordine, neque habet diſpoſitionem artificialem, neque naturalem. Verum hoc vitium non contra eloquutionem, ſed contra orationis diſpoſitionem eſt; de qua ſuperius (b) diximus: in quod tamen non raro multi concionatores incidunt, praeſertim quum parum meditati ſuggeſtum conſcendunt.

Praeter haec autem vitia numerantur breviter a Fabio (c) alia. Eſt enim oratio hebes, in qua nihil eſt acuminis. Eſt item ſordida, in qua nullus eſt nitor, nullus ſermonis cultus & elegantia. Eſt ſterilis & ieiuna, quam nulla dicendi ubertas & copia orationis ornat atque dilatat: qualis imperitorum eſt, & arte carentium. Eſt item ſubtriſtis, quae nihil habet laetum, nihil floridum, quo capiat auditorem. Eſt & ingrata, quae ni-

(a) *Cap. 9.* (b) *Lib. IIII. cap. 7. pag. 229. ſeqq.* (c) *Inſtitut. lib. VIII. cap. 3.*

nihil habet ſuavitatis & iucunditatis. Eſt & vilis, ſordidae affinis, in qua nihil accurate dicitur. Vt igitur haec vitia fugienda, ita contrariae virtutes captandae ſunt: quas quidem facile conſequetur, quiſquis ea, quae de orationis ornatu hactenus dicta ſunt, ſervare conabitur. Haec de eloquutionis virtutibus ſimul ac vitiis dicta ſufficiant.

LIBER SEXTVS ECCLESIASTICAE RHETORICAE,

SIVE DE RATIONE CONCIONANDI:

IN QVO DE ACTIONE, SIVE pronuntiatione, & quibuſdam aliis ad concionandum adiumentis, diſſeritur.

PRAEFATIO.

SVPEREST utiliſsima, eademque ad ſcribendum difficillima, huius operis pars, quam rhetores pronuntiationem, ſive actionem, nuncupant: ſed illud nomen ad figuram vocis, hoc ad corporis geſtum & motum pertinet. De hac virtute Fabius, (a) & Cornificius (b) copioſius, quam ceteri rhetores, ſcripſerunt. Cui quidem facultati tantum idem Cornificius tribuit, ut non magis inventionem, diſpoſitionem, eloquutionem, & memoriam, ſine pronuntiatione ad agendum conferre dicat, quam ſolam ſine his omnibus pronuntiationem. Quam fit vero difficile de hac re praecepta tradere, idem etiam declarat his verbis: (c) „ quia nemo de *pronuntiandi ratione* diligenter „ ſcripſit; nam omnes vix poſſe putarunt de voce, & vul„ tu, & geſtu dilucide ſcribi, quum hae res ad ſenſus „ noſtros pertinerent; & quia magnopere ea pars a nobis „ ad dicendum comparanda eſt, non negligenter videtur „ tota res conſideranda. „ Haec ille. Idem etiam, ubi de ge-

(a) *Lib. I. cap.* 11. *& lib. XI. cap.* 3. (b) *Ad Heren. lib. III. cap.* 11. (c) *Loco citato.*

gestu corporis praecepta dedisset, haec verba subiecit: (a) „ non sum nescius, quantum susceperim negotii, qui mo- „ tus corporis exprimere verbis, imitari scriptura conatus „ sim voces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, ut „ de his rebus satis commode scribi posset; nec, si id fie- „ ri non posset, hoc, quod feci, fore inutile putabam: „ propterea quod hic admonere voluimus, quid oporteret; „ reliqua trademus exercitationi. Hoc scire tamen oportet, „ pronuntiationem bonam id perficere, ut res ex animo agi „ videatur. „ Hactenus ille.

Nos igitur, horum auctorum vestigiis insistentes, praetermissis iis, quae illi multa ad civiles causas tractandas litteris commiserunt, quae lectori fastidium parere possent, ea solum eligemus, quae instituto nostro fuerint commodiora: ne in tradenda hac re, quae, ut paullo post videbimus, est omnium praestantissima, studioso concionatori defuisse videamur. Sed quoniam viri adeo eloquentes difficile esse docent, pronuntiationis praecepta tradere; danda nobis venia erit, qui vix, quod sentimus, explicare dicendo possumus, si minus plene & aperte, quae de ea dicenda erunt, exponemus. Quamvis enim de hac virtute nec omnia tradere, nec facili & dilucida oratione tradere valeamus; quia tamen res magni momenti est, nullo modo ea, quae praecipi possunt, negligenda sunt. Haec enim legentium ingenia ad ea, quae desunt, quaeque verbis exprimi nequeunt, excitare poterunt. Incidi paucis ante hac diebus in librum quemdam, Gallica lingua scriptum, qui de arte atque ratione venandi differebat: qui eo usque ad singularia artis huius praecepta descendit, ut iis notis, quibus cantores ea, quae concinunt, designare in libris solent, insinuaret, qua vocis figura atque sono canes a venatoribus vocandi, atque ad venandum concitandi essent. Demiratus certe sum hominum diligentiam, qui ad hanc quoque rem non modo praecepta excogitarunt, sed etiam genus quoddam cantici & vocis, quo bruta animantia vocanda essent, non loquendo, sed scribendo, tradere tentarent.

(a) *Cap.* 15.

rent. Si ergo isti adeo studiosi in re nihili fuerunt; cur nos in tradenda re omnium praestantissima, maximeque concionatoribus necessaria, ab illis superabimur? Ego itaque non modo ex his eloquentissimis viris, quos supra memoravi, huius rei observationes & praecepta in medium offeram, sed etiam quae ipse longo concionandi usu consequi potui, illis adiungam, eaque variis exemplis illustranda atque exponenda curabo.

CAP. I.

PRONVNTIATIONIS NECESSITAS, & commendatio.

QVanta sit rectae pronuntiationis necessitas & utilitas, non video qua ratione magis explicare possim, quam quod non raro mihi videre contigit, immo vero nemo non passim videt, concionatores plurimos, quibus neque eruditio disputando, nec eloquentia scribendo, nec pietas & religio in vita deest, quorum tamen conciones vix ullae aures patienter ferre possunt. Cuius rei non alia profecto causa est, quam quod hac una pronuntiandi virtute destituti sunt.

Hos autem auditorum vulgus eruditos quidem viros, dicendi tamen gratia carere, ait: gratiae videlicet nomine, hanc agendi & pronuntiandi virturem designans. Haec igitur una pars maxime in dicendo dominatur: sine qua summus etiam concionator esse in numero nullo potest; mediocris vero, hac instructus, summos saepe superare. Nam & infantes, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum tulerunt; & diserti multi, deformitate agendi, infantes putati sunt. Cuius rei ea vel praecipua causa esse videtur, quod auditores ita afficiuntur, ut ad eorum oculos & aures, vultus sermoque pervenit.

Hinc D. Bernardus, epist. *66.* solet, inquit, acceptior esse sermo vivus, quam scriptus; & efficacior lingua, quam littera: nec tam affectum exprimit scribens digitus, quam vul-

vultus. Non tam enim quid dicas, aut quibus verbis dicas, quam quo vultu & actione dicas, attendere homines ſolent. Id adeo verum eſt, ut ſi rem indigniſsimam lenta & languida voce pronunties, ita ipſi quoque eamdem concipiant, neque pro rei indignitate moveantur. Contra vero ſi levem alioqui iniuriam acri voce & vultu enuntiaveris, ſimilem motum auditorum animis incuties. Eſt enim pronuntiatio, ut in priori libro (a) diximus, velut extrema orationis forma, quae tales in auditorum animis motus & affectus ingenerat, quales dicentis vox, vultus, & geſtus prae ſe ferunt. Nec ad motus animorum tantum, ſed ad fidem etiam faciendam apta pronuntiatio plurimum valet. Quam rem adverſus Callidium oſtendit Cicero. (b) Callidius namque Gallum accuſavit, M. Tullio defendente: quumque accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quaeſtionibus probaturum, ſibi a reo fuiſſe praeparatum venenum; ſed interim rem tam atrocem remiſſo vultu, languida voce, ac reliquo geſtu parum concitato pronuntiaret: M. Tullius, an iſta, inquit, ſi vera eſſent, ſic a te dicerentur? tantum abeſt, ut inflammares noſtros animos, ut ſomnum iſto loco vix teneremus. Sed commodius erit, Fabium, huius virtutis laudes commemorantem, audire. Is igitur XI. oratoriarum inſtitutionum libro (c) ſic ait.

„ Habet.... (*pronuntiatio*) miram quamdam in oratio-
„ nibus vim ac poteſtatem. Neque enim tam refert, qualia
„ ſint, quae intra noſmetipſos compoſuimus, quam quo
„ modo efferantur. Nam ita quiſque ut audit, movetur.
„ Quare neque probatio ulla, quae modo venit ab orato-
„ re, tam firma eſt, ut non perdat vires ſuas, niſi adiu-
„ vetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant
„ neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius prope habitu corpo-
„ ris inardeſcant. Nam quum haec omnia fecerimus, feli-
„ ces, ſi tamen noſtrum illum ignem iudex conceperit: ne
„ dum eum ſupini ſecurique moveamus, ac non & ipſe no-
„ ſtra oſcitatione ſolvatur. Documento ſunt vel ſcenici acto-

„ res,

(a) *Lib. II. cap. 1. pag. 44.* (b) *In frag. orat. pro Q. Gal. apud Quinctil. lib. XI. cap. 3.* (c) *Cap. 3.*

„ res, qui & optimis poëtarum tantum adiiciunt gratiae,
„ ut nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta, de-
„ lectent; & viliſsimis etiam quibuſdam impetrent aures,
„ ut quibus nullus eſt in bibliothecis locus, ſit etiam fre-
„ quens in theatris.

„ Quod ſi in rebus, quas fictas eſſe ſcimus & inanes,
„ tantum pronuntiatio poteſt, ut iram, lacrimas, ſollicitu-
„ dinem afferat; quanto plus valeat neceſſe eſt, ubi & cre-
„ dimus? Equidem vel mediocrem orationem, commenda-
„ tam viribus actionis, affirmaverim, plus habituram eſſe
„ momenti, quam optimam, eadem illa deſtitutam. Siqui-
„ dem & Demoſthenes, quid eſſet in toto dicendi opere
„ primum interrogatus, (a) pronuntiationi palmam dedit,
„ eidemque ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quae-
„ ri deſineret: ut eam videri poſſet non praecipuam, ſed
„ ſolam iudicaſſe. Ideoque ipſe tam diligenter apud Andro-
„ nicum Hypocritem ſtuduit, ut admirantibus eius oratio-
„ nem Rhodiis, non immerito AEchines dixiſſe videatur:
„ quid ſi ipſum audiſſetis? Et M. Cicero unam in dicendo
„ actionem dominari putat. (b) Hac Cn. Lentulum plus
„ opinionis conſequutum, quam eloquentia, tradit. Eadem
„ C. Grachum, in deflenda fratris nece, totius populi Rom.
„ lacrimas concitaſſe, (c) Antonium & Craſſum multum
„ valuiſſe, plurimum vero Q. Hortenſium: cuius rei fides
„ eſt, quod eius ſcripta tantum intra famam ſunt, qui diu
„ princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis exiſti-
„ matus eſt, noviſsime, quoad vixit, ſecundus: ut appa-
„ reat, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non in-
„ venimus.

„ Et hercle quum valeant multum verba per ſe, & vox
„ propriam vim adiiciat rebus, & geſtus motuſque ſigni-
„ ficet aliquid; profecto perfectum quiddam fieri, quum
„ omnia coïerint, neceſſe eſt. Sunt tamen qui rudem il-
„ lam, & qualem impetus cuiuſque animi tulit, actionem
„ iudicent fortiorem, & ſolam viris dignam; ſed non alii
„ fe-

(a) *Apud Cic. de Orat. lib. III. cap. 56.* (b) *Cic. in Bruto, cap. 66.*
(c) *Ibid. cap. 38.*

„ fere, quam qui etiam in dicendo curam, & artem, &
„ nitorem, & quidquid ſtudio paratur, ut affectata & pa-
„ rum naturalia ſolent improbare; vel qui verborum, at-
„ que ipſius etiam ſoni ruſticitate, ut L. Cottam dicit Ci-
„ cero (a) feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. Ve-
„ rum illi perſuaſione ſua fruantur, qui hominibus, ut
„ ſint oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent ve-
„ niam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi ubi natu-
„ ra cura iuvetur: in hoc igitur non contumaciter con-
„ ſentio, primas partes eſſe naturae. Nam certe bene pro-
„ nuntiare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut
„ in his, quae ſubito dicenda erunt, facilitas promta de-
„ fuerit, nec ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt.
„ Corporis etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, ut
„ nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem, niſi liberalis,
„ actionem habere optimam poteſt. Bona enim firmaque,
„ ut volumus, uti licet: mala, vel imbecilla, & inhibet
„ multa, ut inſurgere, exclamare; & aliqua cogit, ut
„ ſummittere, deflectere, & raſas fauces, ac latus fatiga-
„ tum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loqui-
„ mur, cui non fruſtra praecipitur. „ Hactenus Fabius.

Quum ſit autem omnis actio in duas diviſa partes, vocem ſcilicet, & geſtum; quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos ſenſus omnis ad animam penetrat affectus: prius quidem de voce, deinde de geſtu, qui voci accommodatur, dicendum eſt. Sed antequam ſingulares huius partis obſervationes & praecepta tradamus, quem ad finem ea omnia referantur, explicandum eſt: ut fine rei cognito, facilius ea, quae ad finem deſtinata ſunt, percipiamus.

(a) *De orat. lib. III. cap. 11. & in Bruto, cap. 74.*

CAP. II.

IN QVEM FINEM SIVE SCOPVM OMNIA huius partis praecepta referenda sint.

QVamvis multa, ac varia de recte pronuntiandi ratione a rhetoribus sint tradita, tamen omnia ad unum dumtaxat finem referuntur; hoc est, ut ita dicamus, quemadmodum natura ipsa, & communis ac naturalis loquendi modus dictat esse loquendum: a quo declinare, ut contra naturam, ita contra decorum est. Neque enim aliud tota artis observatio agit, quam ut hunc naturalem loquendi modum exprimat. Qua in re vehementer errant, qui aliam putant esse debere vocis figuram, quum concionantur, quam quum loquuntur: quum eadem rerum natura eamdem utrobique agendi & pronuntiandi rationem exigat: nisi quod quum loquimur, vox quidem submissior; quum vero concionamur, propter loci amplitudinem, auditorumque frequentiam, eadem attollenda sit, ut ab omnibus audiatur. Quo magis mirandum est, tam paucos esse concionatores, qui in hac parte naturam ducem sequantur, quum nihil facilius esse prima fronte videatur, quam illius ductum & motum, qui natura omnibus insitus est, sequi. Vt autem, quid in hac parte sentiam, apertius significare valeam, quid mihi & cuidam novicio concionatori acciderit, indicabo. Is igitur rogavit me, ut concionantem audirem, quo illum postea, si quid mihi animadversione dignum videretur, admonerem. At is concionem omnem, quam ad verbum edidicerat, sine ulla vocis varietate ita pronuntiavit, ac si aliquem Davidis psalmum memoriter recitaret. Quum autem finita concione domum repeterem, vidi in itinere duas mulierculas acriter inter se contendentes atque rixantes. Quae ut veris animi affectibus concitatae loquebantur, ita varias quoque vocis figuras & flexus, pro ipsorum affectuum varietate, subinde commutabant. Tunc ego socio, qui mihi aderat: si ille, inquam, concionator has mulier-

cu-

culas audiſſet, & hanc ipſam pronuntiandi rationem imitaretur; nihil ei ad perfectam actionem, qua prorſus deſtitutus eſt, deeſſet.

Qua ex re colligitur, quod, quemadmodum pictores, quum vel arborum, vel avium, vel aliorum animantium corpora effingunt, dant operam, ut quam maxime poſſint, ad vivum ea exprimant; ut qui illa cernit, non tam picta, quam vera, ſe corpora cernere putet: ita concionator naturalem loquendi cunctorum hominum modum diligenter obſervet, atque eorum praecipue, qui hoc aptius & elegantius, & cum quadam dignitate faciunt; & hac una obſervatione, quidquid hic longa oratione praecipimus, erit aſſequutus. Animadverti aliquando pictorem quemdam, parvulum Ieſum in tabula exprimentem, qui paſſerculum manu prehenſum teneret: is autem, ut probe aviculam exprimeret, eamdem in manu vivam contemplabatur; ut ita demum effigies avis veram eius formam repraeſentaret. Idem ergo nobis agendum, ut diligenter & attente naturalem pronuntiandi rationem, qua viri, eleganti ingenio praediti, in familiaribus colloquiis utuntur, obſervemus; ut eamdem nos, dum concionamur, pro virili noſtra referre valeamus. Verum hoc, quamlibet facile ac naturale eſſe videatur, multi, ut iam diximus, minime aſſequuntur: ac multo minus illi, qui, quum verborum inopes ſint, & extemporali dicendi facultate careant, ad verbum conciones ediſcunt; & ita illas eodem vocis tenore, caecorum mendicantium more, pronuntiant. Haec ideo a me dicta ſunt, ut ſtudioſus concionator intelligeret, in quem finem omnia huius partis praecepta referenda ſint. Omnia enim eo tendunt, ut illam pronuntiandi rationem ſequamur, quam mortalibus cunctis natura ipſa, nullo docente, praeſcripſit. Quam qui probe fuerit aſſequutus, non admodum his noſtris praeceptionibus indigebit.

CAP. III.

QVATTVOR ESSE PRAECIPVAS PRONVNTIATIONIS *virtutes: quarum prima eſt, ut ſit emendata, hoc eſt, ut careat omni vitio.*

EST autem commodiſsima, maximeque naturalis, illa Fabii partitio, qua dicit, eaſdem in pronuntiatione virtutes, quas in eloquutione (a) poſuimus, ſpectandas eſſe. Sic enim ait: (b) „ non eſt alia ratio pronuntiationis, „ quam ipſius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, „ ornata, apta eſſe debet; ita haec quoque. Emendata „ erit, id eſt, vitio carebit, ſi fuerit os facile, explana- „ tum, iucundum, urbanum, id eſt, in quo nulla neque „ ruſticitas, neque peregrenitas reſonet. Non enim ſine „ cauſa dicitur, barbarum, Graecumve. Nam ſonis ho- „ mines, ut aera tinnitu, dignoſcimus. Ita fiet illud, quod „ Ennius (c) probat, quum dicit, ſuaviloquenti ore Ce- „ thegum fuiſſe: non quod Cicero in his reprehendit, quos „ ait latrare, non agere. „ Curabit etiam, ne ſimplicem vocis naturam pleniori quodam ſono, quod quidam faciunt, circumliniat. „ Itaque ſit ipſa vox primum, ut ſic „ dicam, ſana, id eſt, nullum eorum, de quibus nunc „ dixi, patietur incommodum; deinde non ſubſurda, ru- „ dis, immanis, dura, rigida, varia, praepinguis, aut „ tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effeminata; „ ſpiritus, nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu „ difficilis. „

Et quoniam in geſtu quoque & motu corporis ſua vitia ſunt, de his quoque hoc in loco breviter dicendum eſt, quod ea ſint cum vitiis pronuntiationis coniuncta: quamvis hac de re copioſius ſuo loco, ut pollitici ſumus, differemus. Curandum ergo eſt, ut quoties exclamandum erit, laterum conatus ſit ille, non capitis; ut geſtus ad vocem, vultus ad geſtum accommodetur. Obſervandum

erit

(a) *Lib. V. cap. 2. pag. 236.* (b) *Quinctil. Inſtit. lib. XI. cap. 3.* (c) *Apud Cic. in Bruto, cap. 15.*

erit etiam, ut recta ſit facies dicentis, ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum diſtendat, ne ſupinus vultus, ne deiecti in terram oculi, nec inclinata utrolibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus allevarentur, aliorum conſtricta, aliorum etiam diſſidentia, quum altero in verticem tenderent, altero paene oculus ipſe premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum eſt. Et nihil poteſt placere, quod non decet.

§. I.

SECVNDA PRONVNTIATIONIS VIRTVS, ut ſit dilucida.

„ Dilucida (a) vero erit pronuntiatio, primum, ſi verba „ tota exegerit, quorum pars devorari, pars deſti„ tui ſolet, pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus, „ dum priorum ſono indulgent. „ *Expreſſa enim debent eſ„ ſe verba.* „ Vt autem eſt neceſſaria verborum explana„ tio, ita omnes computare, & velut adnumerare litte„ ras, moleſtum & odioſum. Nam & vocales frequentiſſi„ me coëunt, & conſonantium quaedam in ſequente vo„ cali diſſimulantur. „ Praecipue vero ad hanc virtutem parandam adiuvat diſtinctio, hoc eſt, ut oratio, velut ipſa corporis membra, articulis ſuis diſtincta ſit: hoc eſt, ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & deſinat. „ In ipſis „ *tamen* diſtinctionibus tempus alias brevius, alias lon„ gius dabimus. Intereſt enim, ſermonem finiat, an ſen„ ſum. „ *Vbi enim orationis ſenſus perfecte finitur* „, depo„ nam, & morabor, & novum rurſus exordium faciam. „ Sunt aliquando & ſine reſpiratione quaedam morae et„ iam in periodis, ut in illa: (b) in coetu vero pop. Rom. „ negotium publicum gerens, magiſter equitum, & cete„ ra, multa membra habent: ſenſus enim ſunt alii atque

(a) *Quinctil. lib. XI. cap. 3.* (b) *Cic. in M. Ant. Philip. II.*

„ alii : & ſicut una circumductio eſt , ita paullum moran-
„ dum in his intervallis , non interrumpendus eſt contex-
„ tus ; & e contrario ſpiritum interim recipere ſine intel-
„ lectu morae neceſſe eſt : quo loco quaſi ſurripiendus eſt:
„ alioqui ſi inſcite recipiatur , non minus afferat obſcuri-
„ tatis , quam vitioſa diſtinctio. Virtus autem diſtinguen-
„ di fortaſſe ſit parva , ſine qua tamen eſſe nulla alia in
„ agendo poteſt. „ Haec omnia ex Fabio : (a) qui paucis
ſane verbis hanc virtutem ita commendavit , ut ſine ea nul-
lam aliam eſſe cenſeat.

Qua ex re liquet , graviter eos delinquere , qui ſumma celeritate tota fere concione ita dicunt , ut nullo in loco ſiſtant , nihil diſtincte dicant ; ſed uno ſpiritu , atque uno impetu , omnia percurrant. Aut enim memoriae diffidentes ita dicunt , ne , ſi aliter dixerint , aliquid e memoria excidat ; aut ita metu & trepidatione eorum animus obſeſſus eſt , ut ſui iuris eſſe non ſinantur , quod metus ille omnem animi ſenſum quodam modo ebibat ; & vix , quid dicant , aut quo modo dicant , attendere permittat. Quod quidem vitium inter maxima computandum eſt : in quod tamen plerique concionatores incidunt , atque ii maxime, qui huius officii rudes & velut tirones ſunt , vel magno oppreſsi metu dicunt. Hinc idem Fabius : (b) „ nec volu-
„ bilitate nimia confundenda , quae dicimus : qua & di-
„ ſtinctio perit , & affectus ; & non numquam etiam ver-
„ ba aliqua ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vi-
„ tium nimiae tarditatis. Nam & difficultatem invenien-
„ di fatetur , & ſegnitia ſolvit animos.... Promtum ſit
„ os , non praeceps ; moderatum , non lentum. Spiritus
„ quoque nec crebro receptus concidat ſententiam , nec
„ eo uſque trahatur , donec deficiat.... Quare longiorem di-
„ cturis periodum colligendus eſt ſpiritus : ita tamen , ut
„ id neque diu , neque cum ſono faciamus , neque omni-
„ no ut manifeſtum ſit : reliquis partibus optime in-
„ ter iuncturas ſermonis revocabitur. Exercendus au-
„ tem eſt , ut fit quam longiſsimus : quod Demoſthe-

„ nes

(a) *Inſtit. lib. XI. cap. 3.* (b) *Ibidem.*

„ nes ut efficeret, ſcandens in adverſum, continuabat
„ quam poſſet plurimos verſus.

§. II.

TERTIA PRONVNTIATIONIS VIRTVS, ut ſit ornata.

„ ORnata (a) eſt pronuntiatio, cui ſuffragatur vox facilis,
„ magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis,
„ clara, pura, ſecans aëra, auribus ſedens. Eſt enim quae-
„ dam ad auditum accommodata, non magnitudine, ſed
„ proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes
„ in ſe, qui deſiderantur, ſonos, intentioneſque, & to-
„ to, ut aiunt, organo inſtructa: cui aderit lateris firmitas,
„ ſpiritus cum ſpatio pertinax, tum labori non facile ceſſu-
„ rus. Neque graviſsimus, ut in muſica, ſonus, nec acutiſsi-
„ mus orationibus convenit. Nam & hic parum clarus, ni-
„ miumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt; &
„ ille praetenuis, & immodicae claritatis, cum eſt ultra
„ verum, tum neque pronuntiatione flecti, nec diutius fer-
„ re intentionem poteſt. Nam vox, ut nervi, quo remiſsior,
„ hoc gravior & plenior; quo tenſior, hoc tenuis &
„ acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rumpi
„ periclitatur. Mediis igitur utendum ſonis: hique, quum
„ augenda intentio eſt, excitandi; quum ſummitenda,
„ ſunt temperandi. „

Ad hunc etiam ornatum pertinet, ut vox, quatenus fieri poſsit, cum ſuavitate quadam, non quidem feminea, aut etiam affectata, ſed virili & naturali, prodeat: quae quidem res, ut in cantu, ita etiam in dicendo aures mulcet ac detinet. Quod ut praeſtare poſsimus, curandum, ne quum ſermo in contentione eſt, ita vocem ultra vires urgeamus, ut arteriae laedantur. Sic enim velut exaſperatur vox, & inſuavem quamdam raucedinem contrahit, quae ipſas etiam auditorum aures exaſperat. Hinc Fabius: (b) „ vox,

(a) *Idem loco cit. paullo ſuperius.* (b) *Loco cit. paullo inferius.*

„ inquit, ultra vires urgenda non eſt: nam & ſuffocata „ ſaepe, & maiore niſu, minus clara eſt. „ Moderandus ergo eſt ille impetus, nec ex toto ſic effundendus, ut & vox laedatur, & ſequentibus non ſufficiat. Hoc autem efficere, ſingularis cuiuſdam dexteritatis eſt. Impetus enim ille animi ſaepe ita mentem obruit, ut hoc animadvertere non ſinat. Quid autem ad hanc vocis ſuavitatem & firmitatem conducat, paullo fuſius Herenniana rhetorica docet. Cuius ſententiam hoc in loco attexere libuit.

Primum enim admonet, ut (a) „ quam maxime ſedata & depreſſa voce principia dicamus. Nam laeduntur „ arteriae, ſi ante quam leni voce permulſae ſunt, acri clamore compleantur. Etiam intervallis longioribus uti conveniet. Recreatur enim vox ſpiritu, & arteriae reticendo acquieſcunt. Et continuum clamorem remittere, & „ ad ſermonem tranſire oportet, (commutationes enim faciunt, ut nullo genere vocis effuſo, in omni voce integri ſimus) & acutas vocis exclamationes vitare. „ Ictus enim fit, & vulnerantur arteriae acuta atque „ attenuata nimis acclamatione: & ſi quis ſplendor eſt „ vocis, conſumitur uno clamore univerſus. Et uno ſpiritu „ continenter multa dicere in extrema convenit oratione. „ Fauces enim calefiunt, & arteriae complentur, & vox, „ quae varie tractata eſt, reducitur in quemdam ſonum „ aequabilem atque conſtantem. „ Quod ergo ad vocis integritatem utile, id eſt etiam auditoribus gratum.

„ Saepe rerum naturae gratia quaedam iure debetur, „ velut accidit in hac re. Nam quae diximus ad vocem ſervandam prodeſſe, eadem attinent ad ſuavitatem pronun„ tiationis: ut quod noſtrae voci profit, idem voluptate „ auditoris probetur. Vtile eſt ad firmitudinem vocis ſe„ data vox in principio. Quid inſuavius, quam cla„ mor in exordio cauſae? Intervalla vocem confirmant: „ eadem ſententias concinniores diviſione reddunt, & „ auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſervat vo-

„ cem

(a) *Ad Heren. lib. III. cap. 12.*

„ cem continui clamoris remiſsio. Et auditorem quidem
„ varietas maxime delectat, quum ſermone animum eius
„ retinet, aut exſuſcitat clamore. Acuta exclamatio vocem
„ & fauces vulnerat, eadem laedit auditorem. Habet enim
„ quiddam illiberale, & ad muliebrem potius vociferatio-
„ nem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accom-
„ modatum. In extrema oratione continens vox remedio
„ eſt voci. Quid? Haec eadem nonne animum vehemen-
„ tiſsime calefacit auditoris in totius concluſione cau-
„ ſae? „ Hactenus Herenniana rhetorica.

Ornatam quoque facit pronuntiationem vocis varietas rebus ipſis accommodata: de qua tamen mox dicemus, quod hoc ad rationem apte pronuntiandi magis pertineat: id quod non minus ad eius ornatum facit. Ars enim variandi cum gratiam praebet ac renovat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit: ut ſtandi, ambulandi, ſedendi, iacendi vices ſunt, nihilque horum pati unum diu poſſumus.

CAP. IV.

QVARTA PRONVNTIATIONIS VIRTVS, ut ſit apta.

HActenus de tribus pronuntiationis virtutibus, hoc eſt, de ratione emendate, dilucide, & ornate pronuntiandi diximus: ſupereſt quarta, & ea quidem praecipua ac ſumma, apte pronuntiandi virtus; quae rebus ipſis, quas dicimus, pro ipſarum natura, vocis figuram accommodat. Quae res ad attentionem auditorum excitandam, faſtidiumque vitandum miro modo adiuvat. Ad ſingulas quippe vocis mutationes & flexus, auditoris animus, qui ex loquentis ore pendet, tot intra ſe concipit motus, quot ille ſonos ſubinde mutat. Intelligit enim, non fruſtra illum rectam pronuntiandi formam in aliam atque aliam vocis figuram flectere: atque ita frequenter & attentionem renovat, & ſatietatem varietate vitat.

Qua

Qua de re ſic Fabius ait: (a) „ iam .. tempus eſt dicen-
„ di, quae ſit apta pronuntiatio, quae certe ea eſt, quae
„ iis, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem
„ maxima ex parte praeſtant ipſi motus animorum, ſonat-
„ que vox, ut feritur. Sed quum ſint alii veri affectus, alii
„ ficti & imitati; veri naturaliter erumpunt, ut dolen-
„ tium, iraſcentium, indignantium, ſed carent arte: ideo-
„ que non ſunt diſciplinae traditione formandi. Contra
„ qui effinguntur imitatione, artem habent, ſed hi ca-
„ rent natura: ideoque in his primum eſt bene affici, &
„ concipere imagines rerum, & tamquam veris moveri:
„ ſic velut media vox, quem habitum a nobis acceperit,
„ hunc *auditorum* animis dabit. Eſt enim mentis index, &
„ velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet.
„ Itaque laetis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodam
„ modo hilaris fluit. At in certamine erecta, totis viri-
„ bus, & velut omnibus nervis intenditur... At in blan-
„ diendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis &
„ ſubmiſſa. Suadentium, & monentium, & pollicentium,
„ & conſolantium, gravis: in metu, & verecundia, con-
„ tracta: adhortationibus fortis, diſputationibus teres,
„ miſeratione flexa & flebilis, & conſulto quaſi obſcu-
„ rior: ... in expoſitione ac ſermonibus, recta, & inter
„ acutum ſonum & gravem media. Attollitur autem
„ concitatis affectibus, compoſitis deſcendit, pro utriuſ-
„ que rei modo altius, vel inferius. „ Hactenus Fa-
bius.

Ex cuius verbis haud obſcure, quaenam ſit apta pro-
nuntiatio, colligitur. Ea namque eſt, quae non uno &
eodem tenore decurrit, ſed quae, ut ante (b) diximus, pro
rerum varietate & natura ſubinde vocem commutat: quae
grandia graviter, mediocria temperate, ſubmiſſa leniter,
atrocia vehementer atque acriter afferat; ut & verbis,
& rebus, quas dicimus, atque animo vox ipſa reſpon-
deat. Qua de re ſic idem Fabius ait: (c) „ vitemus... illam,
„ quae Graece monotonia vocatur, una quaedam ſpiritus

„ ac

(a) *Quinctil. lib. XI. cap.* 3. (b) *Pag.* 377. (c) *Loco cit.*

„ ac ſoni intentio ; non ſolum ne dicamus omnia clamoſe,
„ quod inſanum eſt , aut intra loquendi modum , quod
„ motu caret , aut ſubmiſſo murmure , quo etiam debili-
„ tatur omnis intentio : ſed ut in iiſdem partibus , iiſdem-
„ que affectibus , ſint tamen quaedam non ita magnae
„ vocis declinationes , prout aut verborum dignitas, ... aut
„ tranſitus poſtulabit : ut qui ſingulis pinxerunt coloribus,
„ alia tamen eminentiora , alia reductiora fecerunt : ſine
„ quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent.

„ Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratio-
„ ne nobiliſsima pro Milone principium : nonne ad ſin-
„ gulas paene diſtinctiones , quamvis in eadem facie , ta-
„ men quaſi vultus mutandus eſt? *Etſi vereor , iudices,*
„ *ne turpe ſit , pro fortiſsimo viro dicere incipientem ti-*
„ *mere.* Etiamſi eſt toto propoſito contractum atque ſub-
„ miſſum , quia & exordium eſt , & ſolliciti exordium;
„ tamen fuerit , neceſſe eſt , aliquid plenius , & erectius,
„ dum dicit , *pro fortiſsimo viro* , quam quum , *etſi ve-*
„ *reor* , & *turpe ſit* , & *timere.* Iam ſecunda reſpiratio in-
„ creſcat oportet , & naturali quodam conatu , quo mi-
„ nus pavide dicimus , quae ſequuntur , & quo magnitu-
„ do animi Milonis oſtenditur : *minimeqne deceat , quum*
„ *T. Annius ipſe magis de reipub. ſalute , quam de ſua,*
„ *perturbetur.* Deinde quaſi obiurgatio ſui eſt : *me ad*
„ *eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſ-*
„ *ſe.* Tum invidioſiora : *tamen haec novi iudicii nova for-*
„ *ma terret oculos.* Illa vero iam paene apertis , ut aiunt,
„ tibiis : *qui quocumque inciderunt , veterem conſuetudi-*
„ *nem fori , & priſtinum morem iudiciorum requirunt.*
„ Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt. *Non enim*
„ *corona conſeſſus veſter cinctus eſt , ut ſolebat.* Quod no-
„ tavi , ut appareret , non ſolum in membris cauſae , ſed
„ etiam in articulis eſſe aliquam pronuntiandi varietatem,
„ ſine qua nihil neque maius neque minus eſt. „

Verum haec in genere de communibus pronuntiandi virtutibus dicta ſunt : reliquum eſt , ut , cuiuſmodi pronuntiatio ſingulis orationis partibus adhibenda ſit , dili-

gen-

genter inſpiciamus. Atque ut ordine hanc partem plenius tractemus, neque quidquam a nobis praetermiſſum eſſe videatur; eam methodum ſequemur, quam dialectici, ceteraeque diſciplinae obſervare ſolent: quae rem totam & partes eius ad prima uſque elementa revocant. Itaque dialectici, quibus de ſyllogiſmo tractare propoſitum eſt, prius quam ad hoc veniatur, de ſyllogiſmi partibus, nempe de propoſitionibus, ex quibus ſyllogiſmus conficitur, diſſerunt. Quia vero propoſitiones ſingularibus vocibus conſtant, de illis etiam in libris praedicamentorum tractant: atque iis omnibus praelibatis, ad ſyllogiſmorum rationem explicandam veniunt. Hanc igitur methodum nos quoque in pronuntiandi facultate tradenda ſequemur: niſi quod primo loco de praecipuis orationis partibus, ſecundo vero de variis ſententiis, quae in eiſdem partibus continentur, ac poſtremo de ſingulis verbis, ex quibus ſententiae conſtant, quo modo pronuntianda ſint, diſſeremus.

CAP. V.

CVIVSMODI PRONVNTIATIO TRIBVS praecipuis orationis partibus, hoc eſt, expoſitioni, argumentationi, & amplificationi, conveniat.

VT igitur, quod primo loco poſuimus, expediamus, meminiſſe debemus, quid in huius operis initio (a) a nobis dictum ſit: nempe orationem omnem aut in expoſitione, aut in argumentatione, aut in amplificatione verſari. Conſtat autem vel rudibus etiam, aliam pronuntiandi rationem in expoſitione, aliam in argumentatione, aliam in amplificatione requiri. Hae autem tres partes alias etiam ſub ſe continent. Expoſitioni namque exordium, narratio, propoſitio, atque diviſio finitima ſunt. In argumentatione vero aliquando probamus, aliquando improbamus & confutamus; & interdum quidem ſedatius atque ſubtilius, interdum vero acrius & concitatius & ve-

(a) *Lib. II. cap. 3. pag. 49.*

vehementius disputamus. In amplificatione autem maior varietas est. In hac enim diversarum rerum magnitudinem attollimus & amplificamus, & varios item affectus, nempe amorem, odium, admirationem, dolorem, & metum, aliosque similes animi motus, excitare nitimur: inter quos indignatio & commiseratio a rhetoribus praecipue numerantur. In his ergo affectibus tractandis tam varia esse actio debet, quam affectus ipsi varii sunt; ut suo loco (a) monstrabimus. Nunc, quid unaquaeque harum partium exigat, considerемus.

§. I.

EXpositioni igitur, quam ex tribus orationis partibus primam fecimus, finitima est, ut diximus, exordii, & narrationis actio: haec enim tria non acrem & concitatam, sed sedatam actionem postulant. In expositione ergo quum citra argumentationem rem aliquam, aut obscurum locum exponimus, sedata pronuntiatione opus est; intervallis tamen distincta, voceque paullulum pro sententiarum natura variata: ut ipsa pronuntiatione eas res, quas demonstrabimus, animis auditorum inferere videamur.

De exordio vero sic Fabius ait: (b) „ *exordio* frequentissime lenis convenit pronuntiatio. Nihil est enim ad „ conciliandum gratius verecundia... *Itaque* & vox temperata, ac gestus modestus, & sedens humero toga, & „ laterum lenis in utramque partem motus, eodem spectantibus oculis, decebit. „ Hactenus Fabius. Qua in re non leviter concionatores quidam peccare solent, qui vel ostentandae eruditionis, vel ingenii, vel libertatis cuiusdam gratia, ita dicere incipiunt, ut quadam arrogantiae suspicione non careant. Quin & auditores hac agendi libertate quodam modo se contemni arbitrantur. Alii vero in ipso etiam exordio acri actione utuntur. Quod tunc maxime faciunt, quum frequentissimus ad audien-

(a) *Pag. 383. seq.* (b) *Instit. lib. XI. cap. 3. sub fin.*

diendum populus confluxit. Tunc enim partim maiori ad dicendum calore atque impetu concepto, partim ut vox ab omnibus audiatur, eam plus, quam par eſt, urgent atque attollunt. Quo fit, ut eos non modo vox, ſed vires etiam in medio orationis curſu deſtituant: atque ita qui acriter coeperunt, lente & languide, viribus fatiſcentibus, ſermonem finiant. Hi autem non advertunt, quod vulgo dici ſolet, non ex flamma fumum, ſed ex fumo flammam excitari debere. Hoc ergo tempore peritus concionator prudenter animi ſui impetum cohibeat, & ad maiora illum magiſque neceſſaria reſervet.

Sequitur narratio. Ea vero, ut Fabius ait, (a) magis prolatam manum, geſtum diſtinctum, & vocem ſermoni proximam: ſonum autem ſimplicem frequentiſsime poſtulabit in his, quae nullos continent animorum motus, aut quid ſimile, quod variam agendi rationem exigat. Eſt autem difficilior narrationis, quam argumentationis aut amplificationis, actio. In his enim partibus, diſputandi aut amplificandi ardor, & motus animi, actionem inſtruunt & adiuvant. At quum narratio minus actuoſa, minimeque ardens & concitata eſſe debeat; ſola dicentis arte atque prudentia moderanda eſt. Quamvis non infitior, eſſe narrationes aliquas, quae hos affectus recipiant: quarum actio non perinde difficilis eſt. In omni igitur narratione vocum varietate opus eſt, ut quo pacto quidque geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenue quod volumus oſtendere factum, celeriuſcule dicemus: deinde modo acriter, tum clementer, maeſte, hilariter in omnes partes commutabimus, ut verba, ita pronuntiationem. Si qua inciderint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quae admirationes, de quibus nos narrabimus; diligenter advertemus, ut omnium perſonarum ſenſus atque animos voce exprimamus.

Maxime varia eſt actio probationum: nam proponere, quae ſis dicturus, atque in partes dividere, & explicare, quid conveniat, & quid in controverſia ſit, expoſitioni, de

(a) *Loco citato.*

de qua modo diximus, ſimilia ſunt. At (a) „ argumen-
„ tatio plerumque agilior, & acrior, & inſtantior, con-
„ ſentientem orationi poſtulat etiam geſtum, id eſt, for-
„ tem celeritatem. Inſtandum quibuſdam in partibus, &
„ denſanda oratio. „ Hic oportebit augere vocem, & tor-
quere ſonum, & celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſsit. Aſſeveratio autem, quae inter probandum occurrit, interdum plus ipſis probationibus valet. Fiducia igitur appareat, & conſtantia, utique ſi auctoritas ſubeſt. Ceterum quum rationes ac probationes difficiles ad intelligendum ſunt, utpote ex philoſophiae aut Theologiae abditis petitae; tunc impetus hic cohibendus eſt, & ſedata actione, acuta voce, & longioribus intervallis utendum eſt; ut hac diſtinctione apertior ſit oratio, & auditoribus mora detur ac ſpatium cogitandi & percipiendi, quae dicta ſunt. Celeritas enim & volubilitas linguae non modo tardioribus, ſed eruditis etiam impedimento eſt, quo minus ea, quae dicuntur, intelligant. Haec igitur argumentandi ac probandi ratio, expoſitioni ac demonſtrationi, quam argumentationi, ſimilior eſt.

Amplificatio vero, quae tertiam ſermonis partem complectitur, in affectibus praecipue locum habet: qui, ut paullo ante diximus, (b) tam variam vocis & actionis figuram deſiderant, quam ſunt ipſi varii. Prima igitur ad hoc cura eſſe debet, ut affectus & motus animi in nobis ſint; tunc enim ipſi naturali vi ſua erumpent: & ut veri motus ſunt, ita vere auditores afficient. Neque aliud agit ars, quam ut naturam imitetur: ad quam tamen ars nulla, quamlibet conſummata ſit, pertingere poteſt. Ideoque numquam declamatores id efficiunt, quod ſancti viri, Spiritu Dei acti, & veris affectibus concitati, efficere dicendo potuerunt. Qui ſic igitur commotus fuerit, is plane, ipſo affectu docente, intelliget, quam diſsimili vocis figura affectus tractandi ſint. Aliud enim vocis genus poſtulat miſeratio ac maeror: flexibile, plenum, interruptum, flebi-

(a) *Quinctil. loc. cit. paullo inferius.* (b) *Pag.* 381.

bili voce. Aliud metus: demiſſum, & haeſitans, & abiectum. Aliud vis: contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione gravitatis. Aliud voluptas: effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum. Aliud iracundia: acutum, incitatum, crebro incidens. Atrox enim vox eſſe debet in ira, aſpera, ac denſa, & reſpiratione crebra: neque poteſt eſſe longus ſpiritus, ubi immoderate effunditur.

Sequitur deinde altera pronuntiationis obſervatio, quae ad peculiares ſententias pertinet: quae ſub his praecipuis orationis partibus, quas ſupra memoravimus, (a) continentur: de qua non nulla iam diximus, quum de apta pronuntiandi ratione (b) differuimus. Sed quoniam haec pars praecipuam pronuntiandi virtutem continet, de ea copioſius paullo poſt, propoſitis variis exemplis, tractabimus. Nunc ad aliam veniamus.

Supereſt enim quod tertio loco polliciti ſumus, de ſingularium verborum pronuntiatione. Non enim in ſententiis ſolum, ſed frequenter etiam in ſingulis verbis alia atque alia vocis figura adhibenda eſt. (c) „ An non haec, „ inquit Fabius, *miſellus & pauperculus*, ſubmiſſa atque „ contracta? *fortis, & vehemens, & latro*, erecta & con„ citata voce dicenda ſunt? Accedit enim vis & proprie„ tas rebus tali adſtipulatione: quae niſi adſit, aliud vox, „ aliud animus oſtendat. Quid quod eadem verba mutata „ pronuntiatione indicant, ... interrogant, irrident, ele„ vant? Aliter enim dicitur: (d) *tu mihi quodcumque hoc* „ *regni*. Et: (e) *cantando tu illum*? Et: (f) *tu ne ille AEneas*? „ Et: (g) *meque timoris Argue tu, Drance*. Et ne mo„ rer, intra ſe quiſque, vel hoc, vel aliud, quod volet, „ per omnes affectus verſet: verum eſſe, quod dicimus, „ ſciet. „ Hactenus Fabius. Plurima autem in ſcripturis ſanctis verba invenire licet, quae hac vocis acrimonia enuntianda ſint. Tale eſt illud: (h) ignis accenſus eſt in fu-

(a) *Pag.* 380. (b) *Pag.* 377. *ſeq.* (c) *Quinct. inſtit. lib. XI. c.* 3. *ſub fin.* (d) *Virg. AEneid. lib. I. v.* 82. (e) *Virg. Ecl. III. v.* 25. (f) *Virg. Eneid. lib. I. v.* 621. (g) *Virg. AEneid. XI. v.* 384. (h) *Deut.* 32.

furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſsima, devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Et: (a) inebriabo ſaggitas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes. Hic ſingula verba peculiarem quamdam vocis amplitudinem cum acrimonia coniunctam deſiderant. Sic illud D. Chryſoſtomi: ut leones ignem ſpirantes ab illa menſa diſcedimus, terribiles daemonibus effecti. Videndum tamen in his, ne nimio boatu vocem affectata quadam amplitudine a naturali ſono detorqueamus. Nihil enim affectatum, nihil a natura ipſa degenerans placere poteſt. In quo vitio ſunt, qui, quum tenuem & puſillam vocem habeant, inflatis, ut ita dixerim, buccis hanc vocis amplitudinem & acrimoniam referre volunt.

CAP. VI.

DE GESTV ET MOTV CORPORIS.

DIximus, (b) perfectam pronuntiandi & agendi rationem apta vocis figura & geſtu corporis contineri. Quia vero de vocis figura & varietate ſatis dictum eſt, proximum eſt, ut de geſtu & motu corporis pauca dicamus: atque ea in primis, quae a Fabio animadverſa ſunt, qui hanc partem diligentiſsime tractavit; utpote qui nullam fere corporis partem praetermiſit, cui non ſuam faciem geſtumque praebuerit. Geſtus ergo primum, ut idem ait, (c) voci conſentiat, & utrumque, vox ſcilicet & geſtus, animo ſimul pareat. (d) „ Is vero quantum habeat in ora„ tione momenti, ſatis vel ex eo patet, quod pleraque et„ iam citra verba ſignificat. Quippe non manus ſolum, ſed „ nutus etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis „ pro ſermone ſunt: & ſalutatio frequenter ſine voce in„ telligitur atque afficit: & ex ingreſſu vultuque perſpi„ citur habitus animorum: & animalium quoque, ſermone

(a) *Deut.* 32. (b) *Pag.* 369. & 372. (c) *Lib. XI. cap.* 3. *ad ſenſum.* (d) *Hinc ad litteram.*

„ carentium, ira, laetitia, adulatio, & oculis, & qui-
„ buſdam aliis corporis ſignis deprehenditur. Nec mirum, ſi
„ iſta, quae tamen in aliquo ſunt poſita motu, tantum in
„ animis valent; quum pictura, tacens opus, & habitus
„ ſemper eiuſdem, ſic in intimos penetret affectus, ut ipſam
„ vim dicendi non numquam ſuperare videatur. Contra ſi
„ geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus
„ hilares, affirmemus aliqua renuentes; non auctoritas
„ modo verbis, ſed etiam fides deſit. Decor quoque a ge-
„ ſtu atque a motu venit: ideoque Demoſthenes, grande
„ quoddam intuens ſpeculum, componere actionem ſolebat.
„ Adeo quamvis fulgor ille ſiniſtras imagines reddat, ſuis
„ demum oculis credidit quod efficeret.

„ Praecipuum vero in actione, ſicut in corpore ipſo,
„ caput eſt, cum ad illum, de quo dixi, decorem, tum
„ etiam ad ſignificationem decoris. Illa ſunt, ut ſit primo re-
„ ctum, & ſecundum naturam. Nam & deiecto humilitas,
„ & ſupino arrogantia, & in latus inclinato languor, &
„ praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis oſtendi-
„ tur. Tum accipiat aptos ex ipſa actione motus, ut cum
„ geſtu concordet, & manibus ac lateribus obſequatur.
„ Adſpectus enim ſemper eodem vertitur, quo geſtus, ex-
„ ceptis, quae aut damnare, aut non concedere, aut a nobis
„ removere oportebit: ut idem illud vultu videamur averſa-
„ ri, manu repellere: (a)

..... *Dî, talem terris avertite peſtem.* Et, (b)

..... *Haud equidem tali me dignor honore.*

„ Significat vero plurimis modis. Nam, praeter annuendi,
„ renuendi, confirmandique motus, ſunt & verecundiae,
„ & dubitationis, & admirationis, & indignationis, noti
„ & communes omnibus. Solo tamen eo facere geſtum, ſce-
„ nici quoque doctores vitioſum putaverunt. Etiam frequens
„ eius nutus non caret vitio: adeo iactare id, & comas ex-
„ cutientem rotare, fanaticum eſt. Dominatur autem ma-
„ xime vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc
„ triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſubmiſſi ſumus: hoc

„ pen-

(a) *Virg. AEneid. lib. III. v. 620.* (b) *Idem lib. I. v. 339.*

„ pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant, etiam
„ antequam dicamus: hoc quoſdam amamus, hoc odi-
„ mus, hoc plurima intelligimus: hic eſt ſaepe pro omni-
„ bus verbis.

„ (a) Sed in ipſo vultu plurimum valent oculi, per quos
„ maxime animus emanat, ut citra motum quoque, & hi-
„ laritate eniteſcant, & triſtitia quoddam nubilum du-
„ cant. Quin etiam lacrimas his natura mentis indices de-
„ dit: quae aut erumpunt dolore, aut laetitia manant. Mo-
„ tu vero intenti, remiſsi, ſuperbi, torvi, mites, aſperi
„ fiunt: quae, ut actus popoſcerit, fingentur.....Labra & por-
„ riguntur male, & ſcinduntur, & adſtringuntur, & didu-
„ cuntur, & dentes nudant, & in latus, ac paene ad au-
„ rem trahuntur.... Lambere quoque ea & mordere, defor-
„ me eſt, quum etiam in efferendis verbis modicus eorum
„ eſſe debeat motus. Ore enim magis, quam labris, loquen-
„ dum eſt. Cervicem rectam oportet eſſe, non rigidam
„ aut ſupinam... Manus vero, ſine quibus trunca eſſet actio
„ ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, quum
„ paene ipſam verborum copiam perſequantur. Nam cete-
„ rae partes loquentem adiuvant, hae, prope eſt ut di-
„ cam, ipſae loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur?
„ vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abo-
„ minamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium,
„ triſtitiam, dubitationem, confeſsionem, poenitentiam,
„ modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus? Non
„ eaedem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? ad-
„ mirantur? verecundantur? Non in demonſtrandis locis
„ atque perſonis adverbiorum atque pronominum obti-
„ nent vicem? Vt in tanta per omnes gentes, nationeſque
„ linguae diverſitate, hic mihi omnium hominum commu-
„ nis ſermo videatur. Et ii quidem, de quibus ſum loquutus,
„ cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus. „ Hactenus
Fabius. Idemque multa de digitorum & manuum motu at-
que compoſitione docet: quae nos, quod minus inſtituto no-
ſtro conveniant, conſulto miſſa fecimus.

(a) *Ibidem paucis interiectis.*

Illam autem manus atque digitorum figuram probamus, qua cum pollice duo ſequentes digiti coëunt: aut quando ſolus index, ceteris ſub pollice compreſsis, directus & protenſus eſt. Hic autem digitorum poſitus ad omnia fere, quae dicimus, valet. Interdum etiam, diducto pollice, quattuor reliqui apte iunguntur, quando aut pectori manum admovemus, aut etiam aliquid averſantes ab eodem removemus. Siniſtra vero manus numquam ſola recte geſtum facit, dexterae ſe frequenter accommodat: idque praecipue dexterae manus indice in ſiniſtrae pollicem aut indicem incidente, aut alternis motibus, modo pollicem, modo indicem feriente. (a) „ Hic veteres artifices illud recte „ adiecerunt, ut manus cum ſenſu & inciperet & depo„ neret. Alioqui enim aut ante vocem erit geſtus, aut poſt „ vocem: quod eſt utrumque deforme. „ Illud etiam advertendum, ne vox a geſtu, vel geſtus a voce diſſentiat. Vnde Polemon ſophiſta (b) hiſtrionem tragoediarum, qui in Olympiis, o Iuppiter! pronuntiaret, oſtenſa terra: o terra! manu in caelum proiecta, ſubmovit a praemiis, praeſidebat enim ei certamini, dicens: hic manu commiſit ſoloeciſmum. Cetera vero, quae de corporis & membrorum geſtu praecipi poſſunt, communis prudentiae iudicio, & naturae inſtinctui relinquimus.

CAP. VII.

DE VITIIS PRONVNTIATIONIS & actionis.

QVemadmodum in ſuperiori libro, poſtea quam elocutionis virtutes expoſuimus, communia quaedam eius vitia (c) adnotavimus; ita nunc idem facere viſum eſt, quum de pronuntiandi ratione agimus. Quamvis enim facile ſit, virtutibus cognitis, vitia cognoſcere; vitium enim eſt, quidquid virtutibus adverſatur: apertior tamen doctrina fuerit, ſi ſeorſum vitia deſignentur. Primum au-

(a) *Quinctil. loco cit. paullo infer.* (b) *Philoſtratus in Polemone, pag.* 541. (c) *Cap. XXI. pag.* 358. *ſeqq.*

aũtem atque vulgatiſsimum vitium eſt, vocis aequalitas: quod Graeci monotoniam, hoc eſt, unum quemdam vocis ſonum, appellant; quum is, qui dicit, eodem vocis tenore, ſine ullo eius flexu ac varietate, tota fere concione decurrit, more eorum, qui quam orationem memoria complexi ſunt, recitare ſolent. In hoc autem vitium huius officii tirones frequenter incidunt. Metu enim ac trepidatione quadam inſoliti operis preſsi, vix quidquam aliud, quam ne, quod dicturi ſunt, memoria excidat, attendunt. Numquam autem quiſque apte dicet, niſi qui hoc metu & cura ſolutus, liber, & ſui ipſius compos ſit: quo, & quid dicat, & quo modo dicat, prudenter inſpiciat.

Huic autem contrarium vitium eſt, vocis inaequalitas: in quo peccant, qui prius illud vitium effugere contendunt. Sic enim frequenter accidit, ut qui vitium aliquod vitare ſtudent, in alterum, quod ei adverſatur, incidant: ut ii faciunt, qui, avaritiae labem & infamiam fugientes, in prodigalitatis foveam labuntur. Vt enim ſimplicem illum vocis tenorem declinent, vocem ipſam, non pro natura rerum, ſed pro ſuo arbitratu, temere illam modo in ſublime attollunt, modo ad imum deprimunt: quae res & graviter auditorum aures laedit, & inſanam ac temerariam libertatem prae ſe ferre videtur. Ab hac autem pronuntiandi ratione graves homines, & ſana ingenia, maxime abhorrent.

Eſt autem aliud aequalitatis vitium, quod utriuſque huius naturam referre videtur. Habet enim cum inaequalitate coniunctam aequalitatem. Eſt autem vitium hoc adeo occultum, ut vix verbis indicari poſsit. Quidam enim, hunc ſimplicem vocis ſonum fugere ſtudentes, quamdam pronuntiationis formam captant, quae ſuos etiam vocis flexus & varietatem habeat, & neque a communi & familiari loquendi conſuetudine abhorreat: quam tamen omnibus concionis partibus accommodant. Sive enim aliquid narrent, ſive argumententur, ſive rem attollant atque amplificent; eamdem fere pronuntiandi figuram retinent. Quod perinde

eſt, ac ſi quis omnibus corporis partibus idem veſtimenti genus aptare velit. Quod quidem vitium auditor minime ſtupidus in non nullis concionatoribus deprehendet. Qua quidem animadverſione facilius intelliget, quod nos hoc in loco vix verbis explicare poſſumus.

Eſt & aliud vitium nimiae tarditatis, quo quidam lenta pronuntiatione, longioribuſque intervallis, tota fere concione utuntur. Quae res tantum abeſt, ut auditores afficiat, ut ſomnum etiam frequenter illis incutiat. Cui contrarium eſt vitium nimiae celeritatis: quo multo plures laborant; ſive quod memoriae diffidant, niſi ita dicant; ſive quod ea libertate careant, qua dicunt, qui, nullo trepidationis affectu oppreſsi, ſui ipſorum, & eorum, quae dicuntur, compotes ſunt. Iſti enim modo celerius, modo tardius, modo longioribus, modo brevioribus intervallis, pro rerum natura & dignitate, uti ſolent. Vtrumque enim vitium eſt, & celeri omnia, & tarda voce pronuntiare. Quocirca varietas, ut in vocis figura, ita in celeritate & tarditate adhibenda eſt. Quamvis ſi in alteram partem peccandum ſit, fortaſſe gravius peccant, qui nimia velocitate, quam tarditate, dicunt. Initio tamen concionis, quamdiu dicentis animus nondum incaleſcet, ut ſedatae & lenes ſententiae, ita ſedata & lenis actio, & longioribus intervallis diſtincta, quae aliquam dicenti ad ea, quae dicit, excogitanda moram praebeat, non immerito commendatur.

Vt autem in tarditate & celeritate, ita in acrimonia & remiſsione atque languore ſua vitia, his non admodum diſsimilia, notantur. Sunt enim quidam acri & vehementi ingenio, qui tota fere concione velut quodam perciti furore dicunt. Quod quidem non raro ex quadam animi trepidatione proficiſcitur. Vt enim arbores arboribus, ita affectus affectibus inſeruntur: atque ita alii ex aliis vim & impetum capiunt. Qui igitur ita dicunt, in hoc incommodum incidunt, ut quum rem indignam acri pronuntiatione dixerint, nequaquam tamen auditores commoveant; propterea quod animadvertunt, eos omnia, quae dicunt, ſi-

ve

ve levia, ſive gravia ſint, ſimili vocis impetu pronuntiare. Quocirca delectum habere convenit, ut ſciamus, quae acriori, quae leniore voce proferenda ſint, ut ſuum cuique velut ius atque habitum praebeamus. Non abnuo tamen, magis ad dicendum compoſitos eſſe, qui acres & ardentes ſunt, ſi hunc ardorem ſuum regere ſciant, eoque ſuis in locis utantur: ſic tamen, ut ne tunc quidem quum eo utendum eſt, totas fervori ſuo habenas permittant; ne fauces ita laedant, ut vocem exaſperent, & illiberali quadam atque incondita raucedine inficiant. Videant hi quoque, non protinus ad hanc pronuntiandi rationem initio ſtatim concionis veniendum eſſe. Si enim, nondum praeparatis auditoribus, in hunc affectum irruperint, inſanire tamquam vinolenti videbuntur.

Quia vero multi concionatores ſe ſe ad aliorum, qui ſunt huius artificii principes, imitationem accingunt; eorumque non modo eloquentiam, ſed etiam agendi & pronuntiandi rationem referre ſtudent: monendi ſunt, ut caute hoc atque prudenter agant. Quum enim in actione praecipue ſpectetur decorum; ſciant hi, non omnia omnes decere. „ Eſt enim, ut Fabius ait, (a) latens quaedam in hoc ratio, „ & inenarrabilis: & ut vere hoc dictum eſt, caput eſſe ar„ tis, decere quod facias, ita id neque ſine arte eſſe, neque „ totum arte tradi poteſt. In quibuſdam virtutes non ha„ bent gratiam, in quibuſdam vitia ipſa delectant. Maximos „ actores comoediarum Demetrium, & Stratoclem placere „ diverſis virtutibus vidimus... Fuit enim (*eorum*) natura „ diverſa. Nam vox quoque Demetrii iucundior, illius acrior „ erat... Quare norit ſe quiſque, nec tantum ex communi„ bus praeceptis, ſed etiam ex natura ſua capiat conſilium „ formandae actionis. „ Itaque quod idem Fabius in clariſſimorum auctorum lectione atque imitatione docet, idem in imitanda inſignium concionatorum pronuntiatione conſilium ſequi debemus. Sic enim ait: (b) „ neque id ſtatim legenti „ perſuaſum ſit, omnia, quae magni auctores dixerint, uti„ que eſſe perfecta: nam & labuntur aliquando, & oneri

(a) *Lib. XI. cap. 3. ſub finem.* (b) *Inſtit. lib. X. cap. 1.*

„ cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec „ ſemper intendunt animum, & non numquam fatigantur; „ quum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio „ vero etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, ho„ mines tamen: acciditque iis, qui quidquid apud illos re„ pererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, „ id enim eſt facilius; ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia „ magnorum conſequantur. „ Haec ſunt communia pronuntiationis vitia: nunc ſimili ratione actionis, hoc eſt, geſtus vitia, quae fere contingunt, indicanda ſunt.

§. I.

GESTVS VITIA.

VT autem a digitis & manibus ordiamur, primum vitium eſt, diductis omnibus digitis ſupinam palmam, more eorum qui ſtipem poſtulant, protendere. Secundum vero ab hoc diverſum eſt, quo quidam digitos omnes ita comprimunt, ut ii faciunt, qui e fonte aquam manu haurire volunt, quod non minus indecorum eſt. Averſo autem pollice demonſtrare aliquid, receptum magis putat Fabius, (a) quam oratori decorum.

Brachiis quoque non uno modo peccatur. Primum enim vitioſe dextrum brachium proferunt, & cubito pronuntiant. Quod ego vitium in diſerto etiam concionatore animadverti. Aliud vero brachiorum vitium eſt, quum plus nimio vel in ſummum, vel in imum, vel in latera, inſtar eorum qui cruci affixi ſunt, protenduntur. Hinc Fabius: (b) „ tolli, „ inquit, manum artifices ſupra oculos, demitti infra pe„ ctus vetant: adeo a capite eam petere, aut ad imum ven„ trem deducere, vitioſum habetur. „ Idemque palmas complodere, quod modo multi concionatores paſsim faciunt, ſcenicum eſſe ait. Quamvis enim hoc in re maxima non num-

quam

(a) *Inſtit. lib. XI. cap. 3. paullo poſt medium. Quo ex capite omnia pronuntiationis praecepta & vitia, quae ad litteram, quae ad ſenſum, excerpſit auctor.* (b) *Ibidem.*

quam deceat ; frequenter tamen illud facere , & aures , & oculos auditorum offendit : quum praesertim is , qui hoc facit , ardeat ; illi vero saepe langueant, vel minus fortasse attenti sint. Nec minus foede quidam suggestum palmis feriunt. Vitium enim hoc , sicut & illud. „ Femur autem feri-
„ re , inquit Fabius , (a) quod Athenis primus feciſſe credi-
„ tur Cleon , & usitatum est , & indignantes decet , & exci-
„ tat auditorem. Idque in Callidio Cicero (b) desiderat.
„ Non frons , inquit , percussa , non femur... Quamquam
„ si licet , de fronte dissentio. „ Hactenus ille. Idemque humerorum vitium his verbis describit : (c) „ iactantur & hu-
„ meri : quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse , ut
„ quum in angusto quodam pulpito stans diceret , hasta hu-
„ mero dependens immineret ; ut si calore dicendi vitare id
„ excidisset , offensasione illa commoneretur. „

Quid autem hic illos referam , qui & pedibus , & brachiis , & irrequieto corporis motu digladiari magis , quam agere, videntur ? Modo enim medium corpus frangunt, modo se intra suggestum demisso corpore condunt , modo inde velut emergunt , & in sublime attolluntur. Vt igitur languida actio motu caret , ita nimium actuosa deformis & indecora est. Modus enim est rebus adhibendus : quod enim aut supra modum , aut infra est, & a recto declinat , & intuentes offendit.

Supereſt aliud vitium , cui auditorum voluptas, & ignorantia , virtutis nomen indidit : quum videlicet partim gestu , partim etiam voce aliorum dicta aut facta , histrionum more , imitamur. Gestus autem exemplum ponit Fabius : (d)
„ si *videlicet* aegrum tentantis venas medici similitudine,
„ aut citharoedum , formatis ad modum percutientis nervos
„ manibus ostendas , quod est genus quam longissime in
„ actione fugiendum. Abesse enim plurimum a saltatore de-
„ bet orator , ut sit gestus ad sensus magis , quam ad verba,
„ accommodatus : quod etiam histrionibus paullo graviori-
„ bus facere moris fuit. Ergo ut ad se manum referre, quum

„ de

(a) *Loco cit. paullo inferius.* (b) *In Bruto, cap.* 79 & 80. (c) *Loco cit. paullo inferius.* (d) *Lib. XI. cap.* 3. *circa medium.*

„ de se ipso loquatur, & in eum, quem demonstret, inten-
„ dere, & aliqua his similia permiserim; ita non effingere
„ status quosdam, & quidquid dicet, ostendere. Neque id in
„ manibus solum, sed in omni gestu ac voce servandum est.
„ Non enim aut in illa periodo: (a) stetit soleatus praetor
„ pop. Rom. inclinatio incumbentis in mulierculam Ver-
„ ris effingenda est. Aut in illa: (b) caedebatur in medio fo-
„ ro Messanae, motus laterum, qualis esse ad verbera so-
„ let, torquendus: aut vox, qualis dolore exprimitur, eruen-
„ da. Quum mihi comoedi quoque pessime facere videan-
„ tur, qui... quum... in expositione aut senis sermo, ... aut
„ mulieris... incidit, tremula, vel effeminata voce pronun-
„ tiant. Adeo in illis quoque est aliqua vitiosa imitatio,
„ quorum ars omnis constat imitatione. „ Hactenus Fabius:
qui si in oratore, qui de rebus ad brevis huius aevi usum
pertinentibus disputat, hanc imitationem indecoram pu-
tat; quid idem faceret in concionatore, qui de aeterna vi-
ta, aeternoque supplicio differit? Neque vero me movet,
quod frequenter auditores hanc imitationem laudant: lau-
dant quippe quod eorum aures mulcet, quodque illis volu-
ptatis cuiusdam & risus materiam praebet: quemadmodum
histrionem laudant, qui probe voces & actus hominum ef-
fingit. Quod tamen graves & eruditi viri reprehendunt: quo-
rum magis iudicium sequi, quam populi plausum captare,
debemus. Hi namque indignum esse putant, ecclesiastici do-
ctoris auctoritatem ad histrionum gesticulationem & levita-
tem degenerare.

Sunt & alia oris vitia, quae Fabius in prima futuri rhe-
toris institutione vitanda esse docet his verbis: (d) „ cura-
„ bit etiam, ... ut quoties exclamandum erit, lateris co-
„ natus sit ille, non capitis; ut gestus ad vocem, vultus
„ ad gestum accommodetur. Observandum erit etiam, ut re-
„ cta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur, ne immo-
„ dicus hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne de-
„ iecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. Nam

„ frons

(a) *Cic. in Ver.* 33. (b) *Lib. VII. cap.* 3. (c) *Ibid.* (d) *Instit. lib. I. cap.* 11.

„ frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum ſu-
„ percilia ad ſingulos vocis conatus allevarentur, aliorum
„ conſtricta, aliorum etiam diſsidentia, quum altero in ver-
„ ticem tenderent, altero paene oculus ipſe premeretur. In-
„ finitum autem... in his quoque rebus momentum eſt. Et ni-
„ hil poteſt placere, quod non decet. „ Hactenus Fabius. Cetera vel actionis, vel pronuntiationis vitia facile horum, quae breviter expoſuimus, admonitu prudens concionator deprehendet.

CAP. VIII.

DE VARIA PRONVNTIANDI RATIONE in ſententiis.

HAEC omnia, quae de pronuntiandi atque agendi facultate dicta ſunt, ex Quinctiliano, huius artis principe, ad verbum paene deſumſimus: praetermiſsis tamen his, quae minus apta inſtituto noſtro eſſent, vel quae lectori faſtidium aut obſcuritatem parere potuiſſent. Haec autem ſatis eſſe putamus, ut concionator minime ſtupidus, his documentis inſtructus, reliqua per ſe intelligere queat. Sed quoniam haec pronuntiandi virtus, ut initio (a) diximus, ſumma eſt, & multi nullum laborem inutilem putabunt, dummodo eam plenius aſſequantur; his etiam morem gerendum eſſe duxi. Itaque eadem ipſa, quae hactenus in communi de vocis figura tradita ſunt, rudi, ut ita dixerim, craſſaque Minerva explicare conſtitui. Nequaquam tamen hoc in loco abſolutum concionatorem, ſed novicium, ac paene infantem, a primis huius diſciplinae rudimentis inſtituendum ſuſcipio. Vt enim ludi-magiſtri, qui vel legendi, vel ſcribendi artem docent, ab ipſis primum ſingularibus litterarum elementis incipientes, ad maiora gradum facere ſolent; ſic enim perficiunt, ut inoffenſe poſtea vel legere, vel ſcribere ſciant: ita ego per plurima ſententiarum genera, ex quibus praecipuae concionis partes conſtant, decurrens, & qua vocis figura unaquaeque earum pro-

(a) *Pag. 364. ſeqq.*

pronuntianda ſit, inſinuans; facilem ipſi aditum aperiam, ut, quonam modo ceterae pronuntiandae ſint, intelligat. Quae enim Fabius in communi dixit, ego ad peculiares etiam & ſingulares ſententias accommodabo, propoſitiſque variis exemplis illuſtranda curabo. In quibus exemplis pronuntiandis exerceri poterit, quiſquis hanc facultatem plenius conſequi deſiderat.

Neque vero hoc ipſum ſine eiuſdem Fabii auctoritate facio, qui ediſcere inſignia auctorum loca monet, in quibus variam pronuntiandi rationem exercere valeamus. Eius haec verba ſunt: (a) „ ediſcere autem, quo exercearis, erit „ optimum; nam ex tempore dicenti, avocatur cura vocis „ ille, qui ex rebus ipſis concipitur, affectus: & ediſcere „ quam maxime varia, quae & clamorem, & diſputationem, „ & ſermonem, & flexus habeant, ut ſimul in omnia pare„ mur. „ Hactenus ille. Idemque rurſus rhetoricae artis tironem comoediarum actori tradi praecipit, (b) ut ab illo hanc naturalem pronuntiandi formam diſcat: quamvis & ibidem, & ubique doceat, aliam oratoris, aliam vero actoris pronuntiationem eſſe. Ibidem etiam praecipit, quod modo diximus, nempe eligendos eſſe locos aliquot inſigniores, in quorum pronuntiatione tirones exerceantur. Sic enim ait: (c) „ debet etiam docere comoedus, quo modo narrandum, „ qua ſit auctoritate ſuadendum, qua concitatione conſur„ gat ira, qui flexus deceat miſerationem. Quod ita opti„ me faciet, ſi certos ex comoediis elegerit locos, & ad „ hoc maxime idoneos, id eſt, actionibus ſimiles. Iidem „ autem non ad pronuntiandum modo utiliſsimi, verum ad „ augendam quoque eloquentiam maxime accommodati „ erunt. Et haec dum infirma aetas maiora non capiet. Ce„ terum quum legere orationes oportebit, quum virtutes „ earum iam ſentiet; tum mihi diligens aliquis ac peritus „ aſsiſtat, neque ſolum lectione formet, verum ediſce„ re etiam electa ex his cogat, & ea dicere ſtantem cla„ re, & quemadmodum agere oportebit, ut protinus „ pro-

(a) *Lib. XI. cap.* 3. *haud ita procul ab initio.* (b) *Lib. I. cap.* 11. (c) *Loco cit.*

„ pronuntiatione vocem & memoriam exerceat. „ Hactenus ille.

Quia vero nobis neque licet, neque decorum eſt, ex comoediis loca eligere, in quorum pronuntiatione exerceamur; aliqua ex litteris ſanctis loca in medium proferemus, atque ea in primis, quae dialogorum ſpeciem prae ſe ferunt, quae ad huius facultatis exercitationem commodiora videbuntur. Quod ſi diutius in his exemplis fuerim immoratus, nemo mihi iure ſuccenſere debet. Quia enim (a) ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, ubi hactenus pronuntiandi rationem ſapientibus demonſtravi, modo eamdem rudioribus aperire contendam. Sed, ut verum ingenue fatear, illud me ad hunc laborem magis excitavit, quod paucos admodum concionatores videam, qui rectam hanc & naturalem pronuntiandi rationem teneant. Quod eo magis dolendum eſt, quia huius rei ignoratio in non nullos cadit, qui, ceteris eloquentiae partibus inſtructiſsimi, quoniam hac virtute deſtituuntur, omnem laboris ſui & communis utilitatis fructum prorſus amittunt. Huic igitur publicae utilitatis iacturae, ſi quid per nos praeſtari poſsit, hac nova docendi ratione conſulendum putavi.

CAP. IX.

VARIA SENTENTIARVM EXEMPLA e ſanctis litteris excerpta.

QVid autem praecipue hoc in loco perſequi velim, paucis indicabo. Tripartitam eſſe pronuntiandi rationem, ſuperius (b) diximus. Aliam enim pronuntiandi rationem praecipuis concionis partibus, hoc eſt, expoſitioni, probationi, & amplificationi; aliam variis ſententiis, quae in has partes incurrunt; aliam vero ſingulis ſaepe verbis, quae his ſententiis continentur, convenire diximus. Quia vero ſumma pronuntiationis obſervatio in huiuſmodi ſententiis apte pronuntiandi ſita eſt; hanc partem, quam ſu-

(a) *Rom.* 1. (b) *Pag.* 380.

ſuperius carptim & breviter attigimus, huic loco reſervavimus, ut de ea, quam fieri poſſet, copioſe ageremus, eamque variis, ut dixi, exemplis illuſtraremus. Sed prius tamen infantiam meam confitebor, quod nequaquam varios vocis flexus atque figuras ſcribendo exprimere potero. Vnum tamen illud praeſtabo, ut prudentem lectorem admoneam, aliam atque aliam vocis figuram in diverſis propoſitae cuiuslibet ſententiae partibus eſſe adhibendam: quam ipſe per ſe, niſi ſtupidus admodum fuerit, facile deprehendet. Verum quia omnia ſententiarum genera perſequi, & variam pronuntiandi rationem unicuique illarum aſſignare, infiniti propemodum operis eſſet; hanc ego methodum commodiſsimam iudicavi, ut, propoſitis aliquot verborum & ſententiarum figuris, de quibus in ſecundo & quinto huius operis libro diſſeruimus, quam pronuntiandi rationem unaquaeque exigat, expendamus. Vt enim figurae omnes peculiarem quemdam veluti geſtum & formam eloquutionis habent, ita peculiarem quoque pronuntiandi formam requirunt. Ab his autem primum incipiamus, quae affectum aliquem & motum animi exprimunt: in his enim pronuntiandi ratio manifeſtior eſt.

Prima igitur figura, ſic enim & hanc, & alias huic ſimiles, hoc in loco appellare libet, optatio eſt, quae ſuam quamdam pronuntiandi formam requirit, quae videlicet deſiderantis animi affectum exprimat; qualis illa ſponſae in Cant. (a) quis det te fratrem meum ſugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, & deoſculer te? Paullo tamen acrior, & magis anxia atque indignabunda illa Ieremiae optatio: (b) quis dabit me in ſolitudine diverſorium viatorum, ut fugiam populum meum? quia omnes adulteri ſunt, & coetus praevaricatorum. Clementior tamen, & veluti commiſerantis, illa: (c) quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum; & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? Sic illa: (d) utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſsima providerent. In his omnibus eadem vocis figura, cum aliqua tamen diſsimilitudi-

(a) *Cant.* 8. (b) *Ierem.* 9. (c) *Idem ibidem.* (d) *Deut.* 32.

dine, pro ſententiarum natura, retinenda eſt.

Contraria huic eſt imprecatio, qualis illa: (a) pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt homo. Vehemens eſt & illa Didonis apud Maronem imprecatio: (b)

Sed mihi vel tellus optem prius ima debiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, &c.
Ante pudor, quam te violo, aut tua iura reſolvo.

Haec autem imprecatio acri & horrenda voce pronuntianda eſt. Bene precatio vero, ſicut huic contraria, ita longe diverſam vocis figuram deſiderat; qualis illa Prophetae: (c) Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra; & quae ſequuntur. Hoc autem vocis tenore totus ille pſalmus pronuntiandus, cuius eſt initium: (d) exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c. Similem vocis figuram exigunt & benedictiones illae in ſacris litteris frequentes; qualis illa Iſaac ad Eſaü: (e) ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: creſcere te faciat Deus meus, det tibi de rore caeli, & de pinguedine terrae; & cetera, quae ſequuntur.

Finitima eſt huic obſecratio, quae blandam & mollem, non tamen effeminatam, vocem requirit; cuiuſmodi eſt illa Paulli: (f) ipſe autem ego Paullus obſecro vos per manſuetudinem Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis: (g) rogo autem vos, ne praeſens audiam, &c. Obſecrationi finitima eſt invitatio ad iuſtitiam & pietatem, quae ſimilem vocis mollitudinem exigit; qualis eſt illa Domini in evangelio: (h) venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Simili vocis, ut ita dixerim, blandiloquentia illa regii vatis invitatio proferenda eſt: (i) venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos, &c.

Sunt praeterea multi alii animorum motus & affectus, qui quam ſunt varii, tam variam pronuntiandi formam depo-

(a) *Iob* 3. (b) *Virg. AEneid. lib. IIII. v.* 24. 25. & 27. (c) *Pſal.* 40. (d) *Pſalm.* 19. (e) *Geneſ.* 27. (f) 2. *Corinth.* 10. (g) *Ibidem.* (h) *Matth.* 11. (i) *Pſalm.* 33.

poſcunt. Aliter enim querimur, & vicem noſtram lamentamur; ut quum Propheta, pio & moeſtu animi affectu, queritur, dicens: (a) uſquequo, Domine, obliviſceris me in finem? Vſquequo avertis faciam tuam a me? Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? &c. Sic ſanctus Iob: (b) uſquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam? Acrius tamen Habacuc propheta queritur, quum ait: (c) uſquequo, Domine, clamabo, & non exaudies; vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis? (d) Hei mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiae non eſt botrus ad comedendum, praecoquas ficus deſideravit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt, &c.

Hac eadem interiectione, *vae*, non modo ſortem noſtram dolemus, ſed aliis etiam mortem & ſupplicium comminamur. Sic Amos: (e) vae vobis, qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſraël. Sic Dominus in evangelio: (f) vae, inquit, vobis, Scribae & Phariſaei hypocritae, qui clauditis regnum caelorum, &c.

Finitimus autem comminationi eſt indignationis affectus. Sic Dominus apud Ezechielem: (g) & complebo, inquit, furorem meum in te, & dabo te in deſertum, & in opprobrium gentibus, quae in circuitu tuo ſunt; & eris opprobrium, & blaſphemia, exemplum, & ſtupor in gentibus, quae in circuitu tuo ſunt, quum fecero in te iudicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus: ego Dominus loquutus ſum, quando miſero ſagittas famis peſsimas in eos, quae erunt mortiferae, & immittam in vos famem, & beſtias peſsimas uſque ad internecionem: peſtilentiae & fames tranſibunt per te, & gladium inducam ſuper te: ego Dominus loquutus ſum. In his verbis aperte conſtat, atrocitatem indignationis ſimilem in pronuntiatione atrocitatem

po-

(a) *Pſalm.* 12. (b) *Iob* 7. (c) *Habac.* 1. (d) *Mich.* 7. (e) *Amos* 6. (f) *Matth.* 23. (g) *Ezech.* 5.

poſtulare, ut habitus vocis orationi & ſententiae reſpondeat. Sic etiam idem Dominus apud Iſaïam: (a) tacui, ſemper ſilui, patiens fui, quaſi parturiens loquar, diſsipabo, & abſorbebo ſimul, deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo. Sic idem Dominus in Cantico: (b) ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſsima: devorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Dentes beſtiarum mittam in eos cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentum; & cetera, quae in hanc ſententiam ſequuntur.

Incidit etiam non raro admirationis affectus. Tale eſt illud apud Iſaïam: (c) quo modo ceſſavit exactor, quievit tributum? Et: (d) quo modo cecidiſti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, &c. Interdum etiam affectus hic aliis admiſcetur. Sic apud eumdem indignationi coniungitur: (e) quo modo facta es meretrix, civitas fidelis, plena iudicii? Dolori autem apud Ieremiam, quum ait: (f) quo modo ſedet ſola civitas plena populo? &c. Sic David amicorum caſum lamentatur: (g) quo modo, inquit, ceciderunt robuſti, & perierunt arma belli?

Ironia vero, quae eſt in ſententiis, non vacat quodam amarulentiae affectu, quam pronuntiatio prae ſe ferre debet. Sic Dominus in evangelio: (h) ſinite illos, caeci ſunt, & duces caecorum, &c. Ironiae quoque ſpeciem habet illud Apoſtoli: (i) comedamus, & bibamus; cras enim moriemur. Et in Apocalypſi Dominus: (k) qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.

Praeciſio autem, quam inter ſententiarum figuras (l) numeravimus, ingentem ſaepe affectum, non loquendo, ſed tacendo, exprimit. Sic regius vates: (m) anima mea turbata eſt valde; ſed tu, Domine, uſquequo? Subſtitit enim in

(a) *Iſai.* 42. (b) *Deut.* 32. (c) *Iſai.* 14. (d) *Ibid.* (e) *Iſai.* 1. (f) *Thren.* 1. (g) 2. *Reg.* 1. (h) *Matth.* 15. (i) 1. *Corinth.* 15. (k) *Apocalyp.* 22. (l) *Pag.* 291. (m) *Pſalm.* 6.

hac voce desiderantis affectus, &, doloris magnitudine impeditus, ulterius progredi non valuit. Deest enim verbum: *non parces mihi*, vel aliud simile. Diversum autem animi affectum insinuavit, quum dixit: (a) calix meus inebrians. Praecisa enim oratio est in Hebraeo. Particula enim, *quam praeclarus est*, ab interprete perspicuitatis gratia addita fuit. Hac autem orationis praecisione ingentem animi affectum significare possumus, quum alicuius rei dignitatem, vel, quod est frequentius, indignitatem ad summum usque extulimus. Ad quem ubi perventum est, subsistit oratio; quasi is, qui dicit, nullam satis dignam orationem inveniat, qua, quod reliquum est, explicare possit. Itaque concionator velut attonitus haeret, stupet, ac silet: quo quidem silentio, quum vere dicentis animus commotus est, vehementer auditorum animi concitantur. Tanta autem divini spiritus vis in concionatore esse poterit, ut concionem ipsam huiusmodi praecisione aliquando finiat: atque ita suspensos, & tremebundos auditores relinquat. Quae quidem res, ut ridicula erit, si ex sola dicentis arte fiat; ita quum ex animo, divinae gloriae zelo saucio, fit, ad permovendos animos efficacissima est.

Habent affectus aliquid haec orationum genera, quae mox subiiciemus: atque in primis asseveratio, quae interdum, ut Fabius ait, plus ipsis probationibus valet. Ea enim vim quamdam & acrimoniam in voce ac vultu requirit, quae causae suae fiduciam prae se ferat. Talis illa Paulli: (b) ecce ego Paullus dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Testificor autem rursus omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae. Idemque rursus: (c) si in hoc mundo tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Et apud eumdem: (d) nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.

Cum asseveratione similitudinem quamdam habet adiu-

(a) *Psalm.* 22. (b) *Ad Galat.* 5. (c) 1. *Corinth.* 15. (d) 1. *Corinth.* 6.

iuratio : cuiuſmodi eſt illa Caiphae pontificis : (a) adiuro te per Deum vivum , ut dicas nobis , ſi tu es Chriſtus. Similem autem acrimoniam , & aſſeverandi vim , iusiurandum requirit. Sic David : (b) vivit Dominus Deus Iſraël , qui prohibuit me , ne malum facerem tibi , niſi cito veniſſes in occurſum meum , non remanſiſſet Nabal uſque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Sic Elias trepidantem Abdiam confirmat hoc iuramento : (c) vivit Dominus exercituum , in cuius conſpectu ſto , quia hodie apparebo ei , hoc eſt, Achab regi.Sic Ioab ad Davidem, Abſalonis filii mortem lamentantem, ait : (d) nunc igitur ſurge , & procede , & alloquens ſatisfac ſervis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris , ne unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi , quam omnia mala, quae venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua. Quis non videt, quantam vocis acrimoniam haec oratio poſtulet ?

Habet etiam adhortatio ſpeciem quamdam affectus, quae praecipientis imperium & auctoritatem voce ipſa & quadam pronuntiandi celeritate repraeſentat; qualis eſt illa Domini apud Iſaïam : (e) quaerite iudicium , ſubvenite oppreſſo , iudicate pupillo , defendite viduam ; & venite , & arguite me , dicit Dominus. Sic apud eumdem : (f) diſſolve colligationes impietatis , ſolve faſciculos deprimentis , dimitte eos , qui confracti ſunt , liberos , & omne onus diſrumpe , frange eſurienti panem tuum ; & cetera , quae ſequuntur.

Nec longe diſtat ab adhortatione caſtigatio ; qualis illa apud Salomonem : (g) uſquequo , piger , dormies ? Quando conſurges e ſomno tuo? Paullulum dormies, paullulum dormitabis , &c. Idemque : (h) uſquequo parvuli diligitis infantiam ? Et ſtulti ea, quae ſunt ſibi noxia , cupient ? Et imprudentes odibunt ſcientiam ?

Ad affectus etiam commovendos plurimum conferunt exclamatio & apoſtrophe ; quae non unum aliquem affectum exprimunt , ſed ad omnes accommodantur. Ex quovis

(a) *Matth.26.* (b) 1.*Reg.25.* (c) 3.*Reg.18.* (d) 2.*Reg.19.* (e) *Cap.1.* (f) *Iſai.58.* (g) *Prov.6.* (h) *Prov.1.*

enim ingenti affectu in exclamationem & apostrophen erumpere licet. Ad commiserationem quidem illa Ieremiae exclamatio pertinet: (a) o vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus. Leniorem vero indignationem habet illa: (b) o stulti, & tardi corde ad credendum ea, quae loquuti sunt prophetae! Acrior tamen illa Paulli: (c) o insensati Galatae! Quis vos fascinavit non obedire veritati? Sed multo tamen acrior illa: (d) o generatio incredula & perversa, quousque apud vos ero? Quamdiu vos patiar? Neque vero necesse est ad exclamationes omnes particula O: sine ipsa namque, & cum aliis etiam interiectionibus, quibus vehemens affectus erumpit, exclamatio fit. Talis est illa Ioannis Baptistae: (e) genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Similiter & illa Domini vox apud Isaïam: (f) heu, consolabor de hostibus meis, & vindictam sumam de inimicis meis. Sic & Dominus in evangelio, magno erumpente animi dolore, ait: (g) vae mundo a scandalis. Et: (h) vae homini illi, per quem scandalum venit. Sic & angelus in Apocalypsi homines ipsos inducit Babylonis casum admirantes, & lamentantes: (i) vae, vae civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quia una hora venit iudicium tuum. Numeratur etiam inter exclamationes illa Ieremiae, (k) A, A, A, Domine Deus, prophetae dicunt eis: non videbitis gladium, & fames non erit in vobis. Vt enim littera O, ita etiam A commodissime exclamationibus servit. Vtraque enim, quoniam fauces implet, ad exclamandum commodissima est. Verum ex his, A, mihi commodior atque facilior ad pronuntiandum videtur, minusque dicentis artificium detegit; quum sit velut naturalis quaedam erumpentis affectus significatio. Qua si prudenter suis in locis Ecclesiastes utatur, non parum auditorum affectus excitabit.

Exclamationi finitima est apostrophe: utpote quae illi sem-

(a) *Thren.* 1. (b) *Luc.* 24. (c) *Ad Galat.* 3. (d) *Luc.* 9. (e) *Luc.* 3. (f) *Isai.* 1. (g) *Matth.* 18. (h) *Ibid.* (i) *Apocalyp.* 18. (k) *Ierem.* 14.

ſemper adiuncta eſt; eademque, ſicut exclamatio, cunctis affectibus ſervit. Vehemens illa: (a) audi caelum, & auribus percipe terra, quia os Domini loquutum eſt. Nec minus illa Moſis: (b) teſtes invoco hodie caelum & terram, cito perituros vos eſſe de terra, quam, tranſito Iordane, poſſeſſuri eſtis. Nec minus vehemens illa: (c) obſtupeſcite caeli ſuper hoc, & portae eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, &c. Sic & illa apud Ezechielem: (d) o mucro, mucro, evagina te ad occidendum; lima te, ut interficias, & fulgeas. Longe autem diſsimili vocis figura pronuntianda eſt apoſtrophe illa ſuaviſsima: (e) rorate caeli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Sic & illa: (f) flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera, &c. Vtrobique enim pronuntiationis vox deſiderantis animi affectum exprimere debet. Diverſum autem ab hoc affectum requirit illa Davidis apoſtrophe: (g) montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium.

Interrogatio quoque & omnes recipit affectus, & aperte diſsimilem a communi ſermone pronuntiationem requirit, eamque cum primis pro affectuum & ſententiarum ratione variam. Simplici autem & blanda voce adoleſcens ille interrogat: (h) magiſter bone, quid faciendo vitam aeternam poſsidebo? Sic & illud: (i) qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinvicem ambulantes, & eſtis triſtes? Diſſimili autem voce optantes interrogamus: (k) quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro? &c. Omnia huius interrogationis membra ſimili vocis tenore, cum quadam tamen vehementia atque inſtantia, pronuntianda ſunt. Sic & illa: (l) quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Acrior tamen illa: (m) quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis. Et: (n) generatio

(a) *Iſai.* 1. (b) *Deut.* 30. (c) *Ierem.* 2. (d) *Ezech.* 21. (e) *Iſai.* 45. (f) *In Offic. Eccl.* (g) 2. *Reg.* 1. (h) *Luc.* 10. (i) *Luc.* 24. (k) *Iob* 19. (l) 2. *Cor.* 11. (m) *Iſai.* 3. (n) *Deut.* 32.

prava atque perverſa, haeccine reddis Domino, populè ſtulte & inſipiens? Haec interrogatio cum quadam irae & indignationis ſignificatione proferenda eſt; ſicut etiam haec: (a) numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut in gente tali non ulciſcetur anima mea? Haerentis autem, dubitantis & anxii animi voce pronuntianda eſt interrogatio illa: (b) cui loquar, aut quem conteſtabor, ut audiat? Et: (c) quis eſt vir ſapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet iſtud, quare perierit terra, & exuſta ſit quaſi deſertum, eo quod non ſit qui pertranſeat? Longum eſt ire per ſingula; huiuſmodi namque exemplorum in litteris ſanctis nuſquam non magna copia eſt: in quorum varia ac diſsimili pronuntiatione Eccleſiaſtes exerceri poterit, ut huiuſmodi excitatione veram ac naturalem pronuntiandi formam animo concipiat.

Sermocinatio quoque, quam inter ſententiarum figuras (d) numeravimus, quae varias perſonas loquentes inducit, variis quoque affectibus ſervit. Ideoque diſsimilem vocis figuram in eiſdem requirit. Aliter enim ſermocinationem illam pronuntiamus: (e) & non dixerunt: metuamus Dominum, qui dat nobis pluviam temporaneam & ſerotinam, plenitudinem annuae meſsis cuſtodientem nobis. Aliter illa: (f) ne gemas in noviſsimis tuis, ... & dicas: cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & magiſtris non inclinavi aurem meam? Aliter illa: (g) dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè: exiguum, & cum taedio eſt tempus vitae noſtrae, & non eſt refrigerium in fine hominis; & cetera, quae ſequuntur Sapient. 2. Aliter illa, qua impii, feliciſsimam iuſtorum ſortem admirantes, dicunt: (h) hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum aeſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quo modo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors il-

(a) *Ierem.* 5. (b) *Ierem.* 6. (c) *Ierem.* 9. (d) *Pag.* 156. (e) *Ierem.* 5. (f) *Prov.* 5. (g) *Sap.* 2. (h) *Sap.* 5.

illorum eſt. Ergo erravimus a via veritatis, &c. Sapient. 5. Aliter illa: (a) viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur. Dixit enim: in fortitudine manus meae feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, &c. Iſaïae 10.

Sunt etiam inter figuras aliae, quae peculiarem quemdam vocis habitum requirunt: quas non erit inutile hoc in loco exempli gratia recenſere. Earum prima eſt repetitio, quae idem nomen orationis initio repetit. Haec autem poſtulat, ut eodem vocis tenore idem nomen repetatur. Sic apud Ieremiam: (b) gladius ad Chaldaeos, ait Dominus: & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad ſapientes eius: gladius ad divinos eius, qui ſtulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt: gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod eſt in medio eius: gladius ad theſauros eius, qui diripientur. Converſio quoque idem poſtulat in fine, quod repetitio in principio. Sic autem pronuntiamus illud D. Paulli: (c) quum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, &c. Complexio vero, quae utriuſque figurae naturam retinet, in qua initia inter ſe & fines conveniunt, utriuſque etiam figurae formam in pronuntiando retinet. Cuius rei exemplum, quum de hac figura loquemur, (d) ſubiecimus.

Conduplicatio, quam Graeci epizeuſim vocant, quae idem verbum, aut etiam orationem repetit, ut aſſeverationi finitima eſt, ita ſimilem fere pronuntiandi formam requirit. Sic apud Iſaïam Dominus: (e) propter me, propter me faciam, ut non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. Et iterum: (f) ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Acrior illa: tu, tu faces illas incendiſti. Ei in oratione: (g) commotus non es, quum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus? Sic & illa: (h) tu in horum conſpectum venire audes, proditor patriae?

(a) *Iſai.* 10. (b) *Ierem.* 50. (c) 1. *Corinth.* 13. (d) *Pag.* 262. *ſeq.* (e) *Iſai.* 48. (f) *Iſai.* 43. (g) *Auct. ad Herenn. lib. IIII. cap.* 28. (h) *Ibid. non totidem verbis.*

Proditor, inquam, patriae, tu in horum conſpectum venire audes? Et: matrem tuam occidiſti: quid dicam amplius? matrem tuam occidiſti.

Correctio quoque peculiarem quamdam pronuntiandi rationem petit; qualis illa D. Gregorii: quid igitur miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam? &c. Sic Terentianus ille ſenex, quum filium ſe habere dixiſſet, adiunxit: (a) *quid dixi habere me? Immo habui, Chreme: Nunc, habeam, necne, incertum eſt.*

Dubitatio quoque aliam pronuntiandi formam requirit, qualis illa Euſebii Emiſſeni: quid primum mirer, quidve poſtremum? Quod ſine conceptu eſt collata fecunditas, an quod per partum magis eſt glorificata virginitas? Sed non mirum, ſi ita peperit: talis erat ille, cui nupſerat. Sic D. Cyprianus in ſermone de lapſis: (b) quid hoc loco faciam, dilectiſsimi fratres, fluctuans vario mentis aeſtu? Quid, aut quo modo dicam? Lacrimis magis, quam verbis, opus eſt.

Verum inter alias figuras vix ulla maiorem in pronuntiando varietatem deſiderat, quam ratiocinatio atque ſubiectio; quae ſimilem paene naturam, ſimilemque pronuntiandi formam requirunt: propterea quod crebris interrogatiunculis & reſponſionibus conſtant. Quo fit, ut ſubinde vocis figura varianda ſit, quum aliter interrogemus, & aliter nobis ipſis, tamquam alteri, reſpondeamus. Quocirca non erit tironibus inutile, in harum duarum figurarum pronuntiatione exerceri. Exempla vero, quum de his duabus figuris ageremus,(c) ſubiecimus,quae hic repetere non eſt neceſſe. Verum de his ſatis multa: quibus facile quiſque intelliget, qua pronuntiandi ratione in ceteris quoque ſententiis, quae ad has revocari non poſſunt, uſurus ſit. Omnia enim, quae hactenus praecepimus, eo pertinent, ut pronuntiatio cum rerum & ſententiarum natura apte cohaereat.

CAP.

(a) *Heaut. Act.* 1. *ſcen.* 1. *v.* 42. (b) *Sub initium.* (c) *Lib. V. cap.* 3. *pagg.* 282. *&* 285.

CAP. X.

EXEMPLA QVAEDAM, E LITTERIS SANCTIS desumta, in quorum pronuntiatione rudes huius officii exerceri valeant.

QVoniam, ut paullo ante diximus, (a) ediſcere aliquid monet Fabius, (b) in quo exerceri valeant, qui hanc pronuntiandi facultatem conſequi deſiderant; operae pretium me facturum putavi, ſi praeter ea exempla, quae hactenus ex ſcripturis ſanctis adduxi, alia quoque paullo longiora afferam, quae variam pronuntiandi rationem exigunt: in quibus huius artificii rudes exerceri queant, ut perfectam pronuntiandi formam addiſcant. Sumamus igitur in primis locum illum ex pſalmo 49. (c) *peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*? Haec duplex interrogatio figura obiurgantis atque admirantis pronuntianda eſt. Sequitur deinde alio vocis flexu proferendum, quod ſubdit: (d) *tu vero odiſti diſciplinam, proieciſti ſermones meos retrorſum*: & cetera, quae ſequuntur uſque ad illud: (e) *adverſus filium matris tuae ponebas ſcandalum.* Haec omnia membra eodem vocis tenore atque acrimonia pronuntianda, & ſuis intervallis diſtinguenda ſunt, quoniam omnia eamdem continent enumerationem ſcelerum; niſi quod ſententia illa, (f) *ſi videbas furem, currebas cum eo*, non nihil ab antecedentibus & conſequentibus membris in pronuntiatione diſtat. Sequitur deinde: (g) *haec feciſti, & tacui.* Haec admirantis vox eſt, & velut ad tam diuturnum ſilentium obſtupeſcentis. Ideoque paullulum hoc in loco ſubſiſtere pronuntiatio debet. Hoc enim admirationis ratio poſtulat. Quod vero deinde ſequitur, (h) *exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis*, maiorem dicentis acrimoniam & indignationem prae ſe fert; maioremque adhuc, quod protinus ſubdit, (i) *arguam*

(a) *Pag.* 396. (b) *Inſtit. lib. XI. cap.* 3. (c) *Ver.* 16. (d) *Ibid. v.* 17. (e) *Ver.* 20. (f) *Ver.* 18. (g) *Ver.* 20. (h) *Ver.* 21. (i) *Ibid.*

guam te, *& ſtatuam contra faciem tuam*: hoc enim minaci geſtu atque voce pronuntiandum eſt. Sequitur deinde alia pronuntiandi ratio ab his longe diſsimilis: (a) *intelligite haec*, *qui obliviſcimini Deum*, *ne quando rapiat*, *& non ſit qui eripiat*. Haec enim ſententia voce prudenter atque opportune admonentis, & ab imminenti periculo deterrentis, proferenda eſt. Hoc igitur exemplo aperte liquet, quam varia in his paucis verſiculis pronuntiandi ratio adhibenda ſit.

Sumamus aliud exemplum ex prima Paulli ad Corinthios epiſtola, in qua Corinthiorum lites reprehendit. Sic igitur ait: (b) *audet aliquis veſtrum*, *habens negotium adverſus alterum*, *iudicari apud iniquos*, *& non apud ſanctos*? Haec interrogatio, & tres, quae deinde ſequuntur, habitum vocis acriter obiurgantis, admirantis, & inſtantis exigunt. Quod vero ſequitur, (c) *ſaecularia igitur iudicia ſi habueritis*, *contemtibiles qui ſunt in Eccleſia*, *illos conſtituite ad iudicandum*; hoc maiori adhuc vehementia pronuntiandum eſt. Habet quippe oratio haec, *contemtibiles qui ſunt in Eccleſia*, ſpeciem quamdam vel hyperboles, vel ironiae, quam deinde corrigit, quum infert: (d) *ad verecundiam veſtram dico*. Quae quidem ſententia aliam vocis figuram requirit. Sequitur deinde: *ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam*, *qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum*? Haec interrogatio admirantis vocem poſtulat, & apertiſsima ratione eos, qui litigabant, convincentis. In illa vero particula, *ſic*, paullulum immorandum eſſe videtur. Habet enim & ſilentium in pronuntiatione, alias quidem longius, alias brevius, non vulgarem emphaſim. Quod vero protinus adiicit, (e) *ſed frater cum fratre iudicio contendit*, *& hoc apud infideles*: haec ſententia eamdem vocis acrimoniam & admirationem petit; ſic tamen ut circumſtantia illa, *& hoc apud infideles*, maiori niſu atque voce proferenda ſit, quo indignitas rei magis emineat.

Sequitur deinde alia pronuntiandi ratio, quum ſubdit:

(a) *Ver.* 22. (b) 1. *Corinth.* 6. *v.* 1. (c) *Ibid. v.* 4. (d) *Ver.* 5. (e) *Ver.* 6.

dit : (a) *iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.* Verum multo acrius urget, ubi continuo infert : *quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Haec enim duplex interrogatio maiore spiritu atque impetu pronuntianda est. Aliam porro vocis figuram exposcit, quod sequitur : (b) *sed vos iniuriam facitis, & fraudatis : & hoc fratribus.* In qua sententia particula illa, *& hoc fratribus*, eminere debet, sicut superior illa, *& hoc apud infideles.* Vtrobique enim rei indignitas ex variis personarum circumstantiis colligitur ; quam pronuntiatio prae se ferre debet. Sequitur continuo alia vocis figura, quum addit : (c) *an nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* A qua non nihil distat, quod deinde subiicit : *nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles*, &c. *regnum Dei possidebunt.* Hi omnes articuli vehementius atque celerius pronuntiandi sunt : sic tamen, ut intervallis suis distinguantur. Asseveratio quippe,quae (d) ipsis interdum probationibus plus valere dicitur, vehementiam, atque impetum in asseverante requirit.

Quia vero orationes illae, in quas personarum varietas incurrit, quae instar dialogorum sunt, ad facultatis huius exercitationem plurimum conferunt, ex his etiam exempla aliquot in medium proferam: atque in primis illud Matthaei 15. ubi Scribae & Pharisaei Dominum adierunt, ut ipsum de neglecta discipulorum cura ac disciplina obiurgarent. Sic igitur aiunt : (e) *quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Haec obiurgatio magna severitate, & ampla voce proferenda est, ut Scribarum & Pharisaeorum personam referamus, qui ingentis piaculi esse credebant, illotis manibus contra seniorum traditionem edere. Sed quanto alia voce dominica responsio proferenda est, quum ait: (f) *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit* : (g) *honora patrem tuum, & matrem*, & cetera, quae sequuntur. Omnis haec oratio obiur-

(a) *Ver.*7. (b) *Ver.*8. (c) *Ver.*9. (d) *Pag.*402. (e) *Matth.*15.2. (f) *Ver.*3. (g) *Exod.*20.12. *Deut.*5.16. *& aliis locis.*

iurgantis & indignantis vocem desiderat. Sed acrius tamen est & vehementius, quod deinde addit: (a) *hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, quum dixit*: (b) *populus hic labiis me honorat*, &c. Hoc enim est velut adacto verbi Dei pugione divinam legem adulterantes transfodere. Longe vero dissimilem vocis figuram exigit, quod deinde discipuli ad Dominum dicunt: (c) *scis, quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt*? Hoc enim submissa voce, quasi ad aurem insusurrando, proferendum est. At illud, quod sequitur, libera asseverantis voce pronuntiandum: (d) *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur*. Dissimili protinus voce proferendum est, quod subiecit Petrus, quum ait: (e) *edissere nobis parabolam istam*. Sed quanto aliter pronuntiandum, quod deinde respondit Dominus: (f) *adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*? &c. quae sequuntur.

Si quis alia exempla desiderat, habet in evangelica historia non nulla; atque ea in primis, quae dialogorum speciem referunt, ut quum Dominus longa oratione cum muliere Samaritana usque ad discipulorum adventum (g) loquitur, illa interrogante, & Domino respondente. Sic etiam quum Petrus (h) pedes a Domino ablui recusat, Dominus vero coepto ministerio instat. Sed commodissimum huius rei exemplum exstat apud D.Gregorium Nazianzenum in funebri oratione, qua Basilii Magni virtutes, ac praecipue mirabilem eius in fide constantiam adversus imperatoris Arriani praefectum, commendat. Cuius rei historiam hoc in loco attexere libuit, non solum quia instituto nostro utilissima est, sed etiam quoniam historiam scitu dignissimam continet. Sic igitur Gregorius: (i)

„ Quonam autem modo vel praefecti audaciam, vel Ba-
„ silii virtutem & sapientiam, eam qua ei restitit, satis di-
„ gna oratione complectar? Quae tua est, inquit, ratio,
„ heus

(a) *Matth.*15.*v.*7. (b) *Isai.*29. (c) *Matth.*15.*v.*12. (d) *Ver.*13. (e) *Ver.*15. (f) *Ver.*16.*&* 17. (g) *Ioan.*4.*a v.*7. *usque ad* 27. (h) *Ioan.*13.*a v.*6. (i) *Oratione XX. paullo post medium, Tom. I. edit. Venet. ann.*1753. *colum.*315. *seq.*

„ heus tu, nomine illum compellans, (nondum enim eum
„ episcopum vocare dignabatur) ut tanto imperatori obsi-
„ stere audeas, solusque omnium contumaciter te geras?
„ Quorsum, respondit Basilius, haec oratio spectat, &
„ quaenam haec contumacia & arrogantia? Nondum enim
„ id satis intelligo. Quoniam, inquit ille, imperatoris re-
„ ligionem minime colis, omnibus aliis iam inclinatis ac
„ superatis. Non enim, inquit Basilius, haec vult impe-
„ rator meus: nec rem ullam creatam adorare sustineo,
„ quum & ipse a Deo creatus sim, & Deus esse iubear. Nos
„ vero, inquit ille, quid tandem tibi videmur? Nihil sa-
„ ne, inquit Basilius, dum haec iubetis. Age vero, inquit
„ ille, non magnum & honorificum existimas, ad nostras
„ partes adiungi, socioque nos habere? Ad haec Basilius:
„ vos quidem praefecti estis, & quidem illustres, non in-
„ ficias eo: minime tamen Deo praestantiores. Socios au-
„ tem vos habere, mihi quidem amplum & honorificum
„ fuerit; (quidni enim, quum ipsi quoque Dei creaturae si-
„ tis?) sed ut alios quosdam ex his, qui nobis subiecti
„ sunt. Non enim personarum dignitate, sed fide, chri-
„ stianismus insignitur.

„ Hac oratione commotus praefectus, ac maiori ira suc-
„ census, de subsellio surrexit, atque asperioribus verbis
„ cum eo agere perrexit. Quid? Potestatem hanc non per-
„ timescis? Cur vero pertimescerem, inquit Basilius? Quid
„ fiet? quid patiar? Quid patieris, intulit ille? unum e
„ tam multis, quae meae sunt potestatis. Quaenam haec,
„ subiunxit Basilius? fac enim intelligamus. Bonorum, in-
„ quit ille, proscriptionem, exitium, cruciatus, mortem.
„ Tum Basilius: si quid aliud habes, id nobis minitare. Ho-
„ rum enim, quae adhuc commemorasti, nihil nos attin-
„ git. Quonam modo, inquit ille? Quoniam, inquit Ba-
„ silius, bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui ni-
„ hil habet: nisi forte laceris & detritis hisce pannis indi-
„ ges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates
„ & copiae sunt. Exsilium autem haud cognosco, qui nul-
„ lo loco circumscriptus sum; ac neque terram hanc, quam

„ nunc

„ nunc incolo, meam habeo; & eam omnem, in quam pro-
„ iectus fuero, pro mea duco : immo, ut rectius loquar,
„ universam terram Dei esse scio, cuius advena ego sum &
„ peregrinus. Iam tormenta quid accipere queant, quum
„ corpus desit ? Nisi forte primam plagam dixeris : huius
„ enim solius penes te arbitrium & potestas est. Mors por-
„ ro beneficii mihi loco erit : citius enim me ad Deum
„ transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maxima-
„ que ex parte mortem obii, & ad quem iam pridem pro-
„ pero.

„ Quo sermone obstupefactus praefectus, nemo, inquit,
„ me (nomenque suum adiunxit) ad hunc usque diem ita
„ est alloquutus, nec pari verborum libertate. Neque enim,
„ ait Basilius, fortasse in episcopum incidisti. Alioqui hoc
„ prorsus modo differuisset, pro huiusmodi rebus in certa-
„ men veniens. Nam ceteris quidem in rebus, o praefecte,
„ mansueti & placidi sumus, atque omnium abiectissimi,
„ quemadmodum hoc nobis lege (a) praescriptum est: ac non
„ dicam adversus tantum imperatorem, sed ne adversus ple-
„ beium quidem quemquam & infimi ordinis hominem su-
„ percilium attollimus. Verum ubi Deus nobis periclita-
„ tur, ac proponitur ; tum demum, alia omnia pro nihilo
„ putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gla-
„ dius, & bestiae, & ungulae, carnem lacerantes, voluptа-
„ ti nobis ac delitiis potius sunt, quam terrori. Proinde
„ contumeliis nos affice, comminare, fac quidquid colli-
„ buerit, potestate tua fruere, audiat haec etiam impera-
„ tor : nequaquam profecto nos vinces, nec efficies, ut im-
„ piae doctrinae assentiamur : ne si his quidem atrociora
„ miniteris. „ Hactenus Gregorii Nazianzeni verba. In his igitur, similibusque locis apte pronuntiandis exerceri pot-erunt, quicumque hanc facultatem perfecte consequi desi-derant.

CAP.

(a) *Luc.* 22. *v.*25. *& Matth.* 20. *v.*25.

CAP. XI.

QVALIS PERFECTI CONCIONATORIS VITA ESSE, & quo potſsimum tempore, quoque temperamento, & quo affectu concionandi munus exercere debeat.

ABſolvimus, amice lector, quae nobis de concionandi ratione atque officio in his libris dicenda eſſe videbantur. Reliquum eſt, ut, epilogi vice, documenta quaedam, partim ex iis, quae dicta ſunt, partim aliunde, breviter colligamus; quae concionator noſter, tamquam praecipua huius officii capita, habere ſemper ante oculos debeat. Quae qui diligenter obſervaverit, non dubium, quin egregius huius divini operis artifex evaſurus ſit. Sed antequam hoc attingamus, ad memoriam revocanda ſunt, quae de concionatore ipſo in primo huius operis libro diximus. Qua de re quattuor mihi breviter praelibanda eſſe videntur: nempe, quis, quando, & quo temperamento, & quo fine concionator munus ſuum exercere debeat.

Quod vero ad primum attinet, ſancti illi patres, qui deſerta AEgypti loca incolebant, eum praecipue huic officio maturum eſſe credebant, qui ſibi iam conſuluiſſet, quique diuturna bene vivendi conſuetudine omnes animi ſui affectus motuſque compoſuiſſet: ut virtute iam in naturam quodam modo tranſeunte, minima cura mores & actiones ſuas regere, & in officio continere poſſet. Qui enim deſideriorum atque affectuum ſuorum impotentia laborat, cui neceſſe adhuc eſt, cum effrenatis carnis motibus continenter bellum gerere; nondum idoneus eſt, qui ſe totum alienis cupiditatibus frenandis impendat: quandoquidem ſe toto ad ſuarum moderationem indiget. Alios namque erudire, & ad virtutis amorem trahere, perfectorum eſt, & eorum, qui firmas iam radices in virtute iecerunt. Quod quidem natura nos & in arboribus & in animantibus docet: neque enim arbores recenter plantatae fructus continuo ferunt, neque animantia, ubi primum in lucem edita ſunt, fetificant; niſi quum ad iuſtam corporis magnitudinem perve-

venerunt. Quumque maxime naturale viventibus ſit, ſimiles ſibi generare; hoc tamen niſi in adulta perfectaque aetate non praeſtant. Quocirca, probata iam & corroborata virtus ſit, oportet, quae virtutem in aliis ingenerare debet. Recte enim D. Bernardus, cum concionatore agens: (a) dabis, inquit, voci tuae vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi illud perſuaſiſſe cognoveris. Efficacior enim operis, quam oris, vox eſt.

Adde etiam, quod quum praecipuum concionatoris officium in virtutum atque vitiorum natura explicanda verſetur; quis hoc aut intelligere, aut eloqui commodius poterit, quam qui perpetuo vitiis bellum indixit, ſeque totum ad virtutum & divinae legis ſtudium compoſuit? Quamvis enim exquiſita doctrina atque eruditio ad concionandi officium neceſſaria ſit, ſine qua temeraria & caeca eſſet omnis oratio: tamen quum ad eam vitae puritas & ſanctitas accedit, dictu mirum eſt, quantum eius acceſsione doctrina iuvetur. Quam quidem rem ſanctorum patrum ſcripta facile declarant: in quibus videre licet, quantam eorum doctrinae vim & lucem, vitae ſanctitas & innocentia adiunxerit. Hinc regius propheta: (b) ſuper omnes, inquit, docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quaeſivi. Duo ſunt, quae plurimum ad ſapientiam conferunt; ſtudium, & experientia: illud ad doctores, haec ad ſeniores pertinet. (c) *In antiquis* enim eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.

Attamen divinae legis amor atque ſtudium uſque adeo piorum mentes illuſtrat, ut & doctoribus, & aetate provectis anteferatur. Vnde eſt illud Eccleſiaſtici: (d) anima viri ſancti annuntiat aliquando vera, pluſquam ſeptem ſpeculatores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Nam, ut omittam divinae gratiae lumen, & egregia illa Spiritus ſancti dona, quae ad intellectus humani aciem illuſtrandam atque perficiendam conferuntur; quantum, quaeſo, ad virtutum & vitiorum cognitionem parandam adiuvat, in virtu-

(a) *Haec habentur ad ſenſum, epiſt.* 201. (b) *Pſal.* 118. (c) *Iob* 12. (d) *Eccli.* 37.

tutis & pietatis curriculo diu ſudaſſe atque laboraſſe? Vt enim (a) qui navigant mare, narrant pericula eius; ita qui per iter virtutum gradiuntur, & latam vitiorum viam fugere ſtudent; hi plane itineris huius ingreſſum & exitum, praelia & victorias, labores & dolores, variaſque pugnandi artes, & vitae pericula, non ſolum legendo, ſed multo magis pugnando didicerunt. Quis enim melius de ratione venandi, quam venator? quis de piſcandi arte, quam piſcator, dicet? Quis vero anfractus & compendia viarum exploratius, quam aſsiduus viator, intelliget? Qui non eſt, inquit, (b) tentatus, quid ſcit? Qui ſpiritualia numquam arma tractavit, qui numquam cum inimico aperto Marte conflixit, qui ſe illi vinctum atque captivum tradidit, qui numquam cum affectibus ſuis colluctatus eſt, qui nullum propter honeſtatem atque virtutem laborem ſuſcepit; qua ratione de hac ſpirituali pugna diſputare perfecte poterit?

Hac enim de cauſa Annibal (c) Phormionem philoſophum, de re militari diſputantem, irriſit, quod ſenex, qui numquam hoſtem, numquam caſtra vidiſſet, coram ſe, qui tot annos cum populo Rom. orbis victore, bella geſsiſſet, de re militari diſputare auſus eſſet. Quo exemplo non obſcure intelligimus, quanto aliter de ſpirituali militia loquantur, qui in ea ſtrenue verſati ſunt, quam qui numquam illam attigerunt. Iam vero de divini Spiritus delitiis, de internis fidelis animae cum caeleſti ſponſo colloquiis, de caritatis ardore atque impetu, de ſobria illa humanae mentis ebrietate, qua ſanctorum animae rapiuntur in Deum, quis melius dicere poterit, quam qui haec ipſa diu multumque expertus eſt? Qua ex re liquido apparet, veriſsime a Propheta dictum eſſe: (d) a mandatis tuis intellexi. Haec autem non eo conſilio diximus, ut doctrinae vel neceſsitatem vel dignitatem minuamus, ſine cuius luce mortales in denſiſsimis errorum tenebris verſarentur, & ſine qua nemo docendi munus uſurpare in Eccleſia debet; ſed ut oſtenderemus, quemadmodum paullo ante diximus,

(a) *Eccli.* 43. (b) *Eccli.* 34. (c) *Apud Cic. lib. II. de orat. cap.* 18.
(d) *Pſalm.* 118.

quantum lucis & caloris, integritas & ſanctimonia vitae, ſacrae Theologiae ſtudiis atque doctrinae adiungat.

Ex his autem intelligi facile poterit, quod ſecundo loco poſuimus, hoc eſt, quo tempore concionator munus hoc aggredi debeat. Si enim hoc officium ad eos ſolum pertinet, qui firmas in virtute radices iecerunt; conſequens eſt, ut nemo, niſi ad hanc virtutis firmitatem pervenerit, munus hoc obire debeat. Ideoque merito Propheta (a) iuſtum virum ligno comparat, iuxta decurſus aquarum plantato, quod fructum, inquit, ſuum dabit in tempore ſuo. Neque enim omnia omnibus temporibus conveniunt. Recte enim Salomon ait: (b) tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Illud autem ſpectat ad privatam iuſtorum vitam, in qua ii ſpiritualibus delitiis atque amplexibus caeleſtis ſponſi fruuntur; hoc autem ad publicam, quae tota in aliorum ſalute procuranda intenta eſt.

Eleganter admodum Origenes adnotavit, quod magnus ille ſapientiae amator eamdem ſapientiam modo ſponſam, modo vero ſororem appellet. Quamvis diſsimilis utriuſque nominis ratio ſit; utraque tamen in ſapientiam cadit, quae alio tempore ſponſa, alio ſoror eſſe debet. Et quidem quo tempore ſponſa eſt, ſolius ſponſi ſui amplexibus deſtinatur, nec alteri communicari poteſt: ubi vero ſoror eſt effecta, poteſt utique aliis matrimonio copulari. Prius igitur tibi eam ſponſam aſſume, cuius tu ſolus delitiis fruaris. (c) Non enim habet amaritudinem convictus illius, neque taedium converſatio illius, ſed laetitiam & gaudium. Deinde vero illam, ceu caſtiſsimam ſororem, in publicum profer, & aliis fruendam trade. Huius autem ordinis inverſio facit, ut concionator & ſibi ipſi noceat, & aliis prodeſſe nequeat. Non eſt enim iacentis, alium erigere: neque aliis quiſquam dare poteſt, quod ipſe non habeat. Immaturus ſive arborum ſive animantium partus ad frugem minime pervenit. Ita fit, ut concionatoris immaturus labor aliis quidem inutilis, ſibi autem damno atque detrimento ſit. Quod quidem damnum D. Bernardus exponit his verbis:

(a) *Pſalm.* 1. (b) *Eccleſ.* 3. (c) *Sap.* 8.

bis: (a) „ quod tuum eſt, ſpargis & perdis, ſi prius quam „ infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere: contra „ legem arans in primogenito bovis, & ovis primogenitum „ tondens. Nimirum vita atque ſalute, quam alteri das, te „ fraudas, quum, ſana vacuus intentione, gloriae inanis „ vento inflaris. „ Hactenus Bernardus.

§. I.

SEquitur deinde, quod tertio loco poſuimus, hoc eſt, quo temperamento munere ſuo ſit concionator uſurus. Quam rem brevi oratione Eccleſiaſticus docet, quum ait: (b) recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas. Hoc enim caritatis ordo exigit: de quo ſponſa in Cant. gloriatur. Hic autem ordo petit, ut hac ratione concionator aliis proſit, ne ſibi deſit; ſic aliorum ſaluti ſtudeat, ne ſuam deſerat; ſic in alios liberalis, ne ſibi parcus; ſic pius, ne ſibi immitis; ſic denique ſalutaris, ne ſibi inutilis & ſui negligens exiſtat. Hoc autem nos docent quinque illae virgines ſapientes, quae fatuis virginibus, oleum poſtulantibus, prudenter reſponderunt: (c) ne forte non ſufficiat. nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Hoc idem nos Apoſtolus docet, quum ad Timotheum ait: (d) attende tibi, & doctrinae. Hoc enim modo & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt. Priori ergo loco ſibi concionator proſpicere monetur: ſecundo vero, ut tradendae populo doctrinae vacet. Vires igitur ſuas perſpectas atque exploratas habere debet, ut, quod ſibi neceſſarium fuerit, prius ſumat; deinde, quod reliquum fuerit temporis & officii, aliis impendat. Hoc eſt enim quod Eccleſiaſticus inſinuavit, quum dixit: (e) recupera proximum ſecundum virtutem tuam: hoc eſt, ne maiora viribus tuis aggrediare, ſed par ſit virtuti atque facultati onus.

Qua de re ſic Seneca: (f) *quoties aliquid conaberis, te ſimul,*

(a) *Bernard. ſup. Cant. Serm.* 64. (b) *Eccli.* 29. (c) *Matth.* 25. (d) 1. *Timoth.* 4. (e) *Eccli.* 29. (f) *Lib. III. de ira, cap.* 7.

mul, & ea, quae paras, quibuſque pararis, ipſe metire. Idemque rurſus: (a) *ut quietus poſsit eſſe animus, non eſt iactandus, nec multarum... rerum actu fatigandus, nec magnarum, ſupraque vires appetitarum. Facile eſt, levia aptare cervicibus, & in hanc aut in illam partem transferre ſine lapſu.* Illos igitur imitari concionator debet, qui ex alveariis favos decerpunt: qui nequaquam ita illa exhauriunt, ut non apibus alimenta mellis in hiemem repoſita relinquant. Sic etiam paſtores, qui diſtenta lacte ovium ubera emulgent, agnorum, quos lacte nutriunt, rationem habent, ne fetus alimenti inopia deficiat. Ad hunc igitur modum Eccleſiaſtes alios caeleſtis doctrinae pabulo alere debet, ut ſe quoque ipſum ſpiritualibus exercitiis, & interna cum Deo vacatione paſcat. Famem quippe ipſe & inediam ſuſtinebit, ſi, ſe neglecto atque eſuriente, de aliorum tantum pabulo ſollicitus ſit. Qua in re non animantium modo, ſed arborum etiam & terrarum quoque ingenium atque naturam imitabitur. Arbores enim, quae uno anno uberrimos proventus ferunt, ſequenti anno a ſolito ferendi fructus labore feriantur: fertiles etiam agri, qui copioſam uno anno meſſem tulerunt, ſequenti, quo ſe reficiant, a ſolito cultu vacare permittuntur. Si ergo terra, cuius proprium eſt, fructus germinare, hac alterna quiete indiget; quanto magis ſpiritus noſter, qui aliunde quam a natura vires haurit, eadem laboris & quietis viciſsitudine indigebit, ne videlicet exhauſtus deficiat, ſi ſe totum aliis, cura ſui prorſus abiecta, permiſerit?

Ceterum, quoniam tantum in me auctoritatis non eſt, ut mihi fides adhiberi debeat, ſanctiſsimi viri Bernardi, qui non tam humano ſtudio, quam divino hauſtu atque magiſterio, divina tractavit, hac de re ſententiam proferam. Is igitur ad Eugenium pontificem maximum ſic ſcribit: (b) „ audi ergo quid redarguam, quid ſuadeam. Si quod vivis „ & ſapis, totum das actioni, conſiderationi nihil; laudo „ te, in hoc non laudo. Puto quod & nemo qui a Salomone audierit: (c) *qui minoratur actu, percipiet ſapientiam.*

„ Cer-

(a) *Lib. III. de ira, cap. 6.* (b) *Lib. I. de conſiderat. c. 5.* (c) *Eccli. 38.*

„ Certe nec ipsi actioni expedit, considerationе non prae-
„ veniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius, qui (a)
„ omnibus omnia factus est; laudo humanitatem, sed si ple-
„ na sit. Quo modo autem plena, te excluso? Et tu homo
„ es: ergo ut integra sit & plena humanitas, colligat & te
„ intra se sinus, qui omnes recipit. Alioqui quid tibi prod-
„ est, iuxta verbum Domini, (b) si universos lucreris, te
„ unum perdens? Quam ob rem quum omnes habeant, esto
„ etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris mune-
„ re tui? Vsquequo (c) spiritus vadens, & non rediens? Vs-
„ quequo non recipis te & ipse inter alios vice tua? (d) Sa-
„ pientibus & insipientibus debitor es; & soli negas te ti-
„ bi? Stultus & sapiens, servus & liber, dives & pauper,
„ vir & femina, senex & iuvenis, clericus & laicus, iustus
„ & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte
„ publico bibunt pectore tuo; & tu seorsum sitiens sta-
„ bis? Si maledictus, qui partem suam facit deteriorem;
„ quid ille, qui se penitus reddit expertem? Sane deriven-
„ tur aquae tuae in plateas, homines, & iumenta, & pe-
„ cora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahae potum
„ tribuas: sed inter ceteros bibe & tu de fonte putei tui. *A-*
„ *lienus*, inquit, *non bibat ex eo*. Numquid tu alienus? Cui
„ non alienus, si tibi es? „ Haec omnia ad verbum ex D. Bernardo: cuius ego sententiae nihil habeo quod adiicere possim; quum satis superque id, quod volumus, a santissimo viro explicatum sit.

Quarto vero loco his, quae hactenus diximus, illud adiiciendum puto, ut qui hoc divinum munus aggredi constituit, diligenter attendat, quo spiritu atque animi destinatione ad hoc veniat. Hoc est, videat, an per ostium in ovile ovium ingrediatur, an aliunde ascendat. Ostium vero vel flagrans verae caritatis studium, vel maiorum obedientia est. Nemo quippe ad hunc honoris gradum ascendere debet, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron. Recte enim Apostolus: (e) quo modo, inquit, praedicabunt, nisi mittantur? Mitti vero est, a Deo ad hoc opus destinari. Neque

(a) 1. *Corinth.* 9. (b) *Matth.* 16. (c) *Psalm.* 77. (d) *Rom.* 1. (e) *Rom.* 10.

vero ſatis eſt, ut opus ipſum ex natura ſua pium atque ſanctum ſit, ut illud protinus adoriri quiſque debeat, niſi pares oneri vires habeat : hoc eſt, niſi his virtutum ornamentis, quae modo commemoravimus, inſtructus ſit. Tutus autem ad hoc officium aditus obedientia eſt, quae nihil deliberare, nihil diſcutere tenetur : quum ad hanc virtutem,non imperata examinare, ſed diligenter exſequi, pertineat. Sed ne hic quidem ſecuritatis tantum eſt, ut in utramque autem dormire liceat. Nam & Saül (a) ex imperio Domini regni curam ſuſcepit, quam ipſe, quaeſitis etiam latebris, fugere voluit : eum tamen videmus in obedientiae quoque portu graviſsimum vitio ſuo (b) feciſſe naufragium. Sic etiam non pauci munus hoc ex maiorum imperio obeunt: qui, muneris ipſius occaſione elati,aut popularis favoris auram captant, & ad plauſum populi concionantur, aut ex aliorum laudibus & praedicatione inaniter efferuntur : ita fit, ut qui ſpiritu coeperunt, carne conſumantur. Ceterum ſi, quam multis modis in hac parte peccetur, & in quanto ſalutis diſcrimine multi verſentur,quantumque ii boni operis ſpecie decipiantur, explicare dicendo vellem ; nullus eſſet dolorum & querelarum finis. Quocirca conſultius eſſe duxi, rem tantam ſilentio praeterire, quam leviter ac tenuiter eamdem attingere. Hactenus de concionatoris perſona, & vitae integritate diximus : nunc, quod paullo ante polliciti ſumus, aggrediamur.

CAP. XII.

QVAE SINT, QVAE AD CONCIONATORIS officium recte exſequendum praecipue iuvant.

QVoniam multa in his libris ad concionatoris munus utiliter exſequendum neceſſaria explicuimus, quae vix quiſquam ante oculos habere omnia poſsit, erit ſane operae pretium, pauca quaedam ſeligere, quae in hoc opere praecipua ſunt, quaeque ambitu ſuo ea fere omnia, quae

(a) 1.Reg.10. (b) 1.Reg.13.

quae diximus, complectuntur. Horum autem primum, & maximum, & aliorum paene omnium cauſa, caeleſtis ſpiritus eſt: quo ſane plenus erat ille, qui dicebat: (a) ego autem repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio, & virtute, ut annuntiem Iacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatum ſuum.

Hic autem ſpiritus vitae integritatem atque ſanctitatem donat, hic concionatoris pectus ardore caritatis inflammat, hic flagrantiſsimam fraternae ſalutis ſitim accendit, hic maeſtiſsimum pereuntium animarum dolorem excitat, hic aſsiduas pro illis preces ad Dominum fundere compellit: quae omnia evangelico concionatori neceſſaria eſſe diximus. Qua de re ſic D. Bernardus: (b) „ illius doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed „ mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, ſi gemere doceas: & ſi perſuadere vis, gemendo id magis, „ quam declamando, ſtudeas, oportebit. „ Verum quoniam hac de re multa in primo huius operis libro dicta ſunt; in praeſentia hoc ſolum aſſeveranter affirmare audeo, plus hunc caeleſtem ſpiritum ad bene dicendum, quam omnia rhetorum praecepta, in unum congeſta, iuvare. Quum autem hoc Dei donum, & clariſsimum quidem donum, ſit; continuis precibus ab eo flagitandum eſt, qui (c) dat ſpiritum bonum petentibus ſe. Nemo enim arte & ſimulatione huius divini Spiritus vim exprimere ſe poſſe confidat. Recte enim Fabius: (d) „ prodit, inquit, ſe, quamlibet „ cuſtodiatur, ſimulatio: nec umquam tanta fuerit elo„ quendi facultas, ut non titubet ac haereat, quoties „ ab animo verba diſſentiunt. „

Secundo loco, poſt divini Spiritus gratiam, cui primas partes tribuimus, pronuntiandi facultas eſt; quae, incredibile dictu eſt, quantum in dicendo dominetur: de qua, quum tam multa dicta ſint, nihil eſt quod hoc in loco dicere amplius debeamus.

Tertio vero loco verborum copia paranda eſt: quam

(a) *Mich.* 3. (b) *Sup. Cant. Serm.* 59. (c) *Luc.* 11. (d) *Inſtitut. lib. XII. cap.* 1.

nisi multa eorum librorum lectione, qui patria lingua, qua in concionibus utimur, scripti sunt, nullo modo sibi quisquam perfecte comparare poterit. Quae res quam sit concionatori necessaria, causis redditis explicandum est. Constat igitur, summam eloquentiae in hoc sitam esse, ut dignitati rerum par sermo tribuatur: hoc est, ut unamquamque rem tantam dicendo faciamus, quanta est; ne sermo rerum pondere & dignitate sit inferior. Sicut igitur umbra corpus; ita sermo naturam rerum sequi, & cum ea cohaerere debet. Ad hoc autem praestandum duo sunt necessaria: alterum, ut eas res, de quibus dicturi sumus, totamque earum vim atque naturam pro dignitate concipiamus; alterum vero, ut hoc ipsum, quod mente concepimus, verborum atque orationis ministerio plenissime declaremus, ipsamque mentem nostram in auditorum animos quodam modo transmittamus. Hoc autem quam sit difficile praestare, exposito inter modum loquendi angelorum & hominum discrimine, intelligi poterit.

Angeli enim, praesertim qui superioris ordinis sunt, quemadmodum per pauciores species plura intelligunt, ita brevissima temporis mora conceptus suos aliis patefaciunt. Ceterum, quod ad homines attinet, adeo angusta intellectus humani vena est, ut & longiori mora ad plura intelligenda, multisque verbis ad ea explicanda egeat. Itaque angeli, ut vasa oris latissimi, quidquid intra se habent, momento temporis effundunt: hominum vero mens, & lingua, mentis interpres, ut vasa oris angusti, guttatim, ut ita dixerim, & longo temporis spatio unius rei naturam multis verbis exprimunt. Ad hoc igitur efficiendum, ubi res ipsas perfecte conceperimus, multa verborum supellex in promtu habenda est; ut necesse non sit, dicentem ad singulos animi conceptus haerere, & velut ostiatim mendicare, quonam modo illos afferre debeat. Nec multitudo solum verborum tumultuaria atque promiscua, sed selectissima eorum copia paranda est, quae significantissime & appositissime mentem nostram exprimant. Alia enim verba apertius, alia ornatius, alia significantius rerum natu-

turam explicant. Sed illud adhuc difficilius, ut verba rebus accommodentur. Alia enim verba rebus laetis, alia triſtibus, alia grandibus, alia atrocibus ſerviunt. Atrocibus namque verba ipſa atrocia & auditu aſpera conveniunt.

Ad hanc ergo idoneorum verborum copiam velut in procinctu habendam, opus eſt, ut diximus, multa eorum librorum lectione, qui ornatiſsime patrio ſermone ſcripſerunt. Nec ſatis eſt, multa tumultuarie & properanter legere, niſi diligenter & eius linguae phraſes, & idiomata, & verba omnia, quae vel tropo aliquo a propria ſignificatione deflexa ſunt, vel quae ſignificantiſsime aut aptiſsime rem exprimunt, obſervemus. Praecipueque inſignes metaphorae & allegoriae adnotandae: quae, quoniam unico aut paucis verbis ſimilitudinem quamdam comprehendunt, incredibile dictu eſt, quantam orationi gratiam addant, quantumque ad res ipſas non modo explicandas & ornandas, ſed multo magis ad amplificandas & augendas valeant: quando res magnas, quarum tamen magnitudinem non aſſequimur, rerum maximarum translatis nominibus explicamus: ut quum, verbi gratia, daemonem appellamus leonem, draconem, ſerpentem antiquum, generis humani hoſtem, principem tenebrarum, truculentam beſtiam, &c. Qua de cauſa libri pſalmorum & prophetarum, metaphoris & allegoriis ubique ſcatent.

Harum ergo inſignium metaphorarum magnam vim ſibi Eccleſiaſtes comparandam aſsidua lectione curabit. Quibus tamen prudenter ac ſobrie uti debet: ut videlicet neque metaphora ſit nimium frequens, nec dura, aut ſordida, aut obſcura; quales quaedam ſunt ex philoſophiae penetralibus excerptae: ac multo minus, humilis; quales ſunt, quae ex rebus vilibus & ſordidis ſumuntur. Nec longius etiam progrediatur, ut multi faciunt, qui accepta ſemel metaphora recedere neſciunt. Quo fit, ut quum multa & varia eodem quaſi habitu veſtire nitantur, multa duriter, improprie, & parum verecunde dicant. Nam oratio magna ex parte proprio ſermone conſtare debet.

Iu-

Iuvabit autem memoriam haec eadem in libris, ſubiectis virgulis, aut ſignis aliquot, adnotare: ut quum eadem relegimus, horum admonitu ſignorum, ibidem pedem figamus; & memoriae atque imitationi, quod adnotavimus, commendemus.

Nec troporum gratiam ſolum, ſed inſignes quoque figuras, tam verborum, quam ſententiarum, de quibus in ſuperiori libro diximus, & quidquid poſtremo artis eſt, adnotare legendo debemus. Sic enim fiet, ut artis praecepta, variis exemplis renovata, tenacius memoriae haereant, & velut ante oculos habeantur, atque dicenti ſe ſe vel non quaeſita offerant. Qui vero diligentiores in hac parte ſunt, inſignia loca, quae legentes obſervarunt, in albeolo, ad hoc parato, ſcribunt; ut frequenti lectione ad eorum imitationem, quae ſelegerunt, promtiores fiant. Quod cum alias, tum praecipue quum concionaturi ſunt, facere debent; ut hac diligentia, verborum copia illis facile ſuppetat.

§. I.

CVius vero utilitatis huiuſmodi lectio ſit, vel ex eo patet, quod quum tria ſint, quae eloquentiam pariant, nempe ars, imitatio, & exercitatio; lectio ad imitationem pertinet, quae nobis ante oculos ponit, quid in dicendo ſequi & imitari debeamus. Sed operae pretium erit, haec ipſa, quae diximus, Fabii auctoritate non ſolum comprobare, ſed uberius etiam explicare. Is igitur, quam ſit dicenti verborum copia neceſſaria, & quonam modo paranda ſit, oſtendit his verbis.

(a) „ Haec eloquendi praecepta ſicut cognitioni ſunt „ neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent, niſi illis „ firma quaedam facilitas, quae apud Graecos *exis* (*id eſt* „ *habitus*) nominatur, acceſſerit: quam ſcribendo plus, „ an legendo, an dicendo conſequamur, ſolere quaeri „ ſcio. Quod eſſet diligentius nobis examinandum, ſi qua-

„ li-

(a) *Quinctil. inſtit. lib. X. cap. 1. in principio.*

„ libet earum rerum poſſemus una eſſe contenti. Verum
„ ita ſunt inter ſe connexa & indiſcreta omnia, ut ſi quid
„ ex his defuerit, fruſtra ſit in ceteris laboratum. Nam ne-
„ que ſolida atque robuſta fuerit umquam eloquentia, ni-
„ ſi multo ſtilo vires acceperit: & citra lectionis exem-
„ plum labor ille, carens rectore, fluit. Qui autem ſcierit,
„ quo ſint quaeque modo dicenda, niſi tamquam in pro-
„ cinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquen-
„ tiam, velut clauſis theſauris incubabit.

Et mox: „ num ergo dubium eſt, quin ei velut opes
„ ſint quaedam parandae, quibus uti, ubicumque deſidera-
„ tum erit, poſsit? Eae conſtant copia rerum ac verborum.
„ Sed res propriae ſunt cuiuſque cauſae, aut paucis com-
„ munes: verba in univerſas paranda: quae ſi rebus ſin-
„ gulis eſſent ſingula, minorem curam poſtularent: nam
„ cuncta ſe ſe cum ipſis protinus rebus offerrent. Sed quum
„ aliis ſint alia aut magis propria, aut magis ornata, aut
„ plus efficientia, aut melius ſonantia; debent eſſe non ſo-
„ lum nota omnia, ſed in promtu, atque, ut ita dicam,
„ in conſpectu: ut quum ſe iudicio dicentis oſtenderint,
„ facilis ex his optimorum ſit electio. Equidem ſcio, quoſ-
„ dam collecta, quae idem ſignificarent, vocabula, ſoli-
„ tos ediſcere, quo facilius & occurreret unum ex pluri-
„ bus, & quum eſſent uſi aliquo, ſi breve intra ſpatium
„ rurſus deſideraretur, effugiendae repetitionis gratia ſu-
„ merent aliud, quo idem intelligi poſſet: quod cum
„ eſt puerile, & cuiuſdam infelicis operae, tum etiam uti-
„ le parum: turbam enim modo congregat, ex qua ſine
„ diſcrimine occupet proximum quodque. Nobis autem
„ copia cum iudicio paranda eſt, vim orandi, non cir-
„ culatoriam volubilitatem, ſpectantibus. Id autem conſe-
„ quemur, optima legendo atque audiendo. Non ſolum
„ enim nomina ipſa rerum cognoſcemus hac cura, ſed cui
„ quodque loco ſit aptiſsimum: omnibus enim fere ver-
„ bis, praeter pauca, quae ſunt parum verecunda, in oratio-
„ ne locus eſt.

Et paullo poſt: „ omnia verba, exceptis de quibus

di-

„ dixi, ſunt alicubi optima : nam & humilibus interim &
„ vulgaribus eſt opus, & quae cultiore in parte viden-
„ tur ſordida, ubi res poſcit, proprie dicuntur. Haec ut
„ ſciamus, atque eorum non ſignificationem modo, ſed
„ formas etiam menſuraſque norimus, ut ubicumque
„ erunt poſita, conveniant ; niſi multa lectione atque
„ auditione aſſequi nullo modo poſſumus, quum omnem
„ ſermonem auribus primum accipiamus. Propter quod
„ infantes a mutis nutricibus iuſſu regum in ſolitudine
„ educati, etiamſi verba quaedam emiſiſſe traduntur, ta-
„ men loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius
„ naturae, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut
„ nihil ſignificationis, quo potius utaris, interſit, ut en-
„ ſis & gladius : alia, quae etiamſi propria rerum ali-
„ quarum ſint nomina, *tropicos* tamen ad eumdem intel-
„ lectum feruntur, ut ferrum & mucro. Nam per abuſio-
„ nem ſicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quo-
„ cumque commiſerint : alia circuitu verborum plurium
„ oſtendimus, quale eſt : (a)

..... *& preſsi copia lactis.*

„ Plurima vero mutatione figuramus : ſcio, non ignoro:
„ &, non me fugit, non me praeterit : &, quis neſcit ?
„ Nemini dubium eſt. Sed etiam ex proximo mutuari li-
„ cet : nam & intelligo, & ſentio, & video ſaepe idem
„ valent, quod ſcio. Quorum nobis ubertatem ac divitias
„ dabit lectio, ut his, non ſolum quo modo occurrerint,
„ ſed etiam quo modo oportet, utamur. Non ſemper
„ enim haec inter ſe idem faciunt, nec ſicut de intelle-
„ ctu animi recte dixerim, *video*, ita de viſu oculorum,
„ *intelligo*. „

Deinde vero, quum legendo & audiendo verborum copia paretur, lectionem auditioni idem Fabius anteponit his verbis: (b) „ in lectione certius iudicium, quod audien-
„ ti frequenter aut ſuus cuique favor, aut ille laudantium
„ clamor extorquet. Pudet enim diſſentire, & velut ta-
„ cita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere:

„ quum

(a) *Virg. Ecl. I. v. 82.* (b) *Loco cit. paucis interiectis.*

„ quum & interim vitiosa pluribus placeant, & a corro-
„ gatis laudentur etiam, quae non placent: sed e contra-
„ rio quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava iu-
„ dicia non referant. Lectio libera est, nec actionis im-
„ petu transcurrit, sed repetere saepius licet, sive dubi-
„ tes, sive memoriae penitus affigere velis. Repetamus
„ autem & tractemus, & ut cibos mansos ac prope
„ liquefactos demittimus, quo facilius digerantur; ita
„ lectio non cruda, sed multa iteratione mollita &
„ velut confecta, memoriae, imitationique tradatur: ac
„ diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi
„ minime fallat, legendus est: sed diligenter, ac paene
„ ad scribendi sollicitudinem: nec per partes modo scru-
„ tanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro
„ resumendus, praecipueque oratio, cuius virtutes fre-
„ quenter ex industria quoque occultantur. „ Haec omnia ad verbum ex Fabio.

§. II.

NVnc, quas utilitates ex verborum copia concionator sit assequuturus, paucis absolvam. Primum quisquis copiosam idoneorum verborum supellectilem sibi comparaverit; animi sui sensus plenissime atque significantissime, quod eloquentiae maxime proprium est, explicabit. Quum enim, ut philosophi docent, ea, quae sunt in voce, sint earum, quae in anima sunt, passionum notae; qui his vocibus abundaverit, easque velut ad manum assidua lectione habuerit, facilius, & brevius, & significantius animi sui sensum exprimet. Deinde etiam minori studio atque labore concionem adornabit. Facile enim qui verborum dives est, mentem suam vel dicendo, vel scribendo poterit explicare: qui secundus atque praecipuus, post rerum inventionem, labor est. Postremo hic idem verborum apparatus hoc etiam praestat, ut a metu & trepidatione, qua concionatorum multi laborant, magna ex parte liberi simus. Hic autem metus duo

gra-

graviſsima incommoda parit, quae totam paene vim dicendi exhauriunt. Primum enim mentem dicenti eripit, quae, timoris magnitudine oppreſſa, non ſatis providet, neque quid dicere, neque quo modo dicere debeat. Hoc autem quid aliud eſt, quam ſopito gubernatori clavum in tempeſtate committere? Mens enim orationis clavum moderari, &, quae dicenda ſunt, excogitare debet; ne lingua mentem, ſed mens linguam praecurrat: quae tamen, metu urgente obruta, magna ex parte acumine ſuo & luce deſtituitur, atque ita aegre admodum, quae dicenda ſunt, providet. Idem etiam metus, ut initio (a) diximus, pronuntiationi obſtat, quae maximam in dicente libertatem, atque, ut ita dixerim, dominium requirit: ut homo ſui compos, eodem temporis ſpatio, & quid dicat, & qua vocis figura & varietate dicat, prudenter attendat. Hanc autem in dicendo libertatem plenius aſſequitur, cui verborum copia ſuppetit. Haec enim praeſtat, ut in quavis periodo, vel temere etiam coepta, exitum tandem ſine ullo erroris aut haeſitationis dedecore, verborum copia ſuffragante, invenire valeas. Quae res magna ex parte dicenti timorem adimit, quum ſciat, facile ſibi paratum ad omnia offendicula remedium. Quocirca non negligenter curanda ea res eſt, quae tot nobis ad dicendum adiumenta praebet.

Nemo tamen arbitretur, hanc verborum copiam ideo parari, ut multis nominibus idem ſignificantibus rem eamdem, quod quidam nimis inepte faciunt, exprimamus. Hoc enim, niſi in loco fiat, inaniſsimum & vana oſtentatione plenum eſt: ideoque nihil magis verae eloquentiae contrarium. Neque etiam hoc quaerimus, ut, a communi ſermone recedentes, ſelectiſsimis verbis ſemper utamur. Hoc enim & curioſitatis, & vanitatis, & affectatae eloquentiae ſignificationem dat: & ita fidem dicenti abrogat. In quid ergo hanc verborum copiam paramus? Sane ut & breviter, & facile, &, quod caput eſt, ſignificantiſsime animi noſtri ſenſum, ut paullo ante (b) diximus, exprimamus:

(a) *Cap. 7. pag. 389.* (b) *Lib. V. cap. 20. §. II. pag. 354. ſeq.*

mus : idque ſine ulla ſermonis aut improprietate , aut ruſticitate. Ille autem verborum & orationis ornatus maxime probandus eſt , qui res ipſas ſequitur : ut ſermonis elegantia non aliunde adſcita , ſed cum rebus ipſis nata videatur. Immo verbum omne inuſitatum , quodque aliquam artis ſuſpicionem prae ſe ferat, non aliter, quam ſcopulum in navigando,fugiendum eſſe moneo. Indigniſsimum quippe cordatis auditoribus videtur , ubi tam magna rerum momenta verſantur , de verbis magis , quam de rebus , eſſe ſollicitum. Qua de re multa iam in ſuperioris libri initio (a) ex Fabii ſententia diximus.

Haec tam longa oratione proſequutus ſum, quod , multis experimentis edoctus , quantum facultas haec utilitatis ad bene dicendum afferat , intellexi. Non ignoro tamen, aliquos citra hanc operam , immo vero citra ullum artis ſtudium , ornatiſsime dicere ; atque ii praeſertim , qui frequenti uſu concionandi copioſam verborum ſegetem ſibi compararunt : ſed hi tamen , ut Fabius ait , excellentis naturae atque ingenii ſui imitatores habent paucos , negligentiae vero quam plurimos. In hoc igitur arti operam damus , ut qui tam egregiam dicendi facultatem a natura non accepimus , artis beneficio conſequamur : & quod illis praeclara indoles ingenii dedit , nobis ars & induſtria conferat. Nam & illi ipſi , qui a natura ad bene dicendum ficti & compoſiti ſunt , multo uberius & ornatius id feciſſent , ſi naturam arte atque diſciplina iuviſſent.

Sed quoniam eorum librorum lectionem , qui patria lingua ſcripti ſunt , ad parandam verborum copiam conferre diximus ; meminerit ſtudioſus concionator , eloquentiam non in verbis tantum , ſed multo magis in ſententiis eſſe. Quod indicant non modo figurae ſententiarum, de quibus in ſuperiori libro (b) diſſeruimus , ſed etiam variae amplificandi , probandi , narrandi , deſcribendi , & exordiendi rationes , quas in ceteris libris expoſuimus:

quae

(a) *Cap. 1. pag. 233. ſeq.* (b) *Cap. 12. ſeqq. a pag. 249.*

quae non tam verbis, quam ſententiis, conſtant. Vt autem his quoque virtutibus oratio noſtra excolatur, alios nobis auctores ad imitandum proponere debemus, nempe Cyprianum, Chryſoſtomum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, atque Niſſenum, Magni Baſilii fratrem, ceteroſque ſimiles patres; in quibus elegantiſsima oratoriae facultatis exempla reperiemus. Vtrique igitur auctores ſtudioſe legendi, ut ex illorum lectione verborum copiam comparare, horum vero ceteras eloquentiae virtutes referre atque imitari poſsimus. Sic enim fiet, ut his exemplis adiuti, apte atque ornate dicere valeamus. Recte enim Fabius: (a) „ omnis, inquit, vitae ratio ſic con-
„ ſtat, ut quae probamus in aliis, facere ipſi velimus.
„ Sic litterarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſe-
„ quuntur: ſic muſici vocem docentium, pictores opera
„ priorum, ruſtici probatam experimento culturam in ex-
„ emplum intuentur. Omnis denique diſciplinae initia
„ ad propoſitum ſibi praeſcriptum formari videmus. Et
„ hercle neceſſe eſt, aut ſimiles aut diſsimiles bonis ſi-
„ mus. Similem raro natura praeſtat, frequenter imita-
„ tio. „ Hactenus Fabius.

§. III.

VLtimo loco illud admonendum eſt, artis praecepta atque horum auctorum lectionem, ſine ſtilo & exercitatione ſcribendi, quod ad eloquendi rationem attinet, exigui admodum fructus eſſe. Haec enim duo priora ad hoc poſtremum ceu ad finem deſtinata ſunt: quo ſublato, neceſſe eſt, illa fruſtra eſſe. Quin & illa ipſa plurimum ſcribendi uſu & exercitatione iuvantur. Qua in re illud evenire videmus, quod philoſophi aiunt, nempe cauſas ſibi invicem eſſe cauſas, hoc eſt, mutuis ſe auxiliis iuvare. Conſtat enim, artis praecepta, & bonorum auctorum lectionem, magnopere ad uſum ſcribendi atque dicendi conferre. Nam & ars dux eſt, quae dicendi rationem ordi-

nem-

(a) *Inſtit. lib. X. cap. 2. ſub init.*

nemque deſcribit : & lectio , praeterquamquod artis praecepta confirmat , idoneorum verborum copiam ſuppeditat, & veluti exemplar nobis ante oculos ponit , quod ſcribentes intueri & referre poſsimus.Contra vero ſtilus ipſe , praeterquamquod exercitatione ipſa facultatem dicendi parat, quid ſcribenti potiſsimum deſit , hoc eſt , quibus praecipue verborum aut ſententiarum ornamentis deſtitutus ſit , re ipſa experitur. Quo fit , ut multo attentius atque diligentius ſe in bonorum auctorum lectione & artis obſervatione gerat, ut inopiae ſuae , lectionis opibus, conſulere valeat.

Qua ex re liquido apparet , verum eſſe , quod dici ſolet, optimum dicendi magiſtrum eſſe ſtilum ; ideoque illum Fabius commendat his verbis : (a) „ ut laboris , ſic utilitatis „ etiam longe plurimum affert ſtilus. Nec immerito M. Tul„ lius (b) hunc optimum effectorem ac magiſtrum dicendi „ vocat... Scribendum ergo quam diligentiſsime , & quam „ plurimum. Nam ut terra , altius effoſſa , generandis alen„ diſque ſeminibus fecundior eſt ; ſic profectus non a ſum„ mo petitus , ſtudiorum fructus & fundit uberius , & fide„ lius continet. Nam ſine hac quidem conſcientia , ipſa illa „ ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem „ dabit, & verba in labris naſcentia. Illic radices , illic fun„ damenta ſunt.Illic opes velut ſanctiore quodam aerario re„ conditae , unde ad ſubitos quoque caſus, quum res exiget, „ proferantur. Vires faciamus ante omnia , quae ſufficiant „ labori certaminum , & uſu non exhauriantur. Nihil enim „ rerum ipſa natura voluit magnum effici cito , propo„ ſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem ; quae „ naſcendi quoque hanc fecerit legem , ut maiora anima„ lia diutius viſceribus parentum continerentur. „ Hactenus Fabius.

Quamvis autem multa ſint argumentorum genera , in quibus eloquentiae candidatus ſtilum exercere valeat ; nulla tamen in re utilius exerceri poterit , quam in aliquot ſanctorum patrum elegantiſsimis ſcriptis patria lingua verten-

(a) *Inſtit. lib.X. cap.3. ſub init.* (b) *Lib.I.de orat. cap.33.*

dis: quales ſunt plurimae D. Baſilii homiliae, atque illae in primis, quas in laudem (a) Gordii, & quadraginta militum martyrum ſcripſit. Sic multa ex D. Chryſoſtomo verti poſſunt: ut libri duo de ratione orandi, tres de divina providentia ad Stagiritem monachum arrepticium, & ſex item de ſacerdotio: in quibus libris omnes eloquentiae virtutes, ac praecipue miras amplificandi rationes, inveniet. In his igitur aut ſimilibus ſcriptis vertendis Eccleſiaſtes non modo ſtilum exercebit atque formabit, ſed multa etiam & praeclara orationis ornamenta deprehendet, ad quorum exemplar ipſe ſua, quum alias ſcripſerit, effingere curabit. Horum autem eloquentiſsimorum patrum, aliorumque ſimilium, exemplo, ut hoc obiter admoneamus, intelligere licebit, nequaquam rhetoricae artis praecepta divino ſpiritui obſiſtere: quum utrumque in his viris ſanctiſsimis videamus, qui & Dei ſpiritu pleni, & artis atque eloquentiae ſtudiis inſtituti, artificioſiſsime & elegantiſsime ſcripſerunt. Legat qui volet D. Cypriani ſermonem de lapſis, & dubitare merito poterit, quid in eo magis mirari debeat; an ſummam eloquentiae vim, an flagrantiſsimum caritatis & pii doloris affectum, quo miſerandum lapſorum caſum & ruinam maeſtiſsima oratione lamentatur. Ars enim diuturna conſuetudine in naturam quodam modo verſa, & intellectus iam pridem artis praeceptis imbutus, non tam ex arte, quam ex ſe ipſo, quae dicenda ſunt, arte inconſulta providet: ideoque non modo divino ſpiritui, mentem hominis agenti atque inflammanti, non obſiſtit, ſed illi etiam miniſterium vocis accommodat, ut flammas ſuas, verborum copia ſuffragante, foras emittat. Quod ideo dixi, ne me quiſquam, tot praeceptis tradendis, divino ſpiritui aditum praecludere, aut impedimentum apponere arbitretur: praeſertim quum primum iam & ſummum locum huic ſpiritui tribuerim.

§. IV.

(a) *In omnibus, quotquot vidi, Granatenſis exemplaribus legitur* Gorgonii. *Mendoſe: nulla enim exſtat S. Baſilii homilia in laudem* Gorgonii; *bene vero in* Gordium martyrem. *Ea vero eſt XVIII. tom. II. edit. Pariſ.* 1722. *pag.* 141. *ſeqq.*

§. IV.

QVartum inter haec locum inventioni damus: quae licet prima natura ſit, quia tamen in eloquendo materiae vicem obtinet, quae eloquutionis atque pronuntiationis virtutibus, ceu formis quibuſdam, ut ante (a) diximus, excolenda & velut informanda eſt, poſteriorem illi locum dedimus. Nec hoc mirum videri debet, quum paſſim cernere liceat, praeclara quorumdam concionatorum inventa, ſi eloquutionis & actionis gratia deſtituantur, auditoribus parum grata, ideoque minus utilia eſſe: vulgaria vero, & quotidiana paene conſuetudine detrita, ſi his virtutibus illuſtrentur, ab eiſdem maxime probari. Inventionis autem prima virtus eſt electio: quam, ut Fabius ait, (b) multi ab inventione tamquam novam orationis partem ſecreverunt: tantum in illa momenti eſſe putabant. Ad eam vero pertinet, ut non vulgaribus inventis contenti ſimus, ſed optima, & ad id, quod efficere volumus, accommodata, eligamus. Sunt enim humilia quorumdam ingenia, qui, res inſigniores praetereuntes, aut earum vim minime aſſequentes, vulgatiſsima quaeque & rudibus etiam pervia conſectantur. Qua in re vis ingenii & acumen maxime deſideratur: quod faciat, ut, inſtar periti aurificis, prudenter metallorum valorem & dignitatem expendamus, & purum ab adulterino auro diſcernamus.

Sunt autem multi, qui ingeniorum ſuorum inventa, quamlibet rudia ſint, philautia, communi generis humani morbo, decepti, pluſquam par eſt, diligant: parentum more, qui liberos ſuos, quamvis deformes, & amore ſuo digniſſimos, & pulcherrimos iudicant. A quo morbo qui immunis fuerit, multo rectius de inventis poterit iudicare. Quamvis non deſint alii, qui adeo longe ab hoc affectu abſint, ut nihil illis ſuum placeat. Vtrumque autem vitium; & omnia ſua amare, & nihil. Et neſcio, inquit Fabius, (c) *utros peccare validius putem*: an eos, *quibus omnia ſua placent*, an

(a) *In praefat. operis.* (b) *Inſtit. lib. III. c. 3.* (c) *Inſtit. lib. X. c. 3.*

quibus nihil ſuum placet. Praeclara autem inventa, & ſelectae ſententiae, hoc etiam praeſtant, quod dicentis animum ſplendore & dignitate ſua afficiunt: qui ſic affectus, facile & commodiſsima verba, & dicendi figuras rei accommodas eligit, quibus, quod ipſe animo concepit, enuntiet. Quid quod hic ipſe affectus non modo facultatem ad eloquendum, ſed vim etiam atque animum ad agendum confert; ut quem ipſe affectum animo conceperit, in animos auditorum ipſa actionis vi atque calore transfundat? Quo modo ergo philoſophi dicunt, formas rerum corporearum ex materiae ſinu & potentia educi; ita plane ex praeclara aliqua & inſigni ſententia duplex in dicendo forma, eloquutionis videlicet & actionis, educitur.

Altera vero inventionis virtus eſt, ea potiſsimum dicenda eligere, quae & argumenti natura, & auditorum conditio & neceſsitas poſtulat. Ex his autem duobus apte dicendi ratio praecipue ſumitur: quamvis diligentius auditorum, quam argumentorum, cura habenda ſit, ad quorum inſtitutionem, tamquam ad ſcopum, tota oratio dirigenda eſt. Quod multi non attendentes, &, quid argumenti natura exigat, ſolum perſpicientes; longius in ea re, quam pro auditorum commoditate, progreſsi, eoſdem paene vacuos inaneſque relinquunt. Sic non nulli, Phariſaeorum adverſus Dominum calumnias & odium perſequentes, quum multa ſe ſe illis loca ex evangelica hiſtoria in eamdem ſententiam offerant; ea omnia congerere & accumulare ſtudent, in eaque re vel totam, vel maximam concionis partem, auditorum inſtitutione neglecta, inſumunt. Tales autem, velut in ipſo itinere poſiti, & rerum, quae in via ſe ſe offerunt, ſpecie capti, quo tenderent, obliti ſunt. Omnia enim, quae dicimus, ad bonos mores inſtituendos, & malos revellendos, conferenda eſſe conſtat. Id ergo ſolum dicendum eſt, & tantum in eo immorandum, quantum ad hunc finem conducat. Itaque ut fabri lignarii & caementarii ad amuſim omnia expendunt, quae moliuntur; neque quidquam probant, quod vel parum ab ea deflectitur: ſic Eccleſiaſtes hanc ſemper ante oculos ſive amuſim ſive ſcopum proponat;

mat ; neque quidquam , quamlibet novum , aut ſubtile , aut auribus populi gratum , ad ſe pertinere putet , quod ad hoc inſtitutum non pertineat. Alias proditionis ſe reum exiſtimet, ſi , cauſam Chriſti & animarum agens , rem ſuam magis, quam Chriſti , curet ; ſuique magis, quam ſalutis animarum, rationem habeat.

Ad hanc autem obſervationem ſpectat , ut pro auditorum varietate ſermo dicentis accommodetur. Qua de re ſic D. Gregorius : (a) „ ut , inquit , longe ante nos reverendae memoriae Gregorius Nazianzenus edocuit , non una eademque cunctis exhortatio congruit : quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit. Saepe namque aliis officiunt , quae aliis proſunt : ... quia & plerumque herbae, quae haec animalia enutriunt , alia occidunt ; & levis ſibilus equos mitigat , & catulos inſtigat ; & medicamentum , quod hunc morbum imminuit , alteri vires iungit; & panis , qui vitam fortium roborat , parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium , formari debet ſermo doctorum , ut & ſua ſingulis congruant , & tamen a communis aedificationis arte numquam recedat. „ Idemque rurſus in eodem libro de hac virtute ſit ait : „ lingua noſtra bonis fomentum ſit , pravis aculeus : tumidos retundat , iratos mitiget , pigros exacuat , deſides hortatu ſuccendat , refugientibus ſuadeat , aſperis blandiatur , deſperatos conſoletur : ut qui doctores dicimur , viam ſalutis gradientibus oſtendamus. „

Vt autem Eccleſiaſtes haec ipſa commode praeſtare valeat , diligenter mores hominum , apud quos dicit , & publica item vitia , quae maxime in populo graſſantur , perſpecta atque etiam in chartis deſcripta habere debet , eorumdemque vitiorum medicamenta & remedia : ut ad haec ipſa omnis eius oratio dirigatur , & quocumque in dicendo eum vis argumenti rapuerit , meminerit , ad haec illi rurſum eſſe redeumdum : fruſtra enim dici videtur , quidquid extra hunc finem vagatur.

Hoc autem vel maxime praeſtare ſolent , qui ita ſe huic of-

(a) *In Paſt. parte III. in prol.*

officio dediderunt, ut in eos fidelis operarii nomen, quo illos Dominus in evangelio (a) appellavit, cadere merito poſsit. Hi namque non modo concionibus frequenter habendis, ſed etiam quotidianis poenitentium confeſsionibus audiendis, ſaluti animarum continenter incumbunt. In his autem non modo communes hominum mores, & vana ſtudia, & communia ſcelera quotidie addiſcunt; ſed etiam, quod maius eſt, iuſtam animo indignationem, piamque malorum compaſsionem adverſus ea concipiunt. Quo fit, ut maiore adverſus illa impetu & ardore declament. Quin etiam, quae ſint vera & ſalutaria vitiorum remedia, hoc eodem opere aſſequuntur; quando de huiuſmodi morborum medicamentis quotidie tractare & cogitare coguntur. Nec communia ſolum vitia, quae in populo graſſantur, ſed perverſas etiam de rebus opiniones, & ſophiſticas atque apparentes rationes, quibus ad ea rapiuntur, ibidem addiſcunt, & adverſus illas graviſsimarum rationum praeſidia comparant. Eſt apud nos inſignis quidam concionator, cuius hoc vel praecipuum ſtudium eſt, vulgares atque fallaces perditorum hominum opiniones atque ſententias, quibus ipſi vitia ſua tuentur, acerrimis rationibus confutare atque proſcindere. Quum enim omne vitium error aliquis in intellectu, aut prava aliqua perſuaſio antecedat; conſultiſsimum eſt, ſecurim ad radicem apponere, ut (b) omnis plantatio, quam non plantavit pater caeleſtis, radicitus evellatur. Harum autem ſive opinionum, ſive vitiorum cognitio facit, ut & aptiſsime dicamus, & attentiores etiam auditores habeamus: quandoquidem attentius ea homines audiunt, quae ad ſe maxime pertinere intelligunt.

Quae autem cautio in huiuſmodi vitiis carpendis adhibenda ſit, ne pro ſalutaribus pharmacis venena, aut aliquius gravis offenſionis materiam, populo praebeamus; concionatoris prudentiae relinquo. Illud autem admonendum eſſe duxi, ne facile delatoribus fidem habeat, quum aut praefectorum aut praelatorum ſuorum mores accuſant. Sae-

pe

(a) *Luc.* 12. (b) *Matth.* 15.

pe namque hi, vel levibus cauſis inducti, vel privatis affectibus incitati, falſa in illos crimina intendunt; quibus concionatores fidem adhibentes, ea ſtatim in concionibus, ſine ullo gravi delationis teſtimonio aut examine, criminantur: qua quidem re non levem contra ſe maiorum ſuorum indignationem atque invidiam conflant; & non modo apud illos doctrinae fructum, ſed fidem etiam, amittunt. Quocirca nullibi magis, quam in aliquarum perſonarum vitiis perſtringendis, concionatoris prudentia deſideratur: ne vel dicenda ſileat, vel non dicenda temere effutiat.

Diſsimili autem ratione, ſed non minori fortaſſe incommodo, peccant, qui dicteriis & facetiis populum ad riſum movent. Hi namque in ſe ipſos iniurii ſunt, quandoquidem ſibi in dicendo fidem abrogant: quum nemo credat, illos ex animo a vitiis deterrere, qui hac ratione aures demulcere, & plauſum atque riſum populi captare ſtudent. Hinc D. Hieronymus, illum Iſaïae locum explanans, (a) *populе meus qui te beatum dicunt, ipſi te ſeducunt*, ſic ait: (b) ille eſt doctor eccleſiaſticus, qui lacrimas, non riſum, movet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit eſſe felicem. Et ad Nepotianum: (c) docente te, inquit, in eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus, ſuſcitetur: lacrimae auditorum laudes tuae ſint.

Illud etiam concionator admonendus eſt, ut nimium ſubtilia, & quae populi captum excedunt, ſilentio premat: fruſtra enim dicitur, quod non intelligitur. Qui vero contra faciunt, magis ſe ipſos venditare, quam populum docere, ſtudent. Hinc D. Gregorius, locum illum beati Iob exponens: (d) *ſuper ipſos ſtillabat eloquium meum*, ſic ait: (e) debet praedicator inſpicere, ne plus praedicet, quam ab audiente capi poſsit: ne, dum parvis ſublimia & non profutura iungit, ſe magis curet oſtendere, quam auditoribus prodeſſe.

Vltimo loco illud adiiciendum, haec ipſa, quae diximus, ſine pertinaci ſtudio atque labore, non ita multum

(a) *Iſai.* 3. (b) *Comment. in Iſai. lib. II.* (c) *Epiſt. II.* (d) *Iob* 29. (e) *Lib. XX. Moral. cap. 2. non ad litteram.*

iuvare. Non enim hic vulgarem ac trivialem concionatorem, ſed ſingularem maximeque hominibus ſalutarem inſtituimus. Quod ſi Cicero (a) nullam iudicat eloquentiam, quae admirationem non habeat, quum in illa ethnicorum eloquentia vix quidquam aliud praeter verba & eloquutionis ornamenta ſint, quae admirationem commoveant: quid de chriſtiana eloquentia ſentiendum eſt, quae tota in altiſsimis admirandiſque caeleſtis philoſophiae ſacramentis explicandis verſatur, quaeque non tam verborum, quam rerum, pondere & maieſtate mentes hominum in admirationem rapit? Quanta ergo evangelici concionatoris ignominia erit, ſi ſuſpenſos non teneat auditorum animos, qui non tam verba ſplendida, quam admiranda myſteria, illis ante oculos ponit? Ad hanc igitur tantam laudem non inerti otio atque ſegnitie, ſed pertinaci ſtudio atque labore, pervenitur. Nam & multa & varia in omni vita legiſſe opus eſt, & multo labore ac ſtudio unaquaeque concio apparanda eſt.

Hoc enim ſtudio ſe Demoſthenes ad dicendum componebat. Vnde de eius orationibus vulgo dicebatur, quod lucernam olerent; eius videlicet in apparanda oratione vigilias hoc verbo notantes. Quod quidem vulgi teſtimonium ipſe confirmavit, qui dictitare ſolebat, (b) moleſte ſe ferre, ſi quis fabrorum ferrariorum, aut alioru m opificum, antelucanas eius vigilias antevertiſſet. Idemque rogatus, qua ratione tantam eloquentiae vim comparaſſet: plus, inquit, olei, quam vini, abſumendo. Hoc igitur ſtudio ac labore id aſſequutus eſt, ut eum inter Graecos oratores locum aſſequeretur, quem inter latinos Cicero: quin & is, ut Fabius ait, (c) Ciceronem ipſum, quantus eſt, fecit. In quem Ciceronem, ut D. Hieronymus in epiſtola quadam ſcribit, (d) pulcherrimum illud exſtat elogium: Demoſthenes tibi praeripuit, ne eſſes primus orator; tu illi, ne eſſet ſolus. Vtrumque autem flagrantiſsimus humanae gloriae ardor ad hanc dicendi facultatem magno labore parandam excitavit. Nobis vero non licet hoc affectu atque animo huic ſtudio

(a) *In fragm. epiſt. ad Brutum.* (b) *Apud Cic. Tuſcul. quaeſt. lib. IIII. cap. 19.* (c) *Inſtit. lib. X. cap. 1. verſus fin.* (d) *Ad Nepotianum, epiſt. II.*

dio incumbere, quibus lege prohibitum eſt, (a) ne offeramus Domino ſacrificium igne alieno. Quocirca ignem illum, quem ſuper Apoſtolos Dominus (b) miſit, aſsiduis ab eo precibus poſtulare debemus, ut ardentiſsimo eius gloriae, & fraternae ſalutis amore incenſi, nihil non faciamus, nullumque ſtudiorum laborem recuſemus, quo multorum animas ſalutis noſtrae auctori Chriſto lucrifaciamus. Multa quippe lectione, multa meditatione atque agitatione animi, multaque cura & ſtudio opus eſt, ut egregiam concionem, rebus & verbis inſtructiſsimam, parare valeamus. Quod quidem ſtudium gravi moleſtia non caret, quum eadem ſaepe repetere, & memoriae mandare neceſſe ſit: quae res faſtidio & moleſtia non caret; quam tamen flagrans in Chriſtum caritas ſuperare debet.

Neque vero quiſquam ſatis ſe ad concionandum inſtructum putet, ſi praeclaras inſignis alicuius viri conciones apud ſe retineat. Nemo enim munus hoc tractare pro dignitate poterit, niſi, quae aliunde congeſsit, ita cum animo ſuo verſet ac volvat, ut ex alienis, multarum rerum adiectione, tractandique ratione, ſua quodam modo faciat: ut videlicet non aliunde adſcita, ſed domi ſuae nata videantur: quod non levis operae atque negotii eſt. Quo autem is, quem imitari ſtudet, in hac dicendi facultate praeſtantior eſt, eo eſt difficilius humili ingenio ſublimia aptare. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis aurea Saülis arma exiguo Davidis corpori accommodare velit. Haec ſunt igitur, quae ſtudioſus concionator providere ante omnia debet, quo fideliter munus ſuum adminiſtrare valeat. Reliqua paucis expediemus.

CAP.

(a) *Hebraeor. 9.* (b) *Actor. 2.*

CAP. XIII.

QVA RATIONE ECCLESIASTES CONCIONEM adornare debeat.

HIS ita constitutis, quonam modo Ecclesiastes concionem adornare & scribere debeat, breviter indicandum est. Meminisse igitur ad hoc oportet, ex quinque rhetoricae partibus, quas in II. huius operis libro (a) numeravimus, tres esse ad scribendum necessarias, inventionem, dispositionem, & eloquutionem. Primus ergo labor est, invenire quid dicas. Hanc autem inventionem dabit primum quidem parata ante facultas & sententiarum thesaurus: deinde inveniendi ars, de qua in superioribus libris disseruimus: tum praeterea diligens & studiosa lectio, quae praesenti labore inventionis opes augere solet. Sed quoniam de inveniendi ratione modo diximus, nihil hic addere opus est, nisi hoc solum, quod Ecclesiastes pium mentis affectum, quatenus fieri possit, huic praesenti lectioni adiungat: ut quem ipse pium affectum intra se legendo conceperit, in auditorum animos dicendo transmittat. Si quid autem inter legendum offenderit, quod ipsum magis afficiat; ibi pedem figat, & cum animo suo verset atque retractet, nec oblatam pii affectus occasionem vacuam abire sinat. Ea vero omnia, quae vel legendo, vel meditando invenerit, brevissime in chartula describat: quo videlicet in prospectu cuncta, quae invenerit, habeat; ut commodiora ex illis eligere, & in ordinem redigere possit.

Post inventionem, proxima dispositionis cura est. Vbi enim ex tumultuaria illa rerum congerie & veluti silva aptissime elegerit, ea in ordinem disponere & suis in locis collocare necesse est. Quod ita facere debet, ut nihil in sententiis aut scripturarum testimoniis afferendis detortum, nihil sit violentum; sed omnia suis in locis apte collocentur, & velut ad numerum cadant: ut non aliunde ad-

(a) *Cap. I. pagg. 43. & 44.*

adſcita , ſed cum rebus ipſis nata videantur. Quam rem D. Chryſoſtomus diligentiſsime obſervare ſolet. Hanc autem orationis partem prudentia maxime & iudicio conſtare , auctor eſt (a) Cicero. Quae vero arte tradi poſſunt , in IIII. huius operis libro expoſuimus : ad quem locum ſtudioſum concionatorem remittimus.

Vbi vero inventa diſpoſuerimus , poſtremus ac maximus eloquutionis labor ſequitur : quae eſt velut ultima inventionis forma. Prior enim forma eſt diſpoſitio , quae velut corporis oſſa , iuncturis diſtincta , ſuis locis aptat : poſterior vero eloquutio eſt , quae , ut ſuo loco diximus , carnem , & ſanguinem , & colorem ſuum ac ſpeciem oſsibus ac nervis addit. Huius autem eloquutionis velut parens quaedam cogitatio eſt , a qua omnis eloquutionis vis ornatuſque procedit. Vt enim pictores quam imaginem effingere volunt , mente prius concipiunt , cuius exemplar manus ſequitur : ſic concionator res primum concipere pro dignitate debet , ut deinde calamus propoſiti exemplaris ductum ordinemque ſequatur. Qua quidem ſimilitudine intelligimus , talia eſſe , quae propoſito exemplari fiunt , quale exemplar ipſum eſt. Quid enim ex depravato exemplari, niſi depravatum opus, conſequi poteſt? Quo fit , ut quiſquis res optime conceperit , ſit etiam eas optime dicturus. Veriſſime enim dictum eſt : (b) ſi rem potenter conceperis , nec facundia dicendi , nec ſermo te deſeret ullus. Huic ergo cogitationi ſe totum Eccleſiaſtes tradat. Haec enim , ut Fabius ait , (c) „ paucis admodum horis magnas etiam cauſas com-
„ plectitur. Haec quoties intermiſſus eſt ſomnus , ipſis no-
„ ctis tenebris adiuvatur. Haec inter medios rerum actus
„ aliquid invenit vacui , nec otium patitur. Neque vero re-
„ rum ordinem modo , quod ipſum ſatis erat , intra ſe ipſa
„ diſponit ; ſed verba etiam copulat , totamque ita contexit
„ ora-

(a) *De orat. lib. II. cap. 76.* (b) *Ita , non tamen ad litteram , Horatius in arte poet. v. 40. & 41. Eius haec ſunt verba:*

..... Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc , nec lucidus ordo.

(c) *Inſtit. lib. X. cap. VI. ſub initium.*

„ orationem, ut ei nihil praeter manum deſit. Nam memo-
„ riae quoque plerumque inhaeret fidelius, quod nulla ſcri-
„ bendi ſecuritate laxatur. „ Hactenus Fabius.

Ad hanc igitur cogitationem, & tempora & loca idonea captanda ſunt. Tempus autem vel antelucanum, vel nocturnum, quum nec familia perſtrepit, nec tumultus ullus partem nobis mentis eripit, commodiſsimum eſt. Loci quoque ſolitudo & obſcuritas aciem mentis ad cogitandum efficit clariorem. Sacer vero locus, & is in primis in quo ſacra euchariſtia adſervatur, ſuper omnes alios aptiſsimus eſt. Sacramentalis enim Chriſti Domini praeſentia miro modo pii hominis mentem & componit, & afficit, & ad ſalutaria atque utilia magis, quam curioſa & ſubtilia, cogitanda inducit. Hoc tamen admonendum, ut quum primum ea, quae paravimus, cogitare cum animo noſtro coeperimus, ab iis praecipue cogitandi initium faciamus, quae animum noſtrum maxime, quum legerentur, commoverunt, quaeque auditoribus maxime ſalutaria eſſe intelleximus. Haec namque facile pectus noſtrum, ut ante fecerunt; incendunt: quo affectu incenſa mens ad reliqua ab initio uſque ad finem cogitanda magis apta erit. In hac autem cogitatione danda nobis opera eſt, ut quoties argumentationem aliquam fuerimus perſequuti, aut myſterium aliquod explicuerimus, ad officii noſtri ſcopum, hoc eſt, ad chriſtianae vitae inſtitutionem, aut pium animorum motum, haec ipſa, quae diximus, quatenus fieri poſsit, convertamus. Illa etiam, quae grandis figurae materiam eſſe in ſuperiori libro (a) diximus, ubi locus poſtulaverit, tractanda erunt. Haec enim ad flectendos auditorum animos potentiſſima ſunt. Flectere autem, eſſe inter tria concionatoris officia praecipuum, ex D. Auguſtini ſententia ſuperius (b) diximus. Ad hoc autem orationis curſum aſsidue vertere, & utiliſsimum, & laudatiſsimum, & cordatis auditoribus populoque gratiſsimum eſt: quum omnibus fere, natura docente, perſuaſum ſit, concionatoris officium ad chriſtianae vitae inſtitutionem, & morum correctionem inſtitutum eſſe.

Hanc

(a) *Cap. 19. pag. 348. ſeqq.* (b) *Pag. 326.*

Hanc porro cogitationem ſtilus deinde feliciter & facile ſequetur. Vt enim D. Hieronymus ait, *quae bene ſcimus, bene & loquimur*. Ea autem bene ſcimus, quae diu multumque cum animo noſtro retractavimus, in eiſque penetrandis aciem mentis infiximus. Ea initio quidem, quamdiu ſtilus formatus non eſt, expediet ſane totam concionem patria lingua ad verbum ſcribere: quamquam hic non nihil periculi eſt, niſi diligenter pronuntiandi leges attendamus, ne omnia uno vocis tenore pronuntiemus: ut ii faciunt, qui ea, quae memoria complexi ſunt, recitare ſolent. Vbi vero ſtilus ipſe aſsidua exercitatione vires collegerit, tunc ſcribendi laborem moderari oportebit. Quae enim plana atque facilia ſunt, breviter, ſive latino, ſive patrio ſermone, ſcribenda erunt. Poterit enim ea ex tempore concionator commode explicare. Loca vero difficiliora oportebit eo modo ſcribere, quo dicenda ſunt. In quo genere ponimus membra illa, atque comparia, quibus D. Cyprianus frequentiſsime & elegantiſsime utitur, qualia ſunt illa: (a) „ evangelica „ praecepta, fratres dilectiſsimi, nihil ſunt aliud, quam „ magiſteria divina, fundamenta aedificandae ſpei, firma„ menta corroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, „ gubernacula dirigendi itineris, praeſidia obtinendae ſalu„ tis: quae dum dociles credentium mentes in terris in„ ſtruunt, ad caeleſtia regna perducunt.„ Idemque rurſus ad Donatum: (b) „ tenacibus ſemper illecebris neceſſe eſt, ut „ ſolebat, vinolentia invitet, inflet ſuperbia, iracundia in„ flammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambi„ tio delectet, libido praecipitet.„ Hactenus ille. Huiuſmodi ergo orationes, ſi quando inciderint, incidere autem aliquando, quoniam ſunt venuſtiſsimae, debent, prius quidem ad verbum ſcribendae, & memoriae etiam, ne nos ſermo deſtituat, fideliter ſunt commendandae.

CAP.

(a) *His verbis incipit ſermo, ſeu liber, de oratione dominica.* (b) *Epiſt. I. olim II. ſub initium.*

CAP. XIV.

QVO MODO ECCLESIASTES PRAEPARARE animum ſuum debeat, quando concionem habiturus eſt.

VT huic inſtitutioni noſtrae finem apponamus, illud etiam ſcribendum eſſe iudicavi, quonam modo eccleſiaſtes praeparare animum ſuum debeat, quum iam iam concionaturus eſt. Vt enim diſciplina venatoribus eſt, accipitres ad invadendam praedam inaedia praeparare: ita nos ad hanc ſpiritualem animarum venationem, de qua Dominus apud Ieremiam (a) meminit, compoſitis animi affectibus praeparari debemus. Ad hoc autem primum eſt, ut ea nocte, quae concionis diem antecedit, in oratione perſeveremus, ſuppliciter illum obſecrantes, qui ſapientiae auctor & gubernator eſt: in cuius manu ſumus & nos, & ſermones noſtri: illum, inquam, qui (b) linguas infantium diſertas facit, ut feliciter ſermonis noſtri curſum ad nominis ſui gloriam dirigat, & nobis quidem puritatem intentionis, auditoribus autem proficiendi ſtudium clementer impertiatur. Novi piiſsimum quemdam concionatorem, qui non modo fuſis lacrimis, ſed caeſo etiam verberibus corpore; haec ipſa a Domino poſtulabat. Sequenti vero die ſacra dominici corporis & ſanguinis myſteria, quanta poterit animi ſubmiſsione atque devotione, celebret: detque operam, ut devotionis calorem, quem ex ſacra celebratione Domino adſpirante conceperit, ſecum ad ſuggeſtum deferat. Plurimum enim hoc ipſum ad bene dicendum iuvabit.

Vbi vero ſuggeſtum conſcenderit, priuſquam dicendi initium faciat, quae dicturus eſt, omnia ad communis Domini gloriam, & animarum ſalutem dirigat; ſuppliciterque ab eodem miſericordiae parente poſcat, ut nihil ante oculos ſuos, niſi ſola eius gloria, obverſetur. Indigniſsimum enim eſt, ubi tam magna rerum momenta verſantur, ubi

Deus

(a) *Ierem. 6.* (b) *Sap. 10.*

Deus ipſe, cuius cauſa agitur, praeſens adeſt, ad inanem popularis aurae plauſum, poſthabito mundi iudice Deo, oculos deflectere. Hac igitur parte Eccleſiaſtes (a) Armeniae, inclitae feminae, fidem atque pudorem imitari ſtudeat; quae, a Cyri convivio domum rediens, Cyri pulchritudinem omnibus laudantibus, interrogata a viro, quid de Cyri dignitate ſentiret, ait: a te, mi vir, oculos numquam deflexi; itaque, qualis alieni viri forma ſit, prorſus ignoro. Si igitur femina haec, praeſente viro, ne in Cyrum quidem, & regem, & forma praeſtantem, oculos coniicere auſa eſt; quis ferat, praeſente ſaeculorum rege, ad inanes vulgi rumuſculos mentem convertere? Et quoniam ſaepe hoſtis antiquus velut ex inſidiis occupatum concionatorem adoritur, dum inter dicendum latenter vanas ingerit cogitationes; ipſe, antequam dicere incipiat, quidquid dicenti ſibi vanitatis obreperit, initio adiuret atque deteſtetur, Deoque mentem ſuam puram caſtamque exhibeat. Quod ut praeſtare rectius valeat, Chriſtum Dominum ad iudicium, ſanctorum millibus ſtipatum, venientem, ſeque ante illum tumulo conditum in adverſo pariete cogitatione depingat, ut hinc ſuperni iudicis timor, inde mortis paullo poſt futurae metus, concionatoris mentem a periculoſiſsimo & occultiſsimo inanis gloriae flatu incolumem ſervet, quae, ut D. Bernardus ait, leviter quidem volat, leviterque penetrat, ſed non leve vulnus ingerit.

Vt autem & alacrius, & purius munus ſuum aggrediatur, mirabilem eius fructum atque utilitatem, quam in primo huius operis libro(b) expoſuimus, ad mentem revocet: quam novo hoc exemplo utcumque explicare tentabo. Fingamus, eſſe principem aliquem, pietate & virtute praeſtantem; eumdemque non ſolum opibus, ſed etiam miſericordia, & benignitate divitem; qui inter cetera virtutum inſignia, hoc etiam habeat, ut ſeptimo quoque die mille pauperes in domum ſuam convocet, certamque pecuniae ſummam in uniuſcuiuſque ſinu ad inopis vitae ſuſtentationem condat. Quis non hunc principem ſummis laudibus efferret?

Quis

(a) *Apud Franc. Patric. Senenſ. de inſtit. reip. lib. IIII. tit. 5. in fine.*
(b) *Cap. 2. pag. 3. ſeqq.*

Quis non hoc opus & Deo, pauperum amatori, gratiſsimum, & principi maxime ſalutare eſſe non videat ? Si hoc igitur opus eximiis laudibus digniſsimum eſt, quibus, quaeſo, laudibus pii concionatoris opus dignum putabimus, qui omnibus diebus dominicis, propoſita ante ſe frequenti hominum turba, non pecuniam, perituris corporibus profuturam, ſed animabus ſpiritualem alimoniam, vitae pabulum, & ſalutis aeternae poculum ſubminiſtrat ? Vnico enim vocis miniſterio omnes adſtantium animas reficit, erudit, conſolatur, & illuminat : & ita illuminat, ut quum ad omnes doctrinae lumen pertingat, non minus unicuique luceat, quam ſi ſolus ille hoc beneficio fueretur.

Hoc etiam tempore duo illi, antequam dicere incipiat, providenda ſunt, eloquutio, & pronuntiatio : hoc eſt, quonam modo animi ſui ſenſa verbis explicare, & qua vocis figura eadem pronuntiare debeat. Ad illud autem hoc praecipue ſpectat, ne lingua mentem praecurrat, ne verba in labris tantum naſcantur, ſed ab imo pectore cum iudicio progrediantur. Vt enim muſices periti mente prius dictant, quod manus pulſando exſequitur ; mens enim magiſtra, manus vero miniſtra obſequens eſt : ita vir eloquens ſollicito & prudenti iudicio providet, quae deinceps lingua prolatura eſt. Qua ex re liquet, quam libera ab omni metu & perturbatione mens eſſe debeat, quae uno atque eodem temporis ſpatio ſermonis velocitatem, & linguae volubilitatem antevertere, & regere, & actionem etiam moderari debet. Alioqui niſi dicendi magiſtra mens omnia praeveniat, nihil neque prudenter dici, neque apte pronuntiari poterit. Qua de cauſa concionis exordia, quamdiu dicentis animus non incaluit, ſubmiſſa, & intervallis longioribus diſtincta eſſe debent, quo ad providenda, quae dicimus, detur aliqua cogitationi mora. Paullatim enim animus dicendo incaleſcet, quo tempore facilius omnia ſe ſe dicenti offerent. Hic enim mentis ardor, ſi rectorem habeat, magnus dicendi magiſter eſt.

Maius autem eſt moderandae actionis negotium. Eloquutio enim antecedenti labore ac ſtudio iuvatur : at pronun-

nuntiatio tota praeſentis temporis eſt. Ex univerſa autem illa pronuntiandi ratione, quam ſuperius (a) tradidimus, haec ſibi tunc ante oculos ponat. Primum quidem frequentiſsima illa aequalitatis & inaequalitatis vitia, quae ibidem (b) perſtrinximus, fugiat. Deinde vero curet, ut diſtincte, apte, atque ornate, quae dicenda ſunt, pronuntiet. His enim virtutibus tota recte pronuntiandi facultas continetur. Sic enim fiet, ut pronuntiatio, quemadmodum eloquutio, emendata, dilucida, apta, & ornata ſit. Et quidem diſtincte dicimus, quum intervallis ſuis orationis partes, & membra, articuloſque diſtinguimus. Apte vero, quum & ſententiis & verbis ſuam vocis figuram & corporis geſtum accommodamus: quam rem paullo ante (c) copioſe tractavimus. Ornate vero pronuntiamus, quum damus operam, ut vocem ipſam cum naturali quadam ſuavitate fundamus, quae videlicet nulla aſperitate auditorum aures laedat, quas ſi non demulceat, certe non exaſperet. Hoc autem praeſtare facilius poterunt, qui clara & ſuavi voce a natura donati ſunt, ſi hanc in pronuntiando curam non neglexerint. Vocis autem acrimonia non ſemper, ſed quum res poſtulat, utendum eſt: quae, ne langueſcat oratio, non infrequens eſſe debet. Qua in re impetus hic & ardor animi, ut ante (d) diximus, ſic regendus & moderandus eſt, ne arteriae laedantur, & vox incondita quadam & inſuavi aſperitate aures offendat. Has igitur praecipuas agendi virtutes Eccleſiaſtes in proſpectu ſemper habeat. Quas ut uno ſimplicique intuitu contempletur, non erit inutile, ſi forte inſignem aliquem aetatis ſuae concionatorem audierit, aut quemvis alium, citra concionem, hac pronuntiandi virtute praeſtantem, eum ſibi ante oculos ponat, immo & eius effigiem in adverſo pariete depingat. Sic enim fiet, ut, ſola hac imagine ante oculos poſita, tota pronuntiandi ratio, quae multis, ut ante vidimus, praeceptis conſtat, hoc uno intuitu ſibi offeratur. Quod ſi duos etiam, variis inter ſe dicendi pronuntiandique virtutibus inſignes, audierit, eos etiam ante ſe ſimili ratione ſtatuat; ut multae virtutes, multaque agendi

(a) *Pag.372.ſeqq.* (b) *Pag.389.* (c) *Pag.377.ſeqq.* (d) *Pag.390.*

praecepta, ſub hac ſpecie ſe ſe illi obiiciant.

Illud autem providere diligentiſsime debet, ut quum dicit, totamque vim cogitationis ad bene dicendum confert, partem etiam cogitationis pronuntiationi tribuat. Dantur enim in intervallis morulae quaedam, in quibus, citra eloquutionis iacturam, hoc etiam provideri poſsit. Mens enim, quae magno divinitatis beneficio mortalibus data eſt, tantam habet vim, ut eodem temporis ſpatio, & quid dicere, & quo modo dicere, & quemadmodum rebus, quas dicit, vocis figuram, & corporis geſtum accommodet, animadvertere poſsit. Si enim ea recte prius fuerit inſtituta, haec omnia providere ita poteſt, ut prima illa dicendi cura alias non excludat.

PERORATIO:

HAEC habui, candide lector, quae de ratione concionandi dicerem, plura, quae mihi ſe ſe ingerebant, dicturus, ſi per alias occupationes & impedimenta licuiſſet. Sed haec tamen, ut arbitror, ſtudioſo concionatori ſatis erunt, ut cetera ipſe per ſe invenire atque obſervare queat. Vere enim a Salomone dictum eſt: (a) da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Audio etiam, inſignes aliquot viros hac noſtra aetate praeclara volumina de concionandi ratione edidiſſe, quae nondum ad manus meas pervenerunt: quae moneo diligenter evolvi. Sic enim fiet, ut haec divina facultas, multorum inventis & acceſsionibus aucta, numeris omnibus abſoluta ſit. Hac enim ratione diſciplinas omnes creviſſe, & ad perfectionis culmen perveniſſe, Ariſtoteles (b) auctor eſt. Multorum autem inventa atque obſervationes ad concionandi officium eſſe neceſſarias, officii huius excellentia declarat: cuius neſcias aeſtimare, maior ne utilitas, an difficultas ſit. Quam rem inſignium concionatorum raritas, quam in omnibus ſaeculis aetatibuſque videmus, non obſcure declarat. Nec maior olim oratorum copia, quam ſaeculo noſtro inſignium concionatorum fuit.

Ipſe

(a) *Prov. 9.* (b) *Ethic. lib. I. cap. 7.*

Ipſe enim eloquentiae parens Cicero in primo de oratore libro (a) plurimos & philoſophos,& mathematicos,& iuriſperitos , & muſicos , & poëtas , & belli duces , in ſua quoſque facultate praeſtantiſsimos, in ſola urbe Roma fuiſſe memorat : quum tamen ſingulis aetatibus vix ſingulos tolerabiles oratores exſtitiſſe dicat. Cuius rei cauſam eſſe docet multiplicem rerum omnium ſcientiam , variaſque ingenii , & naturae dotes , quae ad orandi munus feliciter obeundum requiruntur : inter quas pronuntiandi , & agendi gratiam numerat; quae ſola ipſa, ut idem ait, (b) quanta ſit hiſtrionum levis ars & ſcena , declarat : in qua , quum omnes in oris & vocis & motus moderatione elaborent , quis ignorat , quam pauci ſint , fuerintque , quos animo aequo ſpectare poſsimus ? Haec igitur omnia ad perfectam huius muneris functionem ita requiruntur , ut ſi unum aliquod eorum deſit, facultas dicendi mutila & manca ; ſi vero ſola pronuntiationis gratia deſit , nulla futura ſit. Deeſt enim inſtrumentum & organum , quod animi noſtri ſenſus atque conceptus ad auditorum aures commode perferat. Quum ſint autem tres praecipue concionatoris partes , inventio, eloquutio, & pronuntiatio , & de inveniendi ratione multi multa dixerint; nos omiſſas ab aliis partes , eloquutionem , & pronuntiationem, copioſius perſequi voluimus ; quod hae , ab aliis neglectae , ad concionandum maxime neceſſariae ſint. Boni ergo candidus lector operam noſtram conſulat : quae ſi parum utilis viſa fuerit , hoc tamen praeſtabit , quod eruditorum ingenia ad utiliora & meliora invenienda exacuet : quod abunde magnum laboris noſtri praemium exiſtimavimus.

EXPLICIT ECCLESIASTICAE RHETORICAE,
ſive de ratione concionandi , liber.

(a) *Cap.2.* (b) *De Orat. lib.I. cap.5.*

INDEX I.

EXHIBENS

LIBROS, CAPITA, PARAGRAPHOS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. De Rhetoricae artis origine. pag. 1.
II. De Rhetoricae artis utilitate, & neceſsitate. 3.
§. I. Quid de huius artis utilitate Fabius dicat. 6.
II. Eius commendatio ex M. P. Auguſtino. 10.
III. Obiectionibus occurritur. 12.
CAP. III. De concionandi officio, & inſigni eius dignitate. 14.
IV. De huius muneris difficultate. 16.
V. De puritate & rectitudine intentionis in Eccleſiaſte. 19.
VI. De probitate, & moribus concionatoris. 23.
VII. De ſtudio caritatis in Eccleſiaſte. 28.
VIII. De ſtudio S. orationis, & meditationis, quod in Eccleſiaſte eſſe debet. 37.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. Quid ſit Rhetorica, quae eius materia, officium & finis, & quae ſint eius partes. 41.
II. Quo modo Rhetorica a Dialectica differat. 45.
III. Orationem omnem in triplici genere verſari, ex-

expoſitione, argumentatione, aut amplificatione. 49.
CAP. IV. Diviſio quaeſtionis. 50.
V. De locis, unde argumenta ducuntur, quibus praecipue infinita quaeſtio tractatur. 52.
VI. De duobus aliis argumentorum fontibus, nempe genere rei, & eius contrariis. 59.
VII. Neceſſariam eſſe concionatori abſolutam earum rerum ſcientiam, de quibus eſt dicturus, quo ſupra dictis locis uti poſsit. 61.
VIII. De locis ex circumſtantiis rerum & perſonarum. 65.
IX. De formis argumentorum. 72.
§. I. De inductione. ibid.
II. Syllogiſmus, ſive ratiocinatio. 73.
III. Complexio, ſive dilemma. 77.
IV. Sores. 78.
V. Enumeratio, ſive expeditio. 79.
VI. Subiectio. ibid.
CAP. X. De collectione, & eius partibus. 80.
§. I. De exornatione. 82.
CAP. XI. De affectibus per totum corpus argumentationis, atque adeo per totam orationem, adſpergendis. 86.
XII. De accommodatione, ſive ad ſingularia deſcenſu. 91.
§. I. Quid efficere debeat concionator, ubi ſuggeſtum conſcenderit. 96.
CAP. XIII. De ſententiis, & epiphonematum ornamentis. 99.
§. I. De epiphonemate. 103.
CAP. XIV. De prolepſi, quae latine praeſumptio vel anticipatio dicitur. 107.
XV. De eloquutionis genere, quo argumentationes ſupra poſitae tractandae ſunt. 113.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. Quid amplificatio ab argumentatione differat. 116.
II. A partibus amplificatio. 118.
III. Ab adiunctis : hoc est, antecedentibus, comitantibus, & consequentibus. 121.
IV. A causis rerum amplificatio. 125.
§. I. Ab effectibus amplificatio. 127.
II. De amplificatione a communibus locis, & circumstantiis simul. ibid.
CAP. V. De modis amplificandi ex Quinctiliano. 130.
VI. De rerum descriptionibus. 139.
§. I. Descriptionum exempla. 143.
II. Sermocinationum in descriptionibus usus. 149.
CAP. VII. De personarum descriptionibus. 152.
VIII. De sermocinatione. 156.
IX. De conformatione. 160.
X. De affectibus in communi. 166.
XI. De affectibus in specie. 170.
§. I. De commiserationis affectu. 175.
CAP. XII. De figuris eloquutionis, quae affectibus concitandis deserviunt. 177.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. De sex orationis partibus. 185.
§. I. De exordio. 187.
II. De narratione. ibid.
III. De propositione & partitione. 195.
IV. De confirmatione & confutatione. 197.
V. De confutatione. 198.
VI. De conclusione, seu peroratione. ibid.
CAP. II. De I. modo concionandi in genere suasorio. 203.

§. I.

§. I. Quid ſingulare eccleſiaſtes oratori addat. 208.
CAP. III. De ſecundo concionandi modo in genere demonſtrativo, qui ſanctorum feſtis & laudibus deſervit. 210.
§. I. Qualiter SS. martyrum virtutes amplificandi ſint. 214.
CAP. IV. Tertius concionandi modus, qui lectionis evangelicae enarrationem continet. 219.
V. Quartus concionandi modus ex ſuperioribus mixtus. 224.
VI. De genere concionandi didaſcalico. 228.
VII. De diſpoſitione. 229.

LIBER QVINTVS.

PRaefatio. 232.
CAP. I. De eloquutionis commendatione, & qualitate, ex Fabii libro VIII. 233.
II. De quattuor eloquutionis virtutibus, ac primo de latinitate. 236.
III. De ſecunda eloquutionis virtute nempe perſpicuitate. 237.
IV. De tertia eloquutionis virtute, quae in ornatu poſita eſt. 240.
V. De ornatu, qui eſt in verbis ſingulis. 241.
VI. De tropis. 242.
VII. De ornatu, qui eſt in verbis coniunctis, ac primum de figuris. 254.
VIII. Prima claſsis de figuris verborum, quae eiuſdem verbi repetitione conſtant. 261.
§. I. Converſio. ibid.
II. Complexio. 262.
III. Traduxio. 263.
IV. Gradatio. 265.
CAP. IX. Secunda claſsis de figuris, quae verborum ſimili-

litudine constant. 266.
§. I. Similiter cadens, similiter desinens. 267.
II. Agnominatio. 268.
CAP. X. Tertia classis de figuris verborum, quae contrariis nominibus aut rebus constant. ibid.
§. I. Cohabitatio. 270.
II. Paradiastole. ibid.
III. Contrarium in sententiis. 272.
IV. Contentio. ibid.
V. Commutatio. 273.
CAP. XI. Quarta classis de reliquis verborum figuris. 274.
§. I. Adiunctio. ibid.
II. Disiunctio. 275.
III. Distributio. ibid.
IV. Interpretatio. 276.
V. Congeries, vel synathrismus. 278.
CAP. XII. De figuris sententiarum, ac primum de his, quae ad docendum magis pertinere videntur. 279.
XIII. Prima classis de figuris sententiarum, quae maxime ad docendum pertinent. 280.
§. I. Definitio. ibid.
II. Divisio. 281.
III. Subiectio. 282.
IV. Distributio. 283.
V. Ratiocinatio. 285.
VI. Diminutio. 287.
VII. Commoratio. ibid.
VIII. Frequentatio. 288.
IX. Brevitas. 289.
CAP. XIV. Secunda classis de figuris sententiarum, quae majorem vim & acrimoniam habent. ibid.
§. I. Interrogatio. ibid.
II. Occupatio. 291.
III. Praecisio. ibid.
IV. Emphasis. 292.
V. Dubitatio. 293.

§. VI. Conceſsio. 294.
VII. Adhortatio. 295.
VIII. Suſtentatio. 296.
IX. Ironia. 297.
X. Exemplum. 299.
XI. De contentione demonſtrativa, quae ad exemplorum ordinem ſpectat. 302.
XII. Similitudo. 304.
CAP. XV. De uſu figurarum. 310.
XVI. De compoſitione. 312.
§. I. De compoſitione generatim. ibid.
II. De duplici ſpecie compoſitionis. 314.
CAP. XVII. De apte dicendo. 319.
§. I. Cuiuſmodi eloquutionem varia genera cauſarum, variaque concionatoris officia exigant. 324.
II. De tribus eloquendi generibus, & quibus potiſsimum ornamentis unumquodque eorum conſtet. 328.
CAP. XVIII. Quibus in rebus his tribus dicendi figuris ſive generibus uti debeamus, ex D. Auguſtini ſententia lib. IIII. de doctrina chriſtiana. 331.
XIX. De grandiloqui generis materia. 348.
XX. De aliis ornatus virtutibus, ac in primis de energia, quae latine evidentia dicitur. 352.
§. I. Dinoſis. 354.
II. De copia. ibid.
III. De orationis varietate. 356.
CAP. XXI. De vitiis eloquutioni, ac praecipue ornatui appoſitis. 358.

LIBER SEXTVS.

PRaefatio. 364.
CAP. I. Pronuntiationis neceſsitas, & commendatio. 366.

CAP.

CAP. II. In quem finem ſive ſcopum omnia huius partis praecepta referenda ſint. 370.
III. Quattuor eſſe praecipuas pronuntiationis virtutes, quarum prima eſt, ut ſit emmendata, hoc eſt, ut careat omni vitio. 372.
§. I. Secunda pronuntiationis virtus, ut ſit dilucida. 373.
II. Tertia pronuntiationis virtus, ut ſit ornata. 375.
CAP. IV. Quarta pronuntiationis virtus, ut ſit apta. 377.
V. Cuiuſmodi pronuntiatio tribus praecipuis orationis partibus, hoc eſt, expoſitioni, argumentationi, & amplificationi conveniat. 380.
§. I. Qualis eſſe debeat exordii & narrationis actio. 381.
CAP. VI. De geſtu & motu corporis. 385.
VII. De vitiis pronuntiationis & actionis. 388.
§. I. Geſtus vitia. 392.
CAP. VIII. De varia pronuntiandi ratione in ſententiis. 395.
IX. Varia ſententiarum exempla, e ſanctis litteris excerpta. 397.
X. Exempla quaedam, e litteris ſanctis deſumpta, in quorum pronuntiatione rudes huius officii exerceri valeant. 409.
XI. Qualis perfecti concionatoris vita eſſe, & quo potiſsimum tempore, quoque temperamento, & quo affectu concionandi munus exercere debeat. 415.
XII. Quae ſint, quae ad concionatoris officium recte exſequendum praecipue iuvant. 422.
§. I. De copia verborum. 426.
II. Copiae utilitas. 429.
III. Stili exercendi ratio & utilitas. 432.
IV. Inventionis virtutes, & variae admonitiones. 435.

CAP.

CAP. XIII. Qua ratione Eccleſiaſtes concionem adornare debeat. 442.
XIV. Quo modo Eccleſiaſtes praeparare animum ſuum debeat, quando concionem habiturus eſt. 446.
Peroratio operis. 150.

EXPLICIT INDEX I.

INDEX II.

EXHIBENS

SACRAE SCRIPTVRAE LOCA.

VETVS TESTAMENTVM.

Geneſis.

CAP. I. . . . . pag. 314.
II. . . . . 172.
IX. . . . . 338.
XIV. . . . . 339.
XVI. . . . . 333.
XXI. . . . . 333.
XXII. . . . . 118.
XXVII. . . . . 399.
XXX. . . . . 29.
XXXIX. . . . . 207.

Exodus.

CAP. XII. . . . . 193.
XVI. . . . . 220.
XX. . . . . 411.
XV. . . . . 87.
XXXIII. . . . . 171.

Leviticus.

CAP. XII. . . . . 192.

Numeri.

CAP. XI. . . . . 339.
XIX. . . . . 192. 193.
XXXVI. . . . . 182.

Deuteronomium.

CAP. III. . . . . 137.
V. . . . . 411.
X. . . . . 206.
XXVIII. . . . . 207.
XXX. . . . . 206. 405.
XXXII. . . 31. 88. 172. 177. 182. 329. 350. 384. 385. 398. 401. 405.

Iudices.

CAP. VI. . . . . 339.

Regum I.

CAP. X. . . . . 422.
XIII. . . . . 422.
XVII. . . . . 137.
XXV. . . . . 403.

Regum II.

CAP. I. . . . . 401. 405.
XI. . . . . 118.
XIII. . . . . 293.
XIX. . . . . 119. 403.
XX. . . . . 253.

Regum III.
CAP. I. . . . . 85.
X. . . . . 215.
XVIII. . . . . 403.
Regum IV.
CAP. IV. . . . . 19. 194.
V. . . . . 206.
Iob.
CAP. III. . . . 183. 399.
VII. . . . . 400.
XII. . . . . 416.
XIV. . . . . 182.
XIX. 110. 182. 405.
XXVI. . . . . 17.
XXIX. . . . . 439.
XXXI. . 92. 150. 151.
Psalmi.
CAP. I. . . . . 418.
II. . . . . 92.
VI. . . . 292. 401.
VIII. . . . . 131.
XII. . . . . 400.
XV. . . . . 93.
XVII. . . . . 119.
XIX. . . . . 399.
XXII. . . . 292. 402.
XXVI. . . . . 172.
XXXIII. . . . . 399.
XL. . . . . 399.
XLIII. . . . . 337.
XLIV. . . . . 27. 215.
XLIX. . 28. 171. 409.
LIV. . . . . 182.
LXVIII. . 29. 183. 296.
LXXI. . . . . 38.
LXXVII. . . . . 421.
LXXXIV. . . . . 179.
Psalmi.
CAP. XCIII. . . . . 184.
XCV. . . . . 179. 245.
XCVII. . . . 179. 245.
CI. . . . . 122.
CIX. . . . . 339.
CXIII. . . . . 185.
CXVIII. . 29. 416. 417.
Proverbia.
CAP. I. 158. 163. 403.
II. . . . . 97.
V. . . . . 406.
VI. . . . . 97. 403.
VII. . . . . 158.
VIII. . . . . 162.
IX. . . . . 450.
X. . . . . 100.
XI. . . . . 34. 100.
XIII. . . . . 69.
XXII. . . . . 297.
Ecclesiastes.
CAP. III. . . . . 418.
XI. . . . . 298.
Canticum.
CAP. I. . . . . 215.
VIII. . . . . 398.
Sapientia.
CAP. II. . . . . 157. 406.
V. . . . . 157. 406.
VIII. . . . . 418.
X. . . . . 218. 446.
XI. . . . . 1.
Ecclesiasticus.
CAP. XI. . . . . 69.
XIII. . . . . 69.
XXVIII. . . . . 222.
XXIX. . . . . 419.

Ec-

Ecclesiasticus.
CAP.XXXIV. . . . . 27. 417.
XXXVII. . . . . 416.
XXXVIII. . . . . 420.
XLIII. . . . . 417.
Isaias.
CAP. I. . 92. 178. 295. 331. 401. 403. 404. 405.
III. . 89. 269. 278. 405. 439.
V. . . . . 251.
VI. . . . . 24.
VIII. . . . . 243.
IX. . . . . 83. 257.
X. . . . . 158. 407.
XI. . . . . 43.
XIII. . . . . 179.
XIV. . . . . 183. 401.
XXIX. . . . . 353. 412.
XXX. . . . . 15.
XXXI. . . . . 353.
XXXV. . . . . 243.
XLII. . . . . 179. 401.
XLIII. . . . . 407.
XLIV. . . . . 178.
XLV. . . . . 178. 405.
XLVIII. . . . . 407.
LIII. . . . . 353.
LVIII. . . . . 403.
LXI. . . . . 24.
LXII. . . . . 122. 270.
LXIII. . . . . 172.
Ieremias.
CAP. I. . . . . 24.
II. . . 31. 88. 133. 159. 178. 331.
Ieremias.
CAP. II. . . . . 349. 405.
III. . . . . 172.
IV. . . . . 243.
V. . . . . 159. 406.
VI. 298. 406. 446.
IX. 169. 182. 254. 398. 406.
XIII. . . . . 349.
XIV. . . . . 404.
XXX. . . . . 253.
XXXI. . . . . 171.
XXXV. . . . . 133.
XLVI. . . . . 298. 353.
L. . . . . 118. 407.
LI. . . . . 118.
Threni.
CAP. I. 118. 167. 169. 183. 401. 404.
II. . . . . 169. 183.
IV. . . . . 167. 183.
Baruch.
CAP. IV. . . . . 166.
Ezechiel.
CAP. I. . . . . 169.
V. . . . . 400.
XVI. . . . . 68. 138.
XVII. . . . . 243. 350.
XXI. . . . . 405.
XXII. . . . . 284.
XXVI. . . . . 118.
XXVII. . . . . 118. 138.
XXIX. . . . . 243.
XXXI. . . . . 138.
XXXII. . . . . 138.
Daniel.
CAP. XII. . . . . 16.

Da-

Daniel.
CAP. XIII. . . . . 68.
Oſee.
CAP. XIV. . . . . 183.
Ioel.
CAP. II. . . . . 15.
Amos.
CAP. VI. 254. 350. 400.
Michaeas.
CAP. III. . . . . 423.
V. . . . . 77.
Micheas.
CAP. VII. . . . . 400.
Habacuch.
CAP. I. . . . . 400.
III. . . . . 87.
Machabaeorum I.
CAP. II. . . . . 73.
IX. . . . . 206.
Machabaeorum II.
CAP. VII. . . . . 68.

NOVVM TESTAMENTVM.

Matthaeus.
CAP. II. . . . . 143.
V. . . 16. 24. 293. 341.
VI. . . . . 89.
XI. 171. 206. 399.
XII. . . . . 133.
XV. 297. 401. 438.
XVI. 403. 411. 412. 421.
XVII. . . . . 177.
XVIII. . 75. 177. 404.
XIX. . . . 205. 289.
XX. . . . . 414.
XXIII. . 28. 353. 400.
XXV. . . . . 419.
Marcus.
CAP. VII. . . . . 192.
X. . . . . 171.
Lucas.
CAP. I. . . . . 16.
Lucas.
CAP. II. . . . 122. 289.
III. . . . . 404.
V. . . . . 16. 38.
VII. . . . . 223.
VIII. . . . . 17.
IX. . . . . 404.
X. . . . . 405.
XI. . . . . 17. 423.
XII. . 89. 171. 340. 438.
XIII. . . . . 206.
XVI. . . . . 332.
XIX. . . . . 245.
XXI. . . . . 92.
XXII. . . . . 414.
XXIV. . . . . 404. 405.
Ioannes.
CAP. III. . . . . 171.
IV. . . 6. 223. 412.
VI. . . . . 93.

Ioan-

Ioannes.
CAP. VII. ..... 34.
IX. ..... 191.
XI. ..... 220.
XII. ..... 104.
XIII. ..... 412.
XIV. ..... 34.
XV. ..... 171. 338.
XVIII. ..... 15.
Actus Apost.
CAP. II. ..... 24. 441.
Epist. ad Rom.
CAP. I. 218. 331. 397. 421.
III. ..... 254.
VI. ..... 254.
VIII. . 88. 255. 282. 336.
X. ..... 255. 421.
XII. . 94. 180. 334.
XIII. ..... 335.
XV. ..... 98.
Ad Corinth. I.
CAP. II. ..... 214.
IV. . 26. 270. 278.
V. ..... 341.
VI. . 60. 402. 410.
VII. ..... 206.
IX. . . 30. 98. 150. 180. 291. 421.
X. ..... 339.
XIII. ..... 407.
XV. 206. 401. 402.
XVII. ..... 13.
Ad Chorinth. II.
CAP. II. ..... 30.
IV. ..... 239. 271.
Ad Corinth. II.
CAP. V. ..... 15. 87.
VI. ..... 335.
VII. ..... 26.
X. 171. 180. 399.
XI. . 29. 117. 169. 255. 262. 314. 315. 405.
XII. ..... 24.
Ad Galatas.
CAP. III. 177. 333. 404.
IV. . . 29. 30. 169. 333. 337.
V. ..... 402.
Ad Ephesios.
CAP. II. ..... 97.
III. ..... 172.
IV. ..... 181.
V. ..... 284.
VI. ..... 284.
Ad Philipp.
CAP. II. ..... 215.
IV. ..... 26.
Ad Thessal. I.
CAP. II. ..... 30.
Ad Thessal. II.
CAP. IV. ..... 18.
Ad Timoth. I.
CAP. II. ..... 55.
IV. ..... 293. 419.
V. ..... 334.
Ad Timoth. II.
CAP. I. ..... 293.
II. ..... 30.
IV. ..... 288.
Ad Titum.
CAP. I. ..... 68.

Ad

Ad Hebraeos.

CAP. I. ..... 15.
IX. ..... 441.

Iacobi.

CAP. V. ..... 16. 34.

Ioannis I.

CAP. III. ..... 204.
V. ..... 17.

Iudae.

VERS. XII. ..... 249.

Apocalypsis.

CAP. XII. 29,
XVIII. ..... 404.
XXII. ..... 298.
401.

EXPLICIT INDEX II.

INDEX III.

EXHIBENS

SCRIPTORVM TESTIMONIA.

A

AGricola (Rodulphus) laudatur. 43. 53. 54.
Ambrosius (S.) laudatur. 76. 105. 289. 339. 341. 342. 356.
Apollonius rhetor laudatur. 177.
Arias Montanus (Benedictus) laudatur. 45.
Aristoteles laudatur. 45: 50. 60. 170. 185. 229. 240. 316. 318. 450.
Augustinus (S. Aurelius) laudatur. 11. 18. 25. 38. 48. 65. 106. 201. 202. 239. 241. 254. 271. 279. 312. 315. 326. 327. 328. 332. seqq. ad 347.

B

BAsilius M. (S.) laudatur. 125. 160. 190. 210. 270. 334.
Bernardus (S.) laudatur. 26. 37. 83. 85. 127. 155. 268. 294. 300. 366. 416. 419. 423. 447.
Bonaventura (S.) laudatur. 263.

C

CAsianus (Ioannes) laudatur. 55. 152. 154.
Chrysostomus (S. Ioannes) laudatur. 109. 129. 130. 143. 148. 150. 181. 190. 302. 385.
Cicero (M. Tullius) laudatur. 3. 8. 9. 11. 33. 44. 50. 51. 58. 66. 71. 72. 73. 74. 77. 78. 101. 104. 108. 114. 131. 132. 133. 135. 137. 161. 168. 175. 185. 196. 197. 198. 200. 202. 206. 233. 234. 236. 240. 244. 246. 247. 248. 250. 255. 264. 265. 268. 272. 274. 275. 276. 277. 292. 296. 306. 316. 319. 321. 324. 326. 328. 229. 332. 352. 359. 361. 362. 367. 368. 369. 372. 373. 379. 393. 394. 417. 433. 440. 443. 451.
Climacus (S. Ioannes) laudatur. 249.
Commentarius de rerum copia. *Vid.* Erasmus.
Cornificius laudatur. 79. 100. 156.

156. 160. 198. 265. 270. 313. 326. 328. 330. 347. 364. 365. 376. 407.
Cyprianus (S. Caecilius) laudatur. 3. 8. 9. 11. 33. 44. 50. 51. 58. 66. 71. 72. 73. 74. 77. 78. 84. 89. 90. 102. 123. 128. 134. 136. 141. 163. 164. 203. 204. 207. 208. 261. 262. 265. 267. 268. 269. 271. 275. 276. 277. 278. 281. 282. 283. 284. 287. 290. 291. 293. 294. 298. 308. 309. 316. 317. 318. 321. 338. 340. 342. 350. 351. 408. 445.

D

DEmetrius Phalereus laudatur. 5.

E

ENnius (Q.) laudatur. 245. 313. 372.
Erasmus (Desiderius) laudatur. 120. 121. 234. 300.
Eucherius (S.) laudatur. 294.
Eusebius Emissenus laudatur. 82. 83. 94. 257. 293. 408.

F

FAbius. *Vid.* Quinctilianus.
Franciscus Senensis. *Vid.* Patricius.

G

GRanatensis (Ludovicus) laudatur. 93.
Gregorius Magnus (S.) laudatur. 18. 22. 26. 34. 38. 39. 62. 83. 92. 102. 256. 263. 265. 270. 292. 294. 408. 437. 439.
Gregorius Nazianzenus, seu Theologus, (S.) laudatur. 119. 140. 160. 177. 189. 211. 302. 412.
Gregorius Nyssenus (S.) laudatur. 142. 149.

H

HErenniana rhetorica. *Vid.* Cornificius.
Hieronymus (S.) laudatur. 64. 67. 78. 110. 155. 164. 165. 178. 179. 191. 193. 222. 282. 288. 292. 293. 300. 306. 312. 439. 440. 445.
Homerus laudatur. 136. 137. 246.
Horatius Flaccus (Q.) laudatur. 315. 360. 392. 443.

I

IOannes Anglus laudatur. 8.
Ioannes Picus Mirand. *Vid.* Picus.

L

Lactantius (L. Coelius Firmianus) laudatur. 25. 119. 166. 270.
Libellus de conflictu vitiorum & virtutum laudatur. 163.
Livius (T.) laudatur. 245. 246. 360.
Lucanus (M. Annaeus) laudatur. 53. 54.
Lucilius (C.) laudatur. 313.

M

Maro. *Vid.* Virgilius.

N

Naso. *Vid.* Ovidius.
Nazianzenus, & Nyssenus. *Vid.* Gregorius.

O

Origenes laudatur. 193. 211. 249. 418.
Osorius (Hieronymus) laudatur. 80. 88. 124. 161.
Ovidius Naso (P.) laudatur. 101. 102. 284.

P

Patricius (Franciscus) laudatur. 19. 447.
Philostratus laudatur. 388.
Picus Mirandulanus (Ioannes) laudatur. 264. 265.
Plato laudatur. 5. 172.
Plutarchus laudatur. 5. 208.
Politianus (Angelus) laudatur. 313.
Pontanus (Ioannes Iovianus) laudatur. 362.
Prosper Aquitanicus (S.) laudatur. 40. 258. 259.

Q

Quinctilianus (M. Fabius) laudatur. 2. 6. 39. 91. 101. 103. 107. 113. 130. 135. 136. 138. 149. 150. 167. 198. 200. 233. seqq. 237. 240. 244. 245. 250. 255. 268. 285. 310. 320. 321. 322. 324. 325. 352. 353. 354. 355. 356. 359. 360. 361. 362. 364. 367. 372. 373. 374. 375. 378. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 391. 392. 393. 394. 396. 402. 409. 423. 426. 427. 428. 430. 431. 432. 433. 435. 440. 443.

R

Rodulphus. *Vid.* Agricola.

S

Sannazarius (Iacobus) laudatur. 318.

Se-

Sedulius laudatur. 256. 265. 273.
Seneca (L. Annaeus) laudatur. 17.25.27.46.56.57.85.102. 211.seqq. 262.271.419.420.
Sulpitius Severus laudatur. 104.

T

TErentius (P.) laudatur. 68. 408.
Theodoretus laudatur. 110.seq.
Thomas Aquinas (S.) laudatur. 127.
Titelmanus (Franciscus) laudatur. 181.

V

VAlerius Maximus laudatur. 5.321.
Vidas (Hieronymus) laudatur. 277.
Virgilius Maro (P.) laudatur. 76.102.103.132.135.137. 183. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 264. 265. 284. 297. 359. 384. 386. 399. 428.

Z

ZEno laudatur. 46.

EXPLICIT INDEX III.

INDEX IV.

RERVM

ET PROPRIORVM NOMINVM.

Admonitum lectorem volo, non nulla in hoc indice propria ſcriptorum nomina deſiderari; quaedam etiam reperiri, quibus non omnes, ubi leguntur, paginae adiectae ſunt. Quod dedita opera factum eſt, ne actum agere videamur. Ea enim videre eſt in ſecundo ac tertio indicibus, quibus ſi poſtremum hocce addideris, & omnium propriorum nominum indicem videbis perfectum, & nihil quoque praetermiſſum eſſe, quod tuae utilitati quoquo modo inſerviat.

A

AAron. 421.
Abdias. 403.
Abella, *urbs Italiae.* 253.
Abiſag. 85.
Abraham. 66. 67. 73. 130. 172. 214. 262. 302. 333. 334. 339. 421.
Abrahae obedientia. 117. ſeq. 189. 211.
Abſalom. 293. 403.
Abydos, *urbs Aſiae.* 289.
Accidentia quid ſint dialecticis. 53.
Accidioſi monachi deſcriptio. 152. ſeqq.
Accommodatio, ſeu ad ſingularia deſcenſus. 86. 91.
Achab. 403.
Achillis haſta. 137.
Acres & ardentes aptiores ad concionandum ſunt, quam tardi. 391.
Actio ad corporis geſtum & motum pertinet. 364.
—— languida, motu caret; nimis actuoſa, deformis eſt. 393.
Actionis partes duae; vox, & geſtus. 369. *Vid.* Pronuntiatio.

Actio-

Actioni consideratio etiam iungenda est. 420. seq.
Adagia. Mali corvi malum ovum. 68. Crambe bis posita mors. 86. 359. Rudi Minerva explicare. 103. 255. 395. Quantumvis rudius dicito, modo clarius. 239. Vestis virum facit. 234. Laterem lavare. 306. Iro pauperior. 357. Thersite deformior. ibid. Aperto Marte confligere. 417.
—— non vulgurem orationi fidem & ornamentum addunt. 101.
—— quaedam humilia & paene sordida. ibid.
Adhortatio quid sit. 295.
—— eius usus. ibid.
—— exempla. ibid. seq. 403.
Adhortationis pronuntiatio. 403.
Adiunctio quid sit. 274.
—— eius exempla. ibid.
Adiuratio maiorem vim, quam obsecratio, habet. 181.
—— eius exempla. ibid. seq. 403.
Adiurationis pronuntiatio. ibid.
Admiratio inter figuras, quae affectibus serviunt, numeratur. 183.
—— eius exempla. ibid. 401.
—— duplicatur, quum ei iungitur apostrophe. ibid.
Admirationis pronuntiatio. 401.
Adspectus plurimis modis significat. 386.
Adspectus actio. ibid.
Adulterii genera. 59. seq.
AEacides. 284.
AEgyptus. 18. 118. 159. 175. 243. 251. 353. 415.
AEgypti eversio. 138.
AEneas. 248. 384.
AEolus, *ventorum rex*. 135.
AEschines. 368.
Affectatio vitium omnium pessimum. 260. 323.
Affectio quid sit. 67.
Affectus duplicis generis. 86.
—— utriusque exempla. 87. seq.
—— qualiter, & qua occasione concitandi. ibid. seq.
—— alii oratorum, concionatorum alii. 170.
—— alii veri, alii ficti & imitati. 378.
—— in peroratione qualiter excitandi. 201. seq.
Affectuum movendorum summa in quo posita. 39. 166.
Affectuum pronuntiatio tam varia esse debet, quam sunt ipsi varii. 381. 388. 399. seq.
Affectibus veris concitatus eorum pronuntiationem, nullo docente, intelliget. 383.
Affectus movere difficillimum. 43.
Affectus movere Athenienssium actores vetabantur. 6. in quibusdam civitatibus interdictum. 91.
Affectus concitandi ratio. 166. seqq.

—— qualiter in nobis excitabimus. 168. seq.
Affectus pios erga res spirituales dumtaxat Spiritus S. praebere potest. 169.
ad Affectus movendos multum iuvat, ut & ipsi commoveamur. 167. seq.
Agar. 333.
Agesilaus, Lacedaemoniorum rex, qua ratione milites ad praelium acueret. 36.
Agnetis (S.) fortitudo & constantia, in tenera aetate, commendatur. 105. seq. 216.
Agnominatio quid sit. 268.
—— eius exempla. ibid.
Aiacis clypeus. 137.
Alexander Magnus. 21.
—— Clitum, carissimum sibi, inter epulas transfodit. 47.
—— concidit bibendi intemperantia. 48.
—— Babylonis muros intravit. 213.
Alexandri M. crimen aeternum, Callistenis occisio. 262.
Alexandria. 9.
Alexii (S.) patientia singularis. 216.
Allegoria quid. 250.
—— eius varia genera. ibid. seq.
—— genus maxime excellens. 191.
—— ad Christi mysteria explicanda pertinet. 190.
—— eius supra tropologiam dignitas. ibid.
Allegoriarum scriptotes. 195.
in Allegoriis quis tenendus modus. 191. seq.
Ambiguitas, orationis vitium, duplex. 238.
Ambrosii (S.) orationis varietas laudatur. 315.
Amici falsi ingenium. 305.
Amicitia qualiter gerenda. 304. seq.
Amnon. 293.
Amor rebus cedit. 316.
Amoris remedium. 76.
Amoris in Deum incitamenta. 171. seq.
Amorrhaei, & Cethaei improbi. 61.
Amos. 263.
Amplificandi variae species. 130.
—— 1. ex ipso rei nomine. ibid. seq.
—— 2. per incrementum. 131. eius usus. ibid. eius quattuor modi. ibid. seq.
—— 3. per comparationem. 132. seq. eius usus. 134.
—— 4. per ratiocinationem. 135. idem efficit, quod amplificatio per incrementum. 136.
—— 5. per congeriem. 137.
—— Variae species. 138.
ad Amplificandum qui loci magis valeant. 117.
Amplificatio quo ab argumentatione differat. 116. seq.
—— ad commovendos affectus instituta est. 139.
—— in genere demonstrativo prae-

praecipue dominatur. 211.
eius exemplum. 212. ſeq.
Amplificatio a partibus. 118.
eius varia exempla. 118. ſeqq.
in ſcriptura & PP. paſsim obvia eſt. 121.
—— ab antecedentibus. ibid.
eius exempla. ibid. ſeq. 124.
eius uſus. 122.
—— a comitantibus & conſequentibus. 123. eius exempla. ibid. ſeq. eius uſus & utilitas. 123.
—— a cauſis. 125. ſeq.
—— ab effectibus. 127. eius uſus. ibid.
—— pleniſsima a communibus locis & circumſtantiis ſimul. 127. ſeqq. exempla. ibid.
Amplificatio & affectus, cauſam iam probatam conſequuntur. 226.
Amplificatio & deſcriptio ad quid valeant. 166. ſeqq.
Amplificationis pronuntiatio. 383.
Anadiploſis quid ſit. 261. eius exempla. ibid. ſeq.
Ananias. 73.
Andreae (S.) inſignis animus, dum crucem ſibi paratam ſalutabat. 215.
Andronicus Hypocrites. 368.
Angelorum & hominum in cognoſcendo, ſe ſeque explicando, diſcrimen. 424.
Animantia bruta pluribus corporis dotibus hominibus praeſtant. 7.
—— intellectum & cognitionem quamdam habere, eorum induſtriae oſtendunt. ibid.
Animarum ſalute nullum ſacrificium Deo gratius. 34.
Animus non es iactandus, nec fatigandus. 420.
Animum bene fundatum nulla machinamenta agitare poſſunt. 212. ſeq.
Anna. 152. 165.
Annibal. 136. 238. 248.
—— Phormiorem philoſophum, de re militari diſputantem, merito irriſit. 417.
Antepraedicamentalis regula. 60.
Anti-Chriſtus. 269.
Antimetabole quid. 273.
Antoninus philoſophus gloriam contemnebat. 303.
Antonius (S.) tametſi illiteratus, multorum monachorum pater exſtitit. 25.
Antonius *Orator*. 368.
—— latronum ſicis confoſſus eſt. 309.
Antonii, *equitis Romani*, vomitus amplificatur. 132. 135.
Antonomaſia quid ſit. 248.
—— quo a periphraſi differat. ibid.
Apellis mira dexteritas. 36.
Apollonius. 300.
Apoſtoli cur rudes electi. 13.
—— in die pentecoſtes, Spiritus S. gratia repleti ſunt. 24.
Apoſtolorum praedicatio, labores,

res, & infractus animus. 128. seq.
Apostrophe cum exclamatione coniuncta. 178.
—— cum admiratione. 183.
—— cunctis affectibus servit. 405.
—— eius exempla. ibid. pronuntiatio. ibid.
Appius Caecus. 329.
Appositum. *Vid.* Epitheton.
Apte dicendi ratio. 319. seqq.
—— ex duobus praecipue sumitur. 456. *Vid.* Dicere apte.
Arabia. 333.
Araxes. 245.
Archias. 275.
Architas Tarentinus. 58.
Argumentatio quid sit. 72.
—— inter tria dicendi genera praecipuum est. 49.
Argumentatio popularis. 76.
—— oratoria quid supra dialecticam addat. 81.
Argumentationis vis & elegantia quo contineatur. 86.
Argumentationis & amplificationis discrimen. 116. seq.
Argumentationes quo eloquutionis genere tractandae. 113. seq.
Argumentationum dispositio. 230. seq.
Argumentum quid sit. 72.
Argumentorum formae. ibid. seqq.
—— fontes. *Vid.* Loci.
Ariditas, orationis vitium. 355.
Aristarchus eruditissimus & diligentissimus. 249.
Aristides iustissimus. ibid.
Aristoteles. 52. 53. 247. 248.
—— scientiarum antistes. 4.
—— aureum flumen. 8.
—— omnia rhetorum praecepta collegit, ipsisque inventoribus praestitit. 3.
—— plurima adiumenta rhetoricae subministravit. 42.
—— de affectibus copiose scripsit. 170.
Arithmon quid sit. 362.
Armeniae, inclytae feminae, insignis pudicitia. 19. 447.
Arrhievalus B. Eduardi vitam scripsit. 84.
Arrianus imperator. 412.
Ars quid sit. 44.
—— dux certior est, quam natura. ibid.
—— imitatione & exercitatione adiuvatur. 44.
—— naturam imitatur, ad eam tamen pertingere nequit. 383.
—— multum adiuvat naturam. 431.
Artis praecepta, & lectio, sine exercitatione, exigui fructus sunt. ibid.
Artis praeceptorum necessitas. 44.
Arte perficitur & consumatur natura. 2.
Artes qua ratione inventae. ibid.
Asia. 289.
Asiatismus, orationis vitium. 355. 361.

Asinius Pollio. 237.
Asseveratio ad amplificandum valet. 138.
—— interdum plus, quam probationes, valet. 383. 411.
Assur. 158. 407.
Assyriorum vastatio. 118. 138.
Assyriorum regis superbia. 158.
Athenae. 189. 247. 248. 393.
Attentionis captandae ratio. 187.
Attilius Regulus (M.) 299.
Avari arguuntur. 89.
Avaritia quid sit. 280.
Auditor non solum oratione flectendus, verum & delectandus est. 48.
—— qua ratione docendus, delectandus, & flectendus sit. 202. 327.
—— taedio afficiendus non est. 225.
Auditorum habenda est ratio concionatori. 322. seq.
—— diligentior cura habenda est, quam argumentorum. 436.
Augusti urbanitas. 303.
Augustinus. (S.) 163. 260. 348. 444.
—— eam rhetoricae partem, quae de tribus dicendi generibus est, diligenter pertractavit. 331.
—— pugnam civilem, quae apud Caesaream invaluerat, pepulit. 345.
—— proportione verborum prae ceteris PP. delectatus est. 258.
Avidus quis. 102.
Aureola virginibus, martyribus, & doctoribus in caelo parata est. 16.
Azarias. 73.

B

Babylon. 213. 404. 407.
Babylonis eversio. 118.
Balnearum pericula. 141.
Barbara lexis quid sit. 237.
Barbarismus quid. 236.
Basan, regis, proceritas. 137.
Basilius (S.) 12. 143. 211. 412. 413. 414. 432.
—— erudito cuidam christianus Demosthenes dictus. 9.
—— cum PP. veteris & novi testamenti confertur. 302. seq.
—— eius eloquentia laudatur. 8. seq.
—— cum Arriani praefecto dialogus, quo singularis eius fortitudo ostenditur. 412. seqq.
Belli incommoda. 123. 145. seq.
Bene-precationis pronuntiatio. 399.
—— exempla. ibid.
Benevolentiae captandae ratio. 187.
Beniamin. 298.
Bernardus (S.) 260.
—— non tam humano studio, quam divino magisterio, divina tractavit. 420.

Bethacarem. 298.
Bithynia. 289.
Bleſilla. 164.
Boethius. 53.
Bombycum ingenium. 62.
Bomphiologia quid. 360.
—— exempla. ibid. ſeq.
Bona vera & falſa quae. 212.
Bonaventurae (S.) oratio, etſi non leniter fluat, ſententiarum tamen pondere grata eſt. 262. ſeq.
Bonitas, voluntatis obiectum eſt. 205.
Bonorum tria genera ſecundum philoſophos. ibid.
—— quinque ſecundum rhetores. ibid.
Brachilogia quid. 360.
Brachiorum in pronuntiando vitia. 392.
Brevitas quid ſit. 289.
—— quando adhibenda. ibid.
—— eius exempla. ibid.
—— nimia, vitium eſt. 238.
Brutus (L.) 161. 240. 246.

C

CAcophaton quid ſit. 359.
Cacophonia quid. 362.
Cacozelon quid. 360.
—— vitium omnium peſſimum. ibid.
Cadaveris horrifica ſpecies. 125.
Caecilius (Q.) 108.
Caeleſtia pro terrenis relinquentium miſeranda ſors. 182.
Caeleſtis vitae dulcedinem cognoſcens, terrena omnia libenter derelinquit. 83.
Caeſar (C. Iulius) 21. 73. 101. 136. 152. 237. 292.
—— eius felicitas. 303.
Caeſarea, Mauritaniae populus. 345.
Caeſarius, Gregorii Nazianzeni frater. 9. 211.
Caín. 268. 290.
Caiphas. 403.
Calanne. 350.
Caleb. 73.
Caligula. 303.
Calix Dominicus aquam vino mixtam debet habere. 338. ſeq.
Callidius. 367. 393.
Callifthenes. 262.
Camptera, latine tractus, vel nexus, quid ſit. 318.
—— eius exemplum. ibid.
Cannae. 248.
Caritas omnes concionandi moleſtias ſuperare debet. 441.
Caritatis ſtudium in Eccleſiaſte commendatur. 28. ſeqq.
—— magis prodeſt, quam omnia rhetorum praecepta. 31.
—— a Spiritus S. gratia unice procedit. 32.
—— quibus mediis adiuvetur. 33. ſeqq.
Caritatis oratio qualiter inſtituen-

tuenda. 227.
Caritatis exempla. 28. seq.
—— incitamenta. 171. seqq.
Carnis maceratio commendatur. 75.
Carthago. 213. 248. 251. 252.
—— dolis malitiosa. 160.
Cassianus (Ioannes) in descriptionibus personarum, ex notatione, mirus est. 152.
Castigationis pronuntiatio & exempla. 403.
Cathacresis quid sit. 250.
—— metaphorae valde similis, quoque ab ea distinguatur. ibid.
Catharina Senensis (S.) multos homines ad pietatem convertit. 25.
—— eius virtutes, & admiranda divinae familiaritatis indicia. 111.
Catilina. 77. 121. 133. 134. 152. 161. 164. 265. 268. 274. 276. 329.
Cato. 54. 152. 165. 237. 245. 246.
—— severissimus morum censor. 249.
Causa quid sit. 69.
Causarum tria genera, iudiciale, deliberativum, ac demonstrativum. 42. 185.
Cedar. 133. 215.
Celerinus. 293.
Celeritas nimia pronuntiationis vitium. 390.
—— qui in hoc vitium incidant. ibid.
Centurio. 223.
Ceres. 247.
Cervicis actio. 387.
Cethegus. 372.
Cethim. 133.
Chanaan. 68.
Chananaea. 249.
Chremes. 238. 408.
Chrysologus (S. Petrus) unde ita dictus. 260.
Chrysostomus (S. Ioannes) 8. 12. 121. 306. 432. 434. 443.
—— inter ceteros PP. maxime legendus. 65.
—— in circumstantiis excutiendis mirus artifex. 129. 150.
—— indignum se esse ad episcopi munus, Basilio probare contendit. 143. seqq.
—— quo animi aestu angeretur, dum episcopatus suspicio ei fuit iniecta. ibid.
—— in amplificatione maxime excellit. 150.
—— tum etiam in genere mixto concionandi. 224. 228.
—— tractandorum animorum artifex peritissimus. 223.
Chrysostomi admiranda eloquentia. 8.
—— oratio uber & copiosa. 354.
—— quidam sermones dignissimi qui legantur. 151.
—— de divina providentia liber commendatur. 214.
—— concionum quale exordium. 320.

Chri-

Chriſtianiſmus non perſonarum dignitate, ſed fide, inſignitur. 413.
Chriſtus. 9. 13. 15. 20. 26. 29. 35. 60. 61. 62. 84. 87. 88. 89. 90. 94. 105. 110. 111. 122. 128. 148. 160. 163. 164. 165. 190. 191. 193. 194. 239. 245. 255. 259. 261. 262. 269. 276. 281. 282. 283. 293. 295. 296. 298. 329. 334. 336. 337. 338. 339. 340. 345. 351. 399. 403. 437. 441. 444. 447.
—— verus Salomon. 215. 218.
—— veram humilitatem docuit. 155.
—— ſe ad docendi munus quadraginta dierum ieiuniis praeparavit. 24.
—— per diem miracula edebat, & ad orationis ſtudium pernoctabat. 38.
—— cur hominis filius eſſe voluerit. 269.
—— ſacerdotes aut conſtituit, aut protegit. 319.
Chriſti benignitas. 87. amoris & grati animi affectum excitat. ibid.
—— benignitas, caritas, & humilitas. 105.
—— caritas. 171. ſeq.
—— patientia. 269.
—— paſsionis acerbitas ex eius partibus amplificatur. 119.
—— verae generationis teſtimonia. 289.
—— imperveſtigabiles divitiae. 215.
—— vias quando carpamus. 94. ſeq.
Cicero (M. Tullius) 12. 13. 53. 138. 186. 200. 247. 392.
—— eloquentiae parens. 3. 248. 249. 309. 451.
—— Catilinae conatus repreſſit. 121. ſeq.
—— in tropis & figuris tradendis ſibi diſcrepat. 310.
Ciceronis de rhetoris officio ſententia. 42.
—— exempla ad omnia eloquutionis praecepta ſatis eſſe, credunt rhetores. 232.
Ciceroni mortem eloquentia attulit. 309.
Cicero (Quintus) 77.
Circumſtantiae quid ſint. 50.
—— peccatum aggravantes, duplicis generis. 118.
—— quaenam in confeſsione detegendae. ibid.
Circumſtantiarum perſonarum conſideratio. 66. ſeqq.
—— rerum. 69. ſeq.
—— exempla. 70.
—— uſus. ibid.
Circumſtantias excutere, ad amplificationem valde conducit. 129.
Clamor continuus remittendus. 376.
Claſsis mala & incommoda. 146.
Cleombrotus. 165.
Cleon. 393.

Cle-

Clerici unde ita vocati. 67. ſeq.
Clitus. 47.
Clodius. 244. 251.
Cogitatio eloquutionis eſt parens. 443.
—— tempora & loca cogitationi idonea. 444.
—— eius rectae inſtituendae ratio. ibid.
Cognatio magnum amoris incitamentum eſt. 172.
Cohabitatio quid ſit. 270.
—— eius exempla. ibid.
Cola, latine membra. 314.
—— eorum exempla. 315.
Collectio quid ſit. 8.
—— eius partes quinque. ibid.
concionatoribus propriae ac neceſſariae. 111. ſeq.
Collocatio recta quam ſit differenti neceſſaria. 230.
Commata, latinae caeſa. 314.
—— eorum exempla. ibid.
Comminationis pronuntiatio. 400.
—— exempla. ibid.
Commiſerationis affectus conſideratio. 175. ſeq.
Commoratio quid ſit. 287.
—— eius uſus. ibid. ſeq.
Commutatio quid. 233.
—— eius exempla. ibid.
Comoediarum inſignia loca ediſcenda ad pronuntiationis exercitationem, monet Fabius. 396.
—— id concionatorem non decet. 397.
Comoedus quid docere oratorem debeat. 396.
Compar quid ſit. 266.
—— eius exempla. 267.
Comparatio in amplificatione. 132. ſeq.
Comparationis pertractandae ratio. 303.
Complexio quid ſit. 81. 262.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
—— pronuntiatio. 407. *Vid.* Dilemma.
Compoſitio quid ſit. 313.
—— qua ratione conſervabitur. ibid.
—— concionatori negligenda non eſt. 312.
—— non mediocriter intellectum adiuvat. 313.
Compoſitionis duplex ſpecies, ſimplex, & compoſita. 314.
—— compoſitae partes. 314. ſeqq.
—— eius varietas commendatur. 315. 319.
—— vitia, eorumque exempla. 313.
Conceptus duplicis generis, directus, & reflexus. 108.
Conceſsio quid ſit. 136. 294.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Concilium quid ſit. 67.
Concionandi I. modus ſuaſorius ac diſſuaſorius ſub deliberativo genere comprehenditur. 203. quodnam exordii genus requirat. 204. & propoſitionis ac diviſumis. 205. tum etiam confutationis. 207. & epilogi. 208. loci

ci huic generi deſervientes. ibid. exempla. ibid. ſeq. non nulla in hoc genere concionatoris propria. 208. ſeqq.
—— II. modus in genere demonſtrativo, ſanctorum feſtis & laudibus deſervit. 210. qualiter tractandus ſit. ibid. ſeqq. ad 219.
—— III. modus, qui in evangelicae lectionis explanatione verſatur. 279. quodnam exordii genus requirat. 220. ſeq. *Vid.* Lectio evangelica.
—— IV. modus ex ſuperioribus mixtus. 224. eius duae praecipuae partes. ibid. huius generis periculum. 225. prae ceteris commodiſsimus. 228.
—— quattuor modi inter ſe conferuntur. 225. ſeqq.
—— quinam modus praeferendus. 227.
—— genus didaſcalicum. 228. ordo in hoc genere ſervandus. ibid. ſeq.
—— omnia genera ad tria reducuntur capita. 225.
Concionandi munus difficillimum. 4. 450.
—— huius officii dignitas. 14. ſeqq. 447. ſeq.
—— eius finis. 13.
—— utilitas. 16.
—— difficultas. ibid. ſeqq.
—— eius praecipuus magiſter, divinae gloriae, & humanae ſalutis deſiderium eſt. 31.
—— ei recte exſequendo quae requirantur. 423. ſeq.
Concionis adornandae methodus. 442. ſeqq.
Conciones eruditae quo ab ineruditis diſtent. 81.
—— difficiliores, quae de SS. laudibus habentur. 219.
—— eas ad verbum ediſcentium vitia. 371. 374. 389.
Concionis fructum ſaepe auditores impediunt. 221.
Concionator qualiter ſe gerere debeat, ut par officio ſit. 18. ſeqq.
—— intentionis puritatem & rectitudinem retinere debet. 19.
—— ne ſuae gloriae rationem habeat. 19. ſeq.
—— exemplo magis, quam verbo, proficiat. 25. ſeq.
—— caritatis ſtudio prae omnibus excellere debet. 28. ſeqq.
—— qua ratione caritatis ſtudium induere poſsit. 33. ſeqq.
—— totum ſpiritum ſuum conferat ad rogandum Dominum. 33.
—— piſcatoris nomen & curam prae oculis habeat. 35.
—— precibus magis, quam verbis, munus ſuum urgeat. 38.
—— non in verborum ſplendore, ſed in operum virtute, totam praedicandi fiduciam po-

ponat. 40.
—— moralis philoſophiae & chriſtianae doctrinae peritus eſſe debet. 61. ſeq.
—— antequam munus attingat, in ſanctarum ſcripturarum, & patrum lectione verſatus ſit. 62.
—— qualiter ſe gerere debeat in S. ſcripturarum lectione. 63. ſeq.
—— exactam dialecticorum formam non ſemper ſequatur. 76.
—— quid ſupra oratorem addat. 86.
—— quo ab oratore diſtet. 99.
—— quid inducere in animum debeat, ubi ſuggeſtum conſcenderit. 96. ſeq.
—— medici curam & ſollertiam imitetur. 97. ſeq.
—— omnibus accommodandus eſt. 98.
—— Spiritus ſancti auxilium flagitare debet. 170.
—— quos praecipuae affectus excitare debeat. 173. ſeq.
—— quibus libris allegoriarum tractationem addiſcet. 195.
—— paraphraſtem magis, quam interpretem, agat. 219.
—— expertus in virtutis via eſſe debet. 417. ſeq.
—— quo tempore hoc munus aggredi debeat. 418.
—— prius infundendus, ut poſtea effundat. 419.
—— quo temperamento munere ſuo uſurus. ibid.
—— ita aliis ſalutaris eſſe debet, ut ſibi etiam utilis ſit. ibid. ſeq. id quod adductis ſimilibus oſtenditur. 420. & Bernardi auctoritate. ibid. ſeq.
—— ad hoc munus non accedat, niſi a Deo vocatus ſit. 420. ſeq. nec ſi impares oneri vires habeat. 422.
—— quas utilitates ex verborum copia aſſequatur. 429. ſeq.
—— vitia moreſque eorum, apud quos dicit, perpectos habeat. 437. ſeq. tum perverſas de rebus opiniones, &c. 438.
—— quae aliunde congeſsit, ſua quodam modo faciat. 441.
—— pium mentis affectum lectioni adiungat. 442.
—— quid efficere debeat, ut pronuntiationis virtutem addiſcat. 449.
—— cui pronuntiatio deeſt, etiamſi ſummus ſit, mediocri, hac inſtructo, ſaepe concedit. 366.
—— zelum ſine oſtentatione debet oſtendere. 322.
—— quando ſubmiſſe, temperate, & granditer dicere debeat. 333.
—— naturalem loquendi modum

dum diligenter obſervet. 371.
—— novicius ad mulieres rixantes remittitur. 370. ſeq.
Concionatoris praecipuum officium. 17. 20. 348. 416.
—— triplex officium, docere, delectare, & flectere. 38. 190. 197. ſeq. 202. 279. 310. 327.
—— praecipuum munus in movendis affectibus poſitum eſt. 86. 91. 221.
—— ſummum ſtudium. 64.
—— tota cura & ſtudium. 27.
—— ſcopus. 91. ſeq. 203. ſeq.
—— finis. 95. in quocumque dicendi genere. 346.
—— ſeptem virtutes. 37. praecipua, orationis ſtudium. 36. 37. ſeq. id variis exemplis oſtenditur. 38.
—— tres partes, inventio, elocutio, pronuntiatio. 451.
—— vita & mores quales eſſe debeant. 23. ſeqq. variis exemplis oſtenditur. 24.
—— prudentia maxime in vitiis perſtringendis deſideratur. 438. ſeq.
—— eximii gloria quam late pateat. 21.
—— cuiuſdam inſignis praecipuum ſtudium. 438.
—— diſertiſsimi factum, ut tironem inſtitueret. 2.
—— veterani ad novicium, ſuper concionandi officio, dictum. 32.
—— eius & ſcholaſtici doctoris differentia. 229.
—— praeparatio ante concionem. 446. ſeqq.
Concionatori humilitas neceſſaria eſt. 33. ſeq.
—— hiſtrionum geſticulatio indecora. 394.
—— qui loci magis proprii ac neceſſarii. 81. ſeq.
Concionatorem, caritatis ſtudio incenſum, non poteſt non populus revereri. 32.
Concionatores rhetoricae adminiculo plurimum adiuvari poſſunt. 3.
—— pertinaci ſtudio atque labore ſe ſe praeparare debent. 440.
—— inanem gloriam interdum non cavent, nec advertunt. 22. ſeq.
—— mundari prius oportet, ut alios mundos faciant. 26.
—— cur noſtro ſaeculo tam exiguos fructus edant. 27. ſeq.
—— inſignes, rariſsimi ſunt. 450.
—— divinarum rerum, & devotionis ſtudio dediti, facile auditorum animos afficiunt. 40.
—— quid facere debeant, exemplo Paulli oſtenditur. 284.
—— ſubtilia, & populi captum excedentia, ſilentio premant. 439.
—— *obiurgantur*, qui obſcuras quae-

quaeſtiones pertractant. 239.
——— aridi. 85.
——— inſtituti ſui immemores. 95. 324.
——— qui rhetoricae non ſtudent. 4.
——— qui exemplo non proſunt. 28.
——— qui ad hoc munus aetate immatura, vel imperfecti, accedunt. 62.
——— qui auram popularem captant. 422. 446. ſeq.
——— qui de auditorum inſtitutione non curant. 436. ſeq.
——— qui dicteriis & facetis populum ad riſum movent. 439.
Concionatorum affectus. 170.
—— meritum & praemium. 34.
—— vitia. 220. 222. 237. 239. 278. 322. 323. 324. 370. 374. 381. ſeq. 389. ſeqq. 391. ſeq.
—— pauci admodum rectam pronuntiandi rationem tenent. 397.
—— eorum ſtudii formandi ratio. 62. ſeqq.
Concluſio quid ſit. 186.
—— quando ſit adiicienda. 86. *Vid.* Peroratio.
Concupiſcentia, peccati radix eſt. 254.
Conduplicationis pronuntiatio & exempla. 407. ſeq.
Confeſsio vera. 258.
Confeſſorem Chriſti quid deceat. 261.
Confeſſores, qui fidem apud infideles conſtanti animo confeſsi fuerant, laudantur. 351.
Confirmatio quid ſit. 80. ſeq. 186.
—— a locis externis potiſsimum peti ſolet. 81.
—— totam cauſae vim continet. 227.
—— eius conſideratio. 197. ſeq.
Conformatio quid ſit. 160.
—— eius exempla. ibid. ſeqq.
Confutatio quid. 186. 207.
—— qualiter inſtituenda. 198.
Congeries in amplificatione. 137. *Vid.* Synathriſmus.
Conquaeſtio quid ſit. 175.
—— a quibus locis ducatur. ibid. ſeq.
—— eius in concionibus uſus. 175.
Conſcientiam quotidie examinare oportet. 159.
Conſolatio elegans de filii morte. 300. ſeq.
Conſtructio. *Vid.* Compoſitio.
Conſuetudinis pravae vis. 275.
Contentio quid. 272.
—— confirmatione & confutatione conſtat. 197.
—— eius uſus & exempla. 272.
Contentionis demonſtrativae conſideratio. 302. ſeq.
Contentionibus ſententiae & epiphonemata apte admiſcentur. 301.
Contrarium in ſententiis quid ſit. 272.

—— exempla. 272.
Contrariorum eadem eſt diſciplina. 52. 60. 118.
Contrariorum proportio quid ſit. 268.
—— eius exempla. ibid. ſeqq.
Converſio quid ſit. 161.
—— eius exempla. 162. 407.
—— pronuntiatio. 407.
Convivii luxurioſi deſcriptio. 352.
Copia & ubertas orationis ad eloquendi rationem pertinet. 354.
—— qua ratione paretur. ibid. ſeq.
—— ei oppoſita vitia. 355.
Copia verborum concionatori neceſſaria eſt. 423. ſeq.
—— qua ratione paretur. 277. 425. 427.
Corinthus, *Achaiae urbs*, diſciplinis erudita. 160.
—— totius Graeciae lumen. 272.
Cornelius. 268. 281. 291. 318. 329.
Corollarium quid ſit. 103. ſeq.
Correctionis pronuntiatio & exempla. 408.
Cotta (L.) antiquitatis affectator. 369.
Craſſus (L.) 233. 368.
Cretenſes ſemper mendaces. 68.
Crucis Chriſti gloria. 13.
Cyneas *orator*. 5.
Cyprianus (S.) 10. 12. 189. ſeq. 225. 331. 355. 432.
—— omnium orthodoxorum PP. eloquentiſsimus & ornatiſsimus. 232.
—— chriſtianus Cicero. ibid.
—— dicendi virtutes prae ceteris PP. ſervavit. 321.
Cypriani eloquentia a Lactantio commendatur. 10.
—— oratio, pietatis & dilectionis affectum, atque apoſtolicum pectus prae ſe fert. 321.
—— ſermo *de lapſis* commendatur. 434.
Cyrus, *Perſarum rex*. 19.
—— forma praeſtans. 447.

D

DAEdalus. 246.
Daemon. *Vid.* Diabolus.
Daniel. 73. 263.
Dares. 300.
Darius. 262.
David. 66. 119. 130. 188. 214. 251. 263. 302. 370. 404. 405. 441.
—— quo animarum ardore aeſtuaret. 29.
—— ſolis piis haud prolixe canit. 178.
Davidis adulterium. 139.
—— fortitudo. 137.
Decorum ubique captandum. 320.
—— ex prudentiae iudicio pendet. ibid.
—— in actione praecipue ſpectandum. 386. 391.
Definitio quid ſit. 280.

du-

— duplex eſt; brevis dialecticorum, & longior rhetorum. 281.
— prioris exempla. 280.
— poſterioris. 281.
Deliberativum cauſarum genus. 185.
— concionatoris maxime proprium eſt. 203.
Demaea. 238.
Demetriades. 288.
Demetrianus. 267. 275. 278. 296. 308. 316.
— a Cypriano corripitur. 78. 276.
Demetrius Phalereus. 5.
— illius vox iucundior. 391.
Demetrius Poliorcetes. 212.
Demoleos. 137.
Demonſtrativum cauſarum genus. 185.
— eius conſideratio. 210. ſeqq.
Demoſthenes. 9. 114. 247.
— dinoſi plurimum valuit. 174. 354.
— plurimum figuris utitur. 255.
— ad ſpeculum componere actionem ſolebat. 386.
— qualiter humerorum vitium emendaverit. 393.
— Ciceroni interim dormitare videtur. 392.
— Ciceronem, quantus eſt, fecit. 440.
Demoſthenis orationes lucernam olebant. ibid.
— eius cura de ſpiritu quam longiſsimo ſibi parando. 374. ſeq.
— eius de pronuntiatione iudicium. 368.
Demoſtheni eloquentia miſerandum exitum attulit. 309.
Deſcenſus & aſcenſus quid ſit dialecticis. 121.
Deſcriptio rei quid ſit. 140.
— graece hypotypoſis. ibid.
— quibus rebus iuvetur. ibid.
— eius varia exempla. ibid. ſeqq.
— virtus eſt in dicendo maxima. 143.
— longiſsima ex Chryſoſtomo. ibid. ſeqq.
Deſcriptiones ad quid valeant. 311.
— rerum & perſonarum inter eloquutionis ornamenta, quae amplificationi deſerviunt, numerantur. 139.
— ad energiam maxime pertinent. 353.
— perſonarum non omnes ad amplificandum pertinent. 152.
— earum varia genera. ibid.
— exempla. ibid. ſeqq.
— temporum & locorum. 166.
Detrahentium ſub pietatis larva ingenium deſcribitur. 155.
Deus diſciplinarum omnium & virtutum ſemina animis noſtris ingeneravit. 1.

—— cur ſaepe in hoc ſaeculo iraſcatur. 258.
—— quo affectu & deſiderio colendus. ibid.
—— digne aeſtimatur, quum inaeſtimabilis dicitur. 262.
—— ab homine peccante ſupplicium ſumit. 134. 308.
Dei beneficentia. 173.
—— bonitas & caritas. 171. ſeq.
—— clementia. 264.
—— furor in impios. 179.
—— in pios dilectio. 216. ſeq.
—— immenſa pulchritudo. 171. ſeq.
—— eius laus quo dicendi genere tractanda. 333.
—— oblivio, malorum omnium origo eſt. 56.
Deum eſſe, ſimilium inductione probatur. 72. ſeq.
in Deo omnes amandi rationes inveniuntur. 173.
Diaboli acies quovis praelio horribilior. 146. ſeqq.
—— eius vis atque potentia. 180.
—— adverſus diaboli iacula qualiter firmandus animus. 296.
—— adverſus diabolum dimicanti numquam deponenda arma. 148.
Dialectica philoſophicis & theologicis diſputationibus neceſſaria eſt. 4.
—— quibus conveniat cum rhetorica, quibuſque ab ea differat. 45. ſeqq.
—— compreſſae manui ſimilis eſt. 46. *Vid.* Rhetorica.
Dialecticae orationis ab oratoria diſcrimen. 355.
Dialecticorum methodus. 380.
—— eorum oratio ad concionandum inepta. 85.
Dialogi commoditates. 286.
Dialogorum pronuntiatio allatis exemplis oſtenditur. 411. ſeqq.
Dicendi tria genera, ſeu figurae, grave ſeu ſublime, mediocre ſeu temperatum, & extenuatum acutum ſeu ſubmiſſum. 326. 327. 328.
—— rebus, de quibus dicimus, aptanda ſunt. 326.
—— non numquam miſcenda, & quando. 343. ſeq.
—— quibus quodque locis interponendum. 344. ſeqq.
—— *Vid.* Sublime. Submiſſum. Temperatum.
—— in tribus dicendi generibus quae vitia cavenda. 347. ſeq.
Dicendi genus aridum. 348.
—— fluctuans & diſſolutum. 347. ſeq.
—— turgidum & inflatum. 347.
Dicendi modeſtia exordio praecipue convenit. 321.
Dicendum omnibus ita eſt, ut auditores non offendantur. 321.
Dicere apte quid ſit. 319. 323. ſeq.

quar-

—— quarta eloquutionis est virtus. 319. 324.
—— maxime necessaria est. 325.
—— ad dicendum apte quattuor observanda, nempe quis, cui, qua de re, & ob quem finem dicat. 320.
Didascalicum genus quid complectatur. 185.
—— eius finis cognitio est. 186.
Didonis imprecatio. 183. 399.
Digitorum pronuntiatio. 388.
—— in pronuntiando vitia. 392.
Digressiones orationem splendidiorem faciunt. 75.
Dilemma quid sit. 77.
—— eius exempla. ibid.
—— cur syllogismus cornutus dicatur. ibid.
Diligentia quid sit. 280.
Diminutio quid sit. 287.
—— eius exempla. ibid.
Dinosis, latine gravitas. 354.
—— inter oratorum virtutes praecipue numeratur. 174.
—— ad indignationis affectum praecipue valet. 350. 354.
Diomedes. 248.
Dipsas. 303.
Disciplinae laus. 281.
Disciplinae qua ratione creverint. 450.
Disiunctio quid sit. 275.
—— eius exempla. ibid.
Dispositio quid sit. 44.
—— duplex est, una per orationes, altera per argumentationes. 230.
—— quae cuique orationis parti conveniat. ibid. seq.
—— qualiter instituenda. 242. seq.
—— prudentia & iudicio constat. 443.
Dispositionis consideratio. 230. seq.
—— eius vitium. 362.
Dissimilitudo in translationibus fugienda. 245.
Dissuadendi ratio. 207.
Distinctio ad dilucidam pronuntiationem valet. 373.
—— eius tempora. ibid. seq.
Distributio duplex; una in verbis. 275.
—— eius exempla. ibid. seq.
—— altera in sententiis. 283.
—— eius exempla. ibid. seq.
—— in descriptionibus. 284.
Divinae gratiae & humanae salutis desiderii vis. 31. seq.
Divisio, figura, quid sit. 280.
—— quo differat a divisione, quae orationis est pars. 282.
Divisio, orationis pars. *Vid.* Partitio.
Divitis & pauperis differentia. 66.
Divites, indigentibus non subvenientes, quantum peccent. 84.
Divitiarum quisnam usus esse debeat. 291.
Docendi munus nemo sine doctrina usurpare debet. 417.
Docilis quis sit. 187.

Doctor ecclesiasticus quis. 439.
Doctorum ecclesiae scriptis nulla eloquentiae pars defuit. 8.
Doctrinae rectus ordo. 231.
Dominicus (S.) avide martyrium sitiebat. 216.
—— eius insignis caritas. 30.
——— qua Praedicatorum ordinem instituit. 122. seq.
Donatus. 267. 275. 284. 287. 445.
Drancus. 251. 384.
Dubitatio quid sit. 299.
—— eius exempla. ibid. seq. 408.
—— pronuntiatio. 408.

E

EBrietas voluntaria insania est. 47.
—— eius effectus. ibid. seq.
Ecclesia longe magis sanctorum exemplis, quam disertorum hominum verbis, aucta fuit. 250.
—— eius splendor & gloria. 215.
——— in martyribus elucet. ibid. seq.
—— unitas, similium inductione ostenditur. 309. seq.
—— eius ministri, praedicationi operam non dantes, reprehenduntur. 92.
Ecclesiastes. *Vid.* Concionator.
Edisscere insignia auctorum loca, ad pronuntiationem confert. 396. 404.
Eduardus, Angliae rex, (B.) cum eius uxore virginitatem ad finem usque vitae conservarunt. 84.
—— eius mira castitas. 216.
—— qua ipse aqua manus lavabat, Deus caeco oculorum lumen restituit. ibid.
Electio, prima inventionis virtus. 435.
—— eligenda sunt, quae & argumenti natura, & auditorum conditio ac necessitas postulat. 436.
Eleemosyna qualiter commendanda. 209.
—— eius commendatio. 84.
—— impedimenta removentur. 207.
Eleemosynas non facientes obiurgantur. 163. seq.
Elias. 84.
—— trepidantem Abdiam iuramento confirmat. 403.
Elisabeth. 289.
Eliseus propheta quid innuerit, dum tantam celeritatem puero commendavit. 19. seq.
—— pueri ab Eliseo sanati historia. 194.
Eloquens quis. 328. 332.
—— ita dicere debet, ut doceat, delectet, & flectat. 326. 327.
Eloquentium consuetudo homines eloquentes facit. 65.
Eloquentia ad regendam multitudinem utilis. 5.

La-

—— Lacedaemoniorum civitate expulsa fertur. 6.
—— ad ecclesiae aedificationem ac Dei gloriam referenda est. 10.
—— vera quaenam. 41.
—— locuples & speciosa vult esse. 113.
—— in narratione praecipue dominatur. 188.
—— oratoris est propria. 233.
—— quae admirationem non habet, nulla est. 240. 440.
—— praestantissimis viris exitio fuit. 309.
—— tribus comparatur; arte, imitatione, exercitatione. 426. seq.
—— multo magis in sententiis, quam in verbis, est. 431.
Eloquentiae universale officium & finis. 346.
—— summa in quo posita. 424.
—— quid eius proprium. 360.
—— eius praecepta ex observatione manarunt. 65.
—— Christianorum & Ethnicorum eloquentiae distinctio. 440.
Eloqui quid sit. 233.
Eloquutio quid sit. 44.
—— praecipua est rhetoricae pars. 42.
—— prudentis hominis est. 82.
—— pars operis difficillima. 233.
Eloquutionis quattuor virtutes. 236. 358. 372.
—— I. ut oratio latina sit atque emendata. 236.
——— ei opposita vitia. ibid: seq.
—— II. perspicuitas. 237.
——— vitia ei opposita. 238.
—— III. ornatus. 240.
——— aut in propriis verbis. 241. seq.
——— aut in translatis. 242. seqq.
——— aut in coniunctis. 254. seqq.
——— aut in compositione. 312. seqq.
—— IV. apte dicere. 319. seqq.
Eloquutionis vitia. 359. seqq.
—— eius cura qua ratione temperanda. 235.
—— eius tractandae ordo. 236.
—— genus pro causae diversitate variandum est. 234. seq.
in Eloquutione & vitium & virtus dicendi est. 233.
Emphasis, sententiarum figura, quid sit. 292.
—— in sacris litteris frequens est. 293.
—— eius duae species. 292.
—— exempla. ibid. seq.
Emphasis, ornatus virtus, ad energiam pertinet. 353. seq.
—— ex verbo coniecturam facit. 137.
Energia, latine illustratio, & evidentia. 168. 352.
—— rem oculis evidenter veluti

uti ſpectandam proponit. 352.
—— eius natura propoſito exemplo apparet. ibid.
—— quibus figuris conſtet. 353. ſeq.
Entellus. 300.
Enthymema quid ſit. 76.
Enumeratio, argumentationis forma, quid ſit. 79.
—— eius exempla. ibid. 92. ſeq.
—— ea frequenter utatur concionator. 93. ſeq.
Enumeratio, perorationis pars, quid ſit. 198.
—— quo modo tractanda. 199. ſeq.
Enumerationis commune praeceptum. 200.
Epanalepſis quid ſit. 260.
—— eius exempla. ibid.
Epicherema quid ſit. 76.
Epilogus argumentorum, extremam orationis partem praecedere debet. 202.
—— eius duo officia. 208.
Epiphonema quid ſit. 103. ſeq.
—— inter orationis ornamenta numeratur. 99.
—— quid eius proprium. 106.
—— eius uſus. ibid.
Epirus, *pars Graeciae*. 284.
Epitheta ad deſcriptiones plurimum valent. 140.
—— quaenam verſui ac proſae conveniant. 249.
—— translationibus illuſtrantur. ibid.
—— in epithetis quis tenendus modus & ratio. 249.
Epitheton quid ſit. 248.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
—— ſolet etiam adiunctis tropis fieri. 249.
Epizeuſis quid ſit. 265.
—— eius exempla. ibid.
Ereemitica vita commendatur. 282.
Eructare, *Pſalm.* 44. quid ſit. 27.
Eſther. 188.
Etymologia in periphraſi. 262.
Evangelicae lectionis pauca loca concionatori explicandi. 201. ſeq. *Vid.* Lectio.
Evangelicae ſententiae aliis ſcripturarum & PP. teſtimoniis confirmandae. 222.
Euchariſtiae figurae. 338. ſeq.
Everſionis urbis deſcriptio. 352.
Euſemiae, nobilis virginis, alacritas ad martyrium. 216.
Eugenius pontifex maximus. 294. 420.
Evidentia. *Vid.* Energia.
Euphantaſioton quid ſit. 168.
Euripus, fretum. 251.
Euſebius Emiſſenus. 260. 355.
Exclamatio quando aptiſsime cadat. 112.
—— vehementiſsima. 177. ſeq.
—— cum apoſtrophe. 178.
—— ad omnes affectus accommodantur. 403.
—— ſplendidior atque ſuavior. ibid.

Ex-

Exclamationis consideratio. 177. seq.
—— eius exempla. 404.
—— pronuntiatio. 394. 404.
—— ei contraria figura. 179.
Exclamationes acutae vitandae. 376. 377.
Exclamatiunculae ubi adhibendae. 110.
Exemplum quid sit. 299.
—— eius virtutes. ibid.
—— per inductionem. 309.
Exemplum & simile argumentandi loca sunt. 299.
—— inter figuras etiam numerantur. ibid.
Exempla qua ratione amplificari debeant. 84.
—— quaenam potissimum animos moveant. ibid.
—— qua ratione augeantur & crescant. ibid. seq.
—— qualiter tractanda sint. 300. seqq.
Exemplorum & similium usus ad faciendam fidem non vulgariter adiuvat. 309.
Exercitatio quid sit. 44.
Exercitus numerosissimi descriptio. 145.
Exordium quid sit. 186. 187.
—— qua ratione instituendum. 187.
—— in genere suasorio. 204.
—— in concionibus, quae de sanctis habentur. 220. seq.
Exordii pronuntiatio. 376. 381. 390. 448.
—— eius vitium. 381. seq.
Exornatio quid sit. 81.
—— cur expolitio dicatur. 82.
—— ubi praecipue locum habeat. ibid.
—— non tam verbis, quam sententiis, facienda. 85. seq.
—— utilis quae. 291.
—— eius exempla. 82. seqq.
Expositio quid sit. 49.
—— eius pronuntiatio. 380. seq.
Ezechielis animalia quid innuerent. 169.

F

FAbius. *Vid.* Quinctilianus.
Facies dicentis recta sit. 373. 394.
Felicitatis ac Symphorosae (SS.) fortitudo. 68.
Femina animal est inconstans, & affectibus vehementer obnoxium. 68.
Feminae, quae coloribus faciem depingunt, obiurgantur. 163.
—— earum lascivus ornatus notatur. 269. 277. seq.
Femur ferire, auditorem excitat. 393.
Fides, iustificationis radix & fundamentum est. 254.
Figura quid sit. 255.
—— eius usus, & exempla. ibid. seq.
Figurae graece schemmata. 254.
—— maximam ornatus & elegantiae partem continent.

nent. 255.
—— in loco additae, quid praeſtent. 279.
—— earum uſus. 310. ſeq.
—— numerus cur certus eſſe non poſsit. 310.
—— aut verborum ſunt, aut ſententiarum. 256. aut eloquutionis. 177.
Figurae verborum ornatum orationi conciliant, & unde hic ornatus originem ducat. 256. ſeqq. 259.
—— quo a figuris ſententiarum differant. 274. 279.
—— earum conſideratio. 261. ſeqq.
—— earum quattuor claſſes. 261.
—— I. earum quae verbi repetitione conſtant. 261. ſeqq.
—— II. verborum ſimilitudine. 266. ſeqq.
—— III. contrariis nominibus. 268. ſeq.
—— hae tres claſſes ex triplici proportionis genere manant. 260.
—— IV. in quibus proportio non ita apparet. 274. ſeqq.
Figurarum ſententiarum duae claſſes. 279. ſeq.
—— I. earum quae ad docendum pertinent. 280. ſeqq.
—— II. earum quae ad flectendum. 289. ſeqq.
Figurarum eloquutionis conſideratio. 177. ſeqq.
Filiorum corrupta inſtitutio, rerum publicarum exitium eſt. 162.
Finitio in periphraſi. 255.
Flaviani (Radulphi) opus in Leviticum commendatur. 195.
Fortis viri quid proprium. 286.
Fortitudo quid ſit. 280.
Fortunae adverſae aut ſecundae conditio. 17. ſeq.
Franciſcus, (S.) illiteratus, tot virtutum plantaria ſanctitatis exemplo conſevit. 25.
—— cuiuſdam illius ſocii animus quam addictus orationi. 40.
Frequentatio quid ſit. 288.
—— eius uſus & exempla. ibid.
Frigoris dolor quam intolerabilis. 126.
—— corporis illi expoſiti deſcriptio. ibid.
Frontis vitia. 373. 395.
Furentium indicia. 57.

G

GAllus (Quintus) 367.
Gedeonis ſacrificium, Chriſti ſacrificium adumbravit. 338.
Gehennae poenarum magnitudo nulla arte ſatis amplificari poteſt. 174.
Gelboe, *mons.* 405.
Genealogia attributorum cuiuslibet rei. 52. 54.
Geſtus ad vocem accommodandus. 372. 385. 388. 394.

— pleraque, citra verba, ſignificat. 385. ſeq.
— eius exemplum. 393. ſeq.
— eius vitia. 392. ſeqq.
Geſtus ac motus corporis conſideratio. 385. ſeqq.
Gnomae quid ſint. 101.
Goliae proceritas & fortitudo. 137.
Gordius martyr. 434.
Gorgia pediſſequa. 156.
Gorgias Leontinus antiquiſsimus fere rhetor. 42.
Gorgonia. 211.
— femina ſanctiſsima, naturam virilem ſuperavit. 178.
Gracchis (Tib. & C.) eloquentia miſeram caedem attulit. 309.
Gracchus (C.) pronuntiatione claruit. 368.
Gradatio quid ſit. 265.
— eius exempla. ibid. ſeq.
Graeci quid peius Latinis faciant. 104.
Graeci doctores eloquentiae laude floruerunt. 138.
Graecia. 272.
Grammatici officium. 236.
Granatenſis (Ludovici) liber de orationis & meditationis ſtudio. 209.
— eiuſdem *Guia de Pecadores*. ibid. huius libri argumentum. ibid. ſeq.
de Gratiae natura tractatio qualiter inſtituenda. 228.
Gregorius M. (S.) 103. 260.
— exornationibus ubique ſcatet. 83.
Gregorius Nazianzenus (S.) 121. 437.
— in ſoluta oratione, Thucydidis; in carmine, Horatii imitator dicitur. 9.
— Alexandriam, philoſophiae perdiſcendae gratia, petiit. ibid.
— vitae contemplativae felicitatem expertus fuit. 140.
Gregorius XI. 25.

H

HAbitus quid ſit. 67.
Hebraica lingua quaedam metra propria habet. 312.
Hector. 264. 284.
Helenae pulchritudo. 136.
Heliodorus. 67. 78. 282. 306.
Helleſpontus. 289.
Herodes dilemmate convenitur. 77. ſeq.
— eius ſceleſtum decretum. 142.
Hieronymus (S.) 10. 12. 13.
— in quocumque ſcriptionis genere eloquentem ſe prodit. 9. ſeq.
— in ſomnio plagis vapulavit, & quare. 12. ſeq.
Hippias. 132. 135.
Hiſpania. 181.
Hiſtrionum levis ars & ſcena. 451.
Homerus. 275.
— Horatio interdū dormitare vide-

detur. 392.
Homiliarii ſaeculi XVI. notantur. 64.
Homiologia vitium eſt varietati oppoſitum. 356. 361.
Homo animal eſt maxime verſatile. 5.
—— nulla re magis a ceteris animantibus, quam dicendi facultate, differt. 7.
—— nudus, contra atque cetera animantia, naſcitur. 124.
—— eo nihil eſt in terris calamitoſius. 125.
Homines laudis & gloriae maxime avidi ſunt. 206.
—— qualiter diligendi. 271.
—— eorum duo genera. 210.
—— eorum ſalus praecipuus concionatoris ſcopus eſſe debet. 332.
Honeſtum dumtaxat eſſe bonum, probat Cicero. 78.
Honoris & gloriae appetitus quam difficulter ſuperetur. 20.
—— quot malorum cauſa. 21.
—— intentionis puritatem inficit. 16.
Horatius Flaccus (Q.) 9.
Hortenſius (Q.) plurimum pronuntiatione claruit. 368.
—— a Cicerone ſecundus. ibid.
Humerorum in actione vitia. 393.
Humilis perfectus quis. 93.
Humilitatis fictae deſcriptio. 155. ſeq.
Hyperbole, latine ſuperlatio. 179.
—— rem ſupra fidem attollit. ibid. 329.
—— rebus dare ſolet excedentia fidem nomina. 130.
—— eius exempla. 179.
Hyperbolus. 303.
Hypotheſis, latine cauſa, ſive controverſia. 50.
—— de rebus ſingulis ſpeciatim quaerit. ibid. 65.
—— ad theſim revocanda eſt. 52. 70.
—— eius exempla. 117. ſeq.
—— ad eam tractandam unde ſumenda argumenta. 51. 70.
Hypothypoſis quid ſignificet. 140.

I

IAcob. 67. 130. 178. 214. 302. 423.
—— quantum fuerit affectus, quum ei Ioſephi mors nuntiata fuit. 129.
Ieremias etiam in matris utero Spiritu ſancto impletus fuit. 24.
—— admirabilis concionator. 64.
—— captivum populum conſolatur. 166.
—— eius oratio. 167.
—— lamentationum argumentum. ibid.
Ieroſolymae. 297.
—— earum ruina. 118.
Ieroſolymorum civitas filios ſuos captivos alloquitur. 166.

Ieruſalem. 122. 298. 333.
Ieſſe. 243.
Ieſus. 32. 35. 67. 239. 249. 334. 336. 337. 339. 371.
Imago ſimilis quid. 149.
Imitatio quid ſit. 44.
—— in pronuntiando cum iudicio adhibenda. 391.
—— vitioſa. 394.
—— bonorum ſcriptorum, ſimiles eis nos facit. 432.
Impatientia, Zabuli malum. 60.
Imperatoris quattuor circumſtantiae. 196.
Impiorum in iudicii die timor, & ſermo. 158.
Imprecatio optationi contraria. 183.
—— in Scriptura, praeſertim in Prophetis ac Pſalmis, frequentiſsima. ibid.
—— eius exempla. 183. 399.
—— uſus. 183.
—— pronuntiatio. 399.
Improbi quibus verbis ſimplices ad pravitatem inducant. 158.
—— quibus rationibus ſe in ſceleribus conſolentur. 160.
Impudicitiae diſſuadendae ratio. 71.
Inanis gloriae flatus occultiſsimus & periculoſiſsimus. 447.
Incrementum in amplificatione. 131. ſeq.
Indignationis pronuntiatio, & exempla. 400. ſeq.
Inductio quid ſit. 72.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Infantium imbecillitas & pericula. 124.
Ingenium ad dicendum aptum rariſsimis contingit. 4.
Ingenii humani vena valde anguſta eſt. 64.
Ingratus quis. 102.
Ingrati divinis beneficiis corripiuntur. 350.
Inimicus latens plus metuendus. 103.
Iniquus quis. 102.
Iniuriae quid ſint. 280.
Innocentium parvulorum felicitas exornatur. 82.
—— eorum caedis pulchra deſcriptio. 142. ſeq.
Intentionis puritas in concionando quam difficulter ſervetur. 22.
Interpretatio quid ſit. 276.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Interrogatio magis, quam ceterae figurae, in uſu eſt. 289.
—— eius exempla. 290. ſeq. 405. ſeq.
—— orationem vivam & mobilem efficit. 290. ſeq.
—— eo eſt ornatior, quo longior. 291.
—— ad varietatem orationis conducit. 356.
—— eius duplex genus; ſimplex, & figuratum. 289. ſeq.
—— pronuntiatio. 405. ſeq.
Interrogationum repetitio & ad movendum, & ad orationis varietatem plurimum va-

valet. 179.
—— eius exempla. 180.
Inventa praeclara, absque eloquutionis & actionis gratia, minus utilia sunt. 435.
Inventio quid sit. 44.
—— eius virtutes. 435. seqq.
—— eius parandae ratio. 442.
—— prima illius forma, dispositio. 443.
——— secunda, eloquutio. ibid.
Inventio & dispositio, prudentis propria est. 233.
Invidi descriptio. 59.
—— eius pectus perpetuo dilaniatur. 58.
Invidia, animi tinea est. ibid.
—— bonos plerumque infectatur. 256.
—— difficulter vitatur. 265.
—— eius virus. 123.
Imitationis pronuntiatio. 399.
—— eius exempla. ibid.
Ioab. 253. 403.
—— servorum Davidis beneficium amplificat. 119.
Ioannes. 66. 67.
—— Baptista. 302. 404.
—— in utero exsultavit. 269.
—— praecepta vivendi, pro cuiusque conditione, tradebat. 98.
—— eius laus. 16.
Iob. 152.
—— oculos suos magna cura custodiebat. 150.
Ionas. 133. 165. 188.
Iordanis, *fluvius*. 4. 183. 405.
Iosaphat. 33.
Ioseph. 66. 67. 73. 129. 188. 207. 254. 302.
Iosue. 73.
Ira affectus est maxime teter ac rabidus. 56.
—— brevis insania est. 57.
—— non numquam indoctis eloquentiam facit. 39. 168.
—— eius effectus & damna. 57.
Irati hominis descriptio. ibid.
Ironia, tropus, quid sit. 251.
—— qua ratione intelligatur. ibid.
—— eius exemplum. 297.
Ironia, figura. ibid.
—— eius exempla. ibid. seq. 401.
—— pronuntiatio. 401.
Iro pauperior. 357.
Isaac. 67. 211.
Isaias in verborum delectu cultus. 64.
—— eius labia caelesti igne purgata sunt. 24.
Isocolon. 266.
Israel. 172. 178. 206. 350. 400. 403. 423.
Israelitae in AEgypto Mosis verba audire noluerunt. 18.
Israelitici populi scelera, & ingratus animus. 158. seq.
Iuda. 68.
Iudaea. 122.
Iudaeorum caecitas. 133.
—— captivitas, eos a Deo derelictos esse, ostendit. 80.
—— eorum facinus, in Christi caede, amplificatur. 88. seq.

Iudas Machabaeus. 206.
Iudiciale cauſarum genus. 185.
—— praecipue apud rhetores in officio fuit. 42.
Iudith. 152. 188.
Iulia. 50.
Iuno. 135.
Iuppiter. 85. 388.
Iuriſconſulti multum de verborum proprietate curant. 114.
Iusiurandum non numquam ad veritatem confirmandam adhibendum. 110.
—— eius pronuntiatio. 403.
Iuſtitia vera compaſsionem habet, falſa indignationem. 102.
—— eius partes duae. 98.

L

LAbrorum in pronuntiando vitia. 387.
Lacrimae, mentis indices ſunt. 387.
Lactantius Firmianus. 121.
—— Tullianae eloquentiae flumen. 10.
Laudis appetitus latrunculo comparatur. 22. multum apud homines valet. 206.
Laurentii (S.) in tormentus laetitia. 215. ſeq.
Lauſus. 132.
Lazarus. 217.
Lectio auditioni praefertur. 428. ſeq.
—— eius inſtituendae ratio. 425. ſeq. 428. ſeq. 442.
—— eius recte inſtitutae utilitas. 426. ſeqq. 433.
Lectio evangelii breviter & venuſte recitanda eſt. 219. tum explananda, & qualiter. 220. circa hanc rem admonitiones. 221. ſeq.
—— eius explicandae methodus accommodata. 123.
Lemnus. 289.
Lentulus (Cn.) pronuntiatione plus opinionis conſequutus fuit, quam eloquentia. 368.
Leo Papa. 163.
Lex cur data, ſi ex ipſa non eſt hereditas. 334.
Lia. 36.
Libellus de venandi arte. 365.
Libri patrio ſermone conſcripti legendi, & qualiter. 415.
—— verborum copiam conferunt. 425. 431.
Ligarius. 291.
Lingua efficacior, quam littera. 366.
—— mentem praecurrere non debet. 448.
—— ſua quaeque habet idiomata, phraſes, &c. 236.
—— peregrinae linguae phraſes & idiomata fugere debemus. 237.
Litterae eiuſdem nimia aſsiduitas vitanda. 313.
Livii (T.) patavinitas. 237.
Loci unde argumenta ſumuntur. 25. ſeq. quid ſint. 53.
—— eorum ſcriptores. ibid.
—— eorum tria genera; interna,

na, externa, & media. 81.
—— eorum diviſio in artificialia, & artis expertia, exponitur. 53. ſeq.
Locus, qui ab effectibus & adiunctis ducitur, fecundiſsimus eſt. 56. 57. ſeq.
—— a genere rei. 59. ſeq. vim habet. 60.
—— a contrariis. ibid.
—— ex circumſtantiis rerum & perſonarum. 65. ſeqq.
Loquacitas copioſa notatur. 238.
Lucifer. 183. 401.
Lucilius, *Senecae amicus*. 26.
Lucilius, *poeta*, in verborum traiectione aſsiduus eſt. 313.
Luxus ruinae amplificantur. 120.
Lybanius ſophiſta, oratoriae profeſſor, & idolorum cultor. 9.
Lyſiae oratio pro Socrate, philoſopho non convenievat. 320. ſeq.

M

MAchabaeorum matris fortitudo. 68. 119. eleganti deſcriptione amplificatur. 149. ſeq.
Macrologia quid ſit. 360.
—— eius exemplum. ibid.
Magdalena. 294.
Magos per aliam viam in domum ſuam reverſos fuiſſe, utilitati noſtrae conveniens fuit. 94.
Malachias epiſcopus. 300.
Manſuetus perfecte quis. 93.
Manus per ſe ipſae prope loquuntur. 387.
—— earum pronuntiatio. ibid. 392.
——— huius vitia. 392. ſeq.
Manuum ac digitorum quae figura probetur. 388.
Marcus Antonius. 233.
Maria *virgo*. 165. 256. 294.
—— virginibus in exemplum proponitur. 341.
—— eius laus. ibid. 356.
Mariae, *ſororis Moſi*, pius erga Deum affectus. 87.
Marius (C.) 104.
Mars. 417.
Martini (S.) laus. 258.
—— eius invictus animus. 104.
Martyrum conſtantia. 215.
——— divinam bonitatem & caritatem declarat. 217.
——— infideles ad fidem & martyrium excitat. ibid.
—— eorum virtutes qualiter amplificandae. 214.
Mathathias, morti proximus, filios ſuos ad religionis defenſionem hortatus eſt. 73.
Matthaeus evangeliſta (S.) 263.
—— eius obedientia & caritas. 105.
—— vocatio quam mirabilis. 104.
Medea. 101.
Mediolanum. 21.
Medium *verbum* quid ſit. 54.
Mediorum ratio ex fine ſumenda-

da eſt. 43.
Megara. 189. 212.
Melaniae, (S.) defuncto viro & liberis, mirabilis in Chriſtum affectus. 110.
Melchiſedech divinum *euchariſtiae* ſacramentum praefiguravit. 338. ſeq.
Memoria quid ſit. 44.
Menandri opinio a Plutarcho corrigitur. 5.
Mens inter Dei dona praeſtantiſsimum eſt. 58.
—— eius vis. 450.
Mercatoris, quaerentis margaritas, parabola exornatur. 83.
Meſſana. 394.
Metaphora quid ſit. 244.
—— neceſsitate genita, delectatione poſtea celebrata fuit. ibid.
—— eius quadruplex vis, & exempla. 245.
—— eius nimius uſus notatur. 245. ſeq.
Metaphorae humiles. 245.
—— in metaphoris quae vitia cavenda. ibid. ſeq. 425.
Metonymia quid ſit. 247.
—— eius varii modi & exempla. ibid. ſeq.
—— hypallage dicitur. 248.
Metus in concionando incommoda. 374. 389. 430.
Milo (*T. Annius*) 104. 244. 250. 379.
Minerva. 103. 255. 395.
Minuendi ratio eadem fere eſt, quae amplificandi. 138.
Miracula ſanctorum an praedicanda. 216.
—— Dei bonitatem, caritatem, &c. oſtendunt. ibid. ſeq.
—— deſiderium ſerviendi Domino in piis accendunt. 217.
—— ad divinae gratiae & potentiae admirationem conferunt. 218.
—— improborum caecitatem accuſant. ibid.
Miſael. 73.
Miſeri quinam. 259.
Modica unde ita dicta. 332.
Modus quid ſit. 69.
—— eius partes. ibid. ſeq.
Monachus in patria ſua perfectus eſſe non poteſt. 78. ſeq.
Monotonia quid ſit. 378. ſeq. 389.
Moralis doctrinae finis. 91.
Mors omnia aequat. 247.
—— quibus timenda. 295.
Mortis animi corporiſque diſcrimen. 145.
Moſes. 18. 87. 130. 131. 182. 194. 195. 206. 207. 214. 302. 350. 405.
Mulier quanta mala pepererit. 249.
—— cuius animus corruptus, & corpus quoque, eſt. 285.
Mulieres, os coloribus depingentes, acriter obiurgantur. 342. ſeq.
—— earum convictus viris periculoſus. 109.
Mundus occaſum ſui teſtatur.

tur. 267. 316.
—— eius converſio, per apoſtolos facta, amplificatur. 128.
Mundum conſilio adminiſtrari, probatur. 74. ſeq.
Murena (L.) 306.

N

NAaman Syrus a ſervis excitatur, ut prophetae obediat. 206.
Nabal *Carmelus*. 403.
Nabuchodonoſor. 190.
Narratio quid ſit. 186.
—— eius quattuor virtutes, & qua hae ratione obtinendae. 188. ſeq.
—— eius pronuntiatio. 382.
—— difficilior eſt, quam argumentationis & amplificationis actio. ibid.
Narrationum quattuor genera, quae in conciones incurrunt. 188.
—— I. genus, quod res geſtas, & SS. exempla commemorat. 188. ſeq.
—— II. quod amplificandi cauſa ſumitur. 189. ſeq. maiorem eloquentiae vim, quam primum, deſiderat. 190.
—— III. quod allegoriae, myſticiſque Scripturae ſenſibus deſervit. ibid. ſeqq.
—— IV. quod in evangelica lectione explananda verſatur. 195. 219. ſeqq. *Vid.* Concionandi III. modus.
Naſcendi lex. 433.
Nathan Davidis adulterium accuſavit. 139.
Natura nihil magnum effici cito voluit. 433.
Nepotianus. 67. 178. 439.
Nero, *imperator*. 303.
Noe. 130. 214. 302.
—— dominicae paſsionis figura exſtitit. 338.
Nominibus multis ſynonimis eamdem rem exprimere, verae eloquentiae contrarium eſt. 430.
Notatio ad deſcriptiones perſonarum accommodata eſt. 152.
—— unde ducatur. ibid.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Notatio in periphraſi. 252.
Novatiani vituperatio. 281.
Novatus. 56.
Numantia. 213. 248.
—— viribus probata. 160.

O

OBdurati cordis periculum maximum. 349.
Obediens perfecte qui. 93.
Obedientiae quid proprium. 422.
Obſcuritas in oratione notatur. 234. 238.
—— in rebus vitanda. 239.
Obſecratio poſt rem probatam, aut amplificatam, appoſitiſſime cadit. 180.

— magnam vim habet, ſi a caritate proficiſcatur. 181.
— ex eius uſu Hiſpanus quidam concionator laudatur. ibid.
Obſecrationis pronuntiato. 399.
— exempla. ibid.
Occaſio quid ſit. 69.
— quo differat a tempore. ibid.
Occupatio quid ſit. 291.
— eius exempla. ibid.
Odia vetuſta qualiter exſtirpanda. 204.
Oniconomiton quid ſit. 362.
— quinam hoc vitio peccent. ibid.
Optatio affectum animi deſiderantis explicat. 182.
— eius exempla. ibid. 398.
— pronuntiatio. 398.
Oratio omnis in triplici genere verſatur, expoſitione, amplificatione, argumentatione. 49. 184. 380.
— perfectum quoddam corpus eſt. 227.
— non una omnibus convenit. 320.
— pro auditorum varietate varianda eſt. 322. ſeq.
— erudita quae. 81. 161. ſeq.
— admirabilis & iucunda. 236.
— hebes, ſordida, ſterilis, ſubtriſtis, ingrata, vilis. 362. ſeq.
Orationis genus, definitio, cauſa, effectus, partes, adiuncta, ſimilia, diſsimilia. 55. ſeq.
— genus ſpecioſiſsimum. 251.
— virtutes. *Vid.* Eloquutio.
— praecipua virtus, ut viva & mobilis ſit. 290.
— perfectae ſex partes, exordium, narratio, propoſitio & partitio, confirmatio, confutatio, & concluſio ſeu peroratio. 186. *Vid.* ſuis quaeque locis.
— aptae vis atque potentia. 5. 6. 7.
— numeroſae & apte conſtructae vis. 313.
Orationes ornatiſsimae quae. 71.
Oratio, *virtus*, bonorum omnium fons & initium eſt. 56.
— qualiter commendanda & tractanda. 227. ſeq.
Orationis ſtudium commendatur. 263.
— caritatem mire adiuvat. 36.
— concionatori prae omnibus neceſſarium eſt. ibid. ſeqq.
Orationi ſtudentium praecipua cura. 39. ſeq.
Orator vir bonus ſit. 7.
— eſt vir bonus, dicendi peritus. 27.
— quid ſupra dialecticum addat. 86.

—— plurimum a ſaltatore abeſſe debet. 393.
—— affectibus movendis praecipue incumbat. 91.
—— fit, poeta naſcitur. 64.
—— miſer & pauper. 235.
Oratoris officium & finis. 43.
—— partes quinque. ibid. ſeq.
——— qua ratione parentur. 44.
—— tria munera; docere, delectare, & flectere. 38.
Oratorum affectus. 170.
—— inſignium raritas, eiuſque rei cauſa. 451.
Oratoribus apud Romanos ſumma ſemper dignitas fuit. 6.
Ordo quid ſit. 230.
—— eius utilitas, ac neceſsitas. ibid.
—— duplex; unus diſpoſitionis. ibid.
——— alter doctrinae. 231.
—— rectus dicendi. 49.
Origenes. 194.
—— in myſticis Scripturae ſenſibus explicandis diligentiſſimus. 190.
—— a Hieronymo notatur. 191.
Origenis libri in Pentatheucum commendantur. 195.
—— regula circa ſenſus myſticos. 192. ſeq.
Ornate dicere, proprium eſt eloquentiſsimi. 233.
Ornatus haud parum cauſae confert. 240.
—— qualis eſſe debeat. ibid. ſeq.
—— rerum naturam ſequi debet, non affectari. 260.
—— pro ratione materiae debet eſſe variatus. 325.
—— duplex eſt. 241.
—— I. in ſingulis verbis quid exigat. 241. ſeq. *Vid.* Tropi.
—— II. quid in coniunctis. 254. ſeqq.
—— triplex; in verbis, in ſententiis, in compoſitione. 358.
—— eius tres partes; tropi, figurae, compoſitio. *Vid.* Suis quaeque locis.
—— translatis verbis praecipue conſtat. 241. 242.
—— in verbis coniunctis, quibus conſtet. 254.
Ornatui oppoſita vitia. 359. ſeqq.
Os oratoris quale. 372. 374.
Oſorius (Hieronymus) periphraſi frequentiſsime utitur. 252.

P

PAlaeſtina. 9.
Pallas. 250.
Panſa. 359.
Paradiaſtole quid ſit. 270.
—— eius exempla. 271.
Parentes, qui filiorum curam non habent, patriae vocibus obiurgantur. 161. ſeq.
Paris. 137.

Par-

Participiorum uſus. 317.
Partitio quid ſit & quotuplex. 195. ſeq.
Partitionis tres virtutes. 196.
—— eius vitia. ibid.
——— ea vitandi, partitioniſque recte inſtituendae ratio. 197.
Partium enumeratio rem valde amplificat. 120.
Patiens perfecte qui. 93.
Patientia bonum Chriſti eſt. 60.
—— aedificat ad gloriam. 61.
—— eius laus. 208. 317.
—— neceſsitas & utilitas. 204. ſeq.
Patriae ſalus civium moribus & honeſtate continetur. 162.
Patris-familias parabola qualiter exponenda. 220.
Paulla de Bleſillae filiae morte conſolatur. 164. ſeq.
Paullus (S.) 263. 302. 316. 404. 407. 410.
—— doctor gentium. 94.
—— omnibus ſe ſe accommodabat. 98.
—— corpus ſuum caſtigabat, ne reprobus fieret. 150. ſeq.
—— in tertium caelum ſublatus fuit, ut inter angelos diſceret, quod inter homines doceret. 24.
—— ſe ipſum in imitationis exemplum fidelibus proponebat. 26.
Paulli inſignis caritas. 29. ſeq. 88. 169. 336. ſeq.
—— infractus animus. 271.
—— eloquentia commendatur. 315.
—— rara laetitia & congratulationis genus. 215.
—— epiſtolae ad Romanos & Hebraeos. 203.
in Pauperibus Chriſtus veſtitur. 164.
Peccatorem convertere maius eſt miraculum, quam mortuum ſuſcitare. 18.
Peccati metum quaenam acuant. 173.
Peccata facile admittentes arguuntur. 90.
—— quo orationis genere perſtringendi. 349.
—— letalia non deſerentes, interrogationum repetitione obiurgantur. 180.
Peccatorum varia genera per morbos corporis deſignantur. 96. ſeq.
Perditorum hominum ſermocinatio. 157.
Peribole quid ſit. 317.
—— quo a periodo differat. ibid. ſeq.
—— ne ſit iuſto prolixior. 318.
—— eius exemplum. ibid.
—— uſus. 319.
Pericles. 8.
Periergia quid ſit. 361.
Periodus, latine ambitus, comprehenſio, &c. 314.
—— iſocolon quae. 315.
Periodi uſus. 319.
—— eius duplex forma; una qua caeſim vel membratim, al-

altera qua circumſcripte dicimus. 315. ſeq.
——— prioris exemplum. 316.
——— poſterioris. ibid. ſeq.
Periodi bimembris, trimembris & quadrimembris exempla. 315. ſeq.
Periphraſis quid ſit. 251.
—— tribus modis conſtat; etymologia, notatione, & finitione. 252.
Periphraſis & antonomaſiae diſtinctio. 248.
Perorandi modus commodiſsimus. 202.
——— eius exemplum. 203.
—— alius modus. ibid.
Peroratio quid ſit. 186. 198.
Perorationis conſideratio. 198. ſeqq.
—— eius affectus. 201. ſeq.
—— partes. 198. 208.
—— *Vid.* Concluſio.
Perſonarum undecim circumſtantiae. 66.
Perſpicuitas, prima in dicendo virtus. 238.
—— puritati antefertur. 239.
—— propriis verbis praecipue conſtat. 241. ſeq.
—— in verbis qualiter comparabitur. 237.
Petrus *Apoſtolus* (S.) 38. 66. 67. 263. 302. 412.
—— eius interrogatio. 220.
Phantaſiae latine viſiones appellantur. 168.
Pharao cur draco vocetur. 243.
Phariſaeorum levitas amplificatur. 297.
—— eorum malitia quanta. 105.
Pharmacopolarum ars. 61.
Philauſiae in iudicando incommoda. 435.
Phinaees. 75.
Phormio philoſophus merito ab Annibale reprehenſus. 417.
Picilogia quid ſit. 361.
Pictoris exemplo naturam imitari edocemur. 371.
Pictorum ſollertia. 135.
Picus Mirandulanus. 313.
Plato. 247. 300.
—— certiſsimus auctor. 249.
Pleonaſmos quid ſit. 359.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Plutarchus omnium philoſophorum graviſsimus. 5.
—— cur ita dicatur. 299.
Poeta naſcitur. 64.
Poetis plura, quam oratoribus, licent. 246.
Polemon Sophiſta hiſtrionem ſubmovit a praemiis, ob manuum ſoloeciſmum. 388.
Polybia. 102.
Polyptoton. 264.
Pompeius (Cn.) 50. 73. 264.
—— multa bella feliciſsime confecit. 69.
Pontus. 284.
Populus qua re maxime capiatur. 99.
Praecepta evangelica quid ſint. 281. 445.
Praeceptor aliud docens, atque

que agens, obiurgatur. 27.
Praecifio quid ſit. 291.
—— eius exempla. ibid. ſeq. 401. ſeq.
—— ad energiam pertinet. 354.
—— eius pronuntiatio. 401.
Praelatorum vitia accuſantibus non eſt leviter adhibenda fides. 438. ſeq.
Praeſumtio. *Vid.* Prolepſis.
Precandi ſtudium qualiter ſuadendum. 209.
Priamus. 264. 284.
—— eius in Helenam amor. 136. ſeq.
Principis laudandi ratio. 303.
Probationes qui comparentur. 54. 56.
—— earum pronuntiatio maxime varia eſſe debet. 382. ſeq.
Proditionis patriae facinus gravi dicendi figura amplificatur. 330.
Prolepſis inter figuras eloquutionis numeratur. 107.
—— unde oriatur. 107. 108. 112.
—— concionatoris & oratoris propria eſt. 111.
—— lectione comparanda eſt. ibid.
—— confutationis naturam refert. 112.
—— eius diverſae ſpecies. 108.
Pronuntiandi virtus ſumma eſt. 395.
Pronuntiatio quid ſit. 44. 364.
—— utiliſsima rhetoricae pars & ad ſcribendum difficillima. 364. ſeq.
—— extrema orationis forma eſt. 367.
—— miram vim & poteſtatem habet. ibid. ſeq.
—— ex prudentia plurimum pendet. 391.
—— in concionis partibus, ſententiis ac verbis diverſa eſt. 397.
—— concionatori neceſſaria eſt. 423.
Pronuntiationis quattuor virtutes; nempe ut ſit emendata, dilucida, ornata, & apta. 372. 449.
—— emendatae conſideratio. 372. ſeq.
—— dilucidae. 373. 449. ſeq.
——— ei oppoſita vitia. 374.
—— ornatae. 375. ſeqq. 449.
—— aptae. 377. 449. ſeqq.
——— ei oppoſita vitia. 378. ſeq.
Pronuntiationis neceſsitas & utilitas. 366. ſeqq. 451.
—— difficultas. 448. ſeq. 451.
—— eius duae partes; vox, & geſtus. 369.
—— eius vitia. 389. ſeqq.
—— praecepta omnia eo referenda ſunt, ut naturam ſequamur. 370. ſeq. 408.
Pronuntiationi exercendae exempla. 409. ſeqq.
Pronuntiatione quinam valuerint. 368.

Prophetarum Vet. Teſt. eximia caritas. 30.
—— eorum ſcripta metaphoris & allegoriis plena ſunt. 243. 251.
——— aliis etiam tropis. 253. ſeq.
Proportio quid ſit, adductis exemplis oſtenditur. 257. ſeq.
—— eius triplex genus. 260.
Proportione verborum quinam patres delectati. ibid.
Propoſitio, *collectionis pars*, quid ſit. 80.
—— *orationis perfectae pars*, quid. 186. 195.
——— eius conſideratio. ibid. ſeq.
Propoſitionum probatio qualiter inſtituenda concionatori. 112.
Proprietas verborum. 237.
Protheus. 98.
Prudentiae praecipuum opus. 320.
—— eius iudicium, & gerendarum, & dicendarum rerum moderator eſt. 320.
Pſeudo-apoſtolorum deſcriptio. 249. ſeq.
Ptolemaeus Alfagranus. 181.
Publii Mimi dictum. 68.
Pudica perfecte quae. 93.
Puellae optimae & elegantiſsimae deſcriptio. 144.
Pulchritudo in quo conſiſtat. 257.
—— ad amorem incitat. 171.
Pupianus Cyprianum epiſcopum eſſe negabat. 297.
—— acri ironia perſtringitur. ibid. ſeq.
Pyrrhus, Epirotarum rex. 5.
Pythagoras. 300.

Q

Quadraginta martyrum cruciatus & inſuperabilis conſtantia. 125. ſeq.
Quaeſtio finita. *Vid.* Hypotheſis.
—— infinita, ſeu *theſis*, vel ad cognitionem, vel ad actionem pertinet. 50.
——— quae ad actionem pertinet, triplex. ibid.
——— quae ad cognitionem, duplex. 51.
——— qua ratione ſingulae tractentur. ibid. ſeq.
Quaeſtionum varia genera: practicum, & ſpeculativum. 45. finitum, & infinitum. 50. 65. 117.
Quaeſtiones difficiles in concionibus tractantes notantur. 322.
Quinctilianus. 8. 111. 431.
—— rhetoricae artis princeps. 39. 339.
—— rhetorum diſertiſsimus. 6.
—— perveniſſe ſe ad aliquod nomen ingenii aſſerit. 169.

R

RAchel quanto filiorum amore flagraret. 29.
Ratio quid sit. 80.
—— a quibus locis ducatur. 81.
Rationis confirmatio quid. ibid.
Ratiocinari ac disputare, rationalis creaturae proprium est. 1.
Ratiocinatio idem Tullio est, ac syllogismus. 73.
—— eius partes. ibid. seq.
—— exemplum. 74. seq.
—— pronuntiatio. 408.
Ratiocinatio duplex; altera quae amplificationi deservit, altera quae sententiarum figura est. 285.
—— *figura*, quid. ibid.
—— quo a subiectione differat. ibid.
—— eius exempla. ibid. seq.
—— ad concionandi rationem utilissima est. 286.
Rabirius Posthumus. 108.
Redemtionis beneficium omnium Dei beneficiorum maximum. 173.
—— ab incremento amplificatur. 131. seq.
—— qua ratione amplificandum. 349. seq.
Regulus. 303.
—— eius historiae tractandae ratio. 223.
Religio, virtutum moralium praestantissima est. 55.
Repetitio quid sit. 261.
—— eius exempla. ibid. 406.
—— pronuntiatio. 406.
Res, sive negotium, quid sit. 69.
Rerum septem circumstantiae, seu attributa. ibid. seq.
Resurrectio corporum magna verborum maiestate a Iobo praedicta. 110.
Rhetor non uno semper modo loqui debet. 48.
Rhetoris officium tribus generibus, demonstrativo, deliberativo, & iudiciali continetur. 42.
—— *Vid.* Orator.
Rhetorica quid sit. 7. 41. 320.
—— eloquentiae pars est. ibid.
—— quo modo inventa. 2. seq.
—— ad concionandi officium in primis utilis. 3. seq.
—— non suadendi opifex, sed adiutrix, est, ex Plutarcho. 5.
—— dialecticae finitima est, & sub illa continetur. 45.
—— fine cum dialectica convenit, quaestionibus tamen, auditoribus, & dicendi ratione differt. ibid. seq.
—— manui extensae similis. 46.
—— commendatur. 11.
—— ecclesiastica quaestiones practicas saepius tractat. 45.
Rhetoricae utilitas & necessitas. 3. seqq. ad 14.
—— eius materia. 41. seq. variae

riae hac de re opiniones. 42.
—— praecepta divino Spiritu non obſiſtunt. 434.
Rhetoricae & dialecticae officia, pictorum exemplo explicantur. 46.
—— obiectiones adverſus Rhetoricae ſtudium diluuntur. 13. ſeq.
—— in Rhetorica hoc perpetuum, ut nihil perpetuo fieri debeat. 221.
Roma. 21. 247. 451.
Ruffinus. 12.

S

SAba regina, Salomonis magnificentiam admirata fuit. 215.
Sabellicus ſus. 246.
Saeculi corruptio eleganti diſtributione oſtenditur. 284.
—— eius amatorum conditio. 18.
Salem. 339.
Salluſtius Catilinae, Caeſaris, & Catonis perſonas deſcripſit. 172.
Salomon. 34. 69. 100. 133. 158. 162. 215. 298. 403. 418. 420. 450.
—— *in Prov. lib.* ſententiis frequentiſsime utitur. 100.
Samaria. 183. 350.
Samaritana *mulier*. 220. 412.
Sanctitas & puritas vitae magnam acceſsionem doctrinae addit. 416.
Sancti viri ſine arte eloquentes ſunt. 315.
—— eorum duae utilitates. 83.
Sanctorum laudes qualiter inſtituendae. 210. ſeq. & amplificandae. 211. ſeqq. 214. ſeqq.
Sapiens ſimilis Deo eſt. 213.
—— eius animus inſuperabilis eſt. ibid.
Sapientia ſtudio & obedientia comparatur. 416.
—— cur modo ſponſa, modo ſoror appelletur. 418.
Sapientiae laudes. 162. ſeq.
Sara. 67. 211.
Sardanapalus. 303.
Sareptana vidua in exemplum eleemoſynae proponitur. 84.
Saul. 441.
—— in obedientiae portu naufragium fecit. 422.
Scelera ſex quae odit Dominus. 97.
Schiſmaticus gravius peccat idololatra. 134.
Scipio. 133. 136. 245. 251. 252.
—— Carthaginis & Numantiae everſor. 248.
Scribendi ratio & methodus. 442. ſeqq.
Scripturae ſacrae verbis vis facienda non eſt. 222.
—— eius teſtimonia qualiter tractanda. 224.
—— circa ſcripturae loca adducenda quattuor obſervationes. 222. ſeq.
Scripturae exempla ad pronuntia-

tiationis exercitationem adducuntur. 409.
—— eius myſtici ſenſus. 190.
——— quando adhibendi. 191. ſeqq.
——— eorum tractandorum ratio. 193. ſeq.
Scripturae ſacrae, eloquutionis ornatus deeſt. 312. multum tamen decoris ineſt. ibid.
Seneca (*L. Annaeus.*) 48. 103. 138. 214.
Sententia quid ſit. 100. 102.
Sententiae duplicis generis; ſine ratione, & cum ratione. 100.
—— breves qua ratione tractandae. 85.
—— quaenam probandae. 100.
Sententiae & epiphonemata multum decoris & utilitatis orationi afferunt. 99.
Sententiarum varia genera. 100. ſeq.
—— varia exempla, e ſacris litteris excerpta. 397. ſeqq.
—— earum copiae parandae quinam auctores legendi. 432.
Sententiis Seneca & Gregorius abundant. 103.
Serenus. 213.
Sermo pro auditorum varietate accommodandus. 437.
—— eius proprietas in reddendis Scripturae locis commendatur. 223.
——— duo in hac re vitia. ibid.
Sermocinatio quid ſit. 156.
—— inter ſententiarum figuras numeratur. ibid.
—— in ſacris litteris frequens. 162.
—— eius exempla. ibid. ſeqq. 406.
——— in Sapientiae libro frequentia ſunt. 157.
——— & in Baſilio atque Gregorio Nazianzeno. 160.
—— eius uſus. 159. ſeq.
—— pronuntiatio. 166. 406.
Sermocinationes perſonarum ad deſcriptiones plurimum conferunt. 149.
Sicilia. 136.
Siderum magnitudo. 181.
Siloe. 243.
Simeon *propheta*. 152.
—— eius pius zelus, Chriſti praeſentia muneratus fuit. 122.
Simeon Stylites, litterarum rudis, multas nationes, in columna manens, ad fidem Chriſti revocavit. 25.
—— eius vitam Theodoretus ſcripſit. ibid.
—— eius vitae genus novum & inauditum. 110. ſeq.
Simile per inductionem. 309.
Similia ne ex rebus ſordidis, humilibus, obſcuris, &c. ſumantur. 306.
—— qualiter tractanda. ibid. ſeqq.
—— ea inveniendi ratio. 305. ſeq.

in

in Similibus quae obſervanda. 305.
—— *Vid.* Exemplum.
Similiter cadens, & deſinens, quid ſit. 267.
—— huius figurae exempla. ibid.
Similitudo quid ſit. 304.
—— quattuor modis ſumitur; per contrarium, per negationem, per brevitatem, per collationem. ibid. ſeq.
—— ad quid deſerviat. 253.
—— quum a maiori vel minori ducitur, imparitas maxime conſpicua eſſe debet. 308.
—— rebus obſcuris explicandis apta, multum ad energiam valet. 353.
—— eius exempla. ibid.
Similitudine magnopere capiuntur animi. 244.
Similitudinum vis. 311.
—— varia genera. 149. ſeq.
—— plurimum ad amplificandum valent. ibid.
Simo. 189.
Simulatio, quamlibet cuſtodiatur, ſe prodit. 423.
Sina, *Arabiae mons.* 333.
Sion. 166. 183. 350. 353. 400.
Socrates. 172.
—— eius de Lyſiae oratione iudicium. 320. ſeq.
Socrates Platonicus in exemplis per inductionem plurimus eſt. 309.
Soloeciſmus quid ſit. 236.
Sonus quiſnam orationibus conveniat. 375.
Sonis homines, ut aera tinnitu, dignoſcuntur. 372.
Sores quid ſit. 78.
—— eius exempla. ibid.
Sorores adoptivas domi foventes, acriter a Chryſoſtomo obiurgantur. 109. 181.
Spiritus ſanctus. 122. 170. 218. 219. 261. 333.
—— praecipua eſt orationis cauſa. 55.
Spiritus ſancti virtus. 211.
—— afflatus ad pios affectus neceſſarius eſt. 169.
—— aſsiſtentia concionatori neceſſaria. 423.
—— plus ad bene dicendum facit, quam omnia rhetorum praecepta. 423.
—— gratia neceſſaria eſt ad virtutum dignitatem aeſtimandam. 214. ſeq.
—— unctio de omnibus mentem docet. 263.
—— dona intellectum illuſtrant. 416.
Spiritus vocis qualiter regendus. 374.
Stagirites, monachus arrepticus. 130. 434.
Stilponis philoſophi dictum, *omnia bona mea mecum porto*, amplificatur. 212. ſeq.
Stilus optimus dicendi magiſter. 433.
—— in vertendis quibuſdam SS. PP. ſcriptis commode exer-

exerceri poteſt. 433. ſeq.
Stili exercendi utilitas. 433. ratio. 445.
Stratoclis vox acrior. 391.
Studium quid ſit. 67.
Suaſorii generis conſideratio. 203. ſeqq.
Subiectio quid ſit. 79.
—— inter figuras numeratur. 282.
—— eius exempla. 79. ſeq. 282. ſeq.
—— uſus. 282. ſeq.
—— pronuntiatio. 408.
Sublime dicendi genus vim habet maximam. 329. 345.
—— quae verba & ornatum exigat. 329.
—— quas figuras. 331.
—— quo a genere temperato diſtet. 335.
—— eius exempla. 329. ſeq. 335. ſeqq. 342. ſeq.
—— quid in eo cavendum. 344.
Submiſſum dicendi genus quem orationis habitum & ornatum requirat. 328.
—— quando adhibendum. 333.
—— diutius, quam grande, tolerari poteſt. 344.
—— quaeſtionibus ſolvendis aptum. ibid.
—— eius exempla. 333. ſeq. 338. ſeq.
Superbi monachi morum & ingenii deſcriptio. 154.
Superbia quid ſit. 249.
Superlatio. *Vid.* Hyperbole.
Suſpicio tacita atrocior eſt, quam diſerta explanatio. 292.
Suſtentatio quid ſit. 296.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
—— uſus. 297.
Syllogiſmus perfectiſsima argumentandi forma eſt. 73.
—— quibus partibus apud dialecticos & rhetores conſtet. ibid. ſeq.
—— eius exempla. 74. ſeq.
Synathriſmus quid ſit. 278.
—— frequentationi ſimilis. ibid.
—— plurium rerum congeriem continet. 137.
—— eius exempla, & uſus. ibid. ſeq.
Synecdoche quid ſit. 246.
—— quot modis fiat, & eorum exempla. ibid. ſeq.
Synecdoches & metaphorae differentia. 247.
Synonimia quid ſit. 241. ſeq. 276.
—— *Vid.* Interpretatio.

T

TApinoſis quid ſit. 359.
—— eius exempla. ibid.
Tarditas nimia vitium eſt. 374.
Tarſus. 289.
Tautologia quid ſit. 86. 266. 355. 359.
—— eius exemplum. 266.

Te-

Temeritas quid ſit. 280.
Temperatum dicendi genus quodnam orationis genus requirat. 228. ſeq.
—— nervorum parum, ſuavitatis plurimum habet. 329.
—— quando adhibendum. 333.
—— ad delectandos animos ſuſcipitur. 345.
—— in quem finem aſſumendum. 346.
—— eius exempla. 334. ſeq. 340. ſeq.
—— uſus. 346.
Tempus quid ſit. 69.
—— pulcherrimum immortalis Dei munus. 307.
Temporis habenda eſt ratio. ibid. ſeq.
—— eius iactura irreparabilis eſt. 307.
Tentationes cur a Deo permittantur. 93.
Theodectes. 170.
Theodoretus. 25.
Theologia myſtica divinarum rerum dignitatem, magis amando ac deguſtando, quam intelligendo, cognoſcit. 191.
ad Theologiae pleniorem intelligentiam, ceterarum artium ſtudia neceſſaria ſunt. 3.
Therſite deformior. 357.
Theſis, latine propoſitum. 50.
—— quid ſit, & quo ab hypotheſi differat. ibid. 65. 118.
—— non numquam ad hypotheſim deflectitur. 71.
—— ad eam tractandam unde argumenta ſumantur. 51.
Thomas Aquinas (S.) 186. 228.
Thucydides. 9.
Tiberius Gracchus. 133. 134.
Timoris Dei utilitates. 173. ſeq.
Timotheus. 419.
Titi ſenioris civilitas. 303.
Tmolus, *mons*. 284.
Tobias. 152. 188.
Topica, argumentorum ſedes ſunt. 252.
—— enumerantur. 253.
Topicorum ars quibus ſimilis. 61.
—— eius ſumma. 54.
Totum, partium enumeratione, amplificatur. 120.
—— tribus modis accipitur. ibid. ſeq.
Traductio quid ſit. 263.
—— eius exempla. ibid. ſeq.
Traiani ſanctimonia, & clementia. 303.
Tranſitio ad docendum praecipue pertinet. 279.
Translatio plurimum ſaepe lucis affert. 114.
—— eo translationis genere definendum eſt, quo incipitur. 251.
—— *Vid.* Metaphora.
Translatis verbis cur magis delectemur, quam propriis. 244.
Trinitatis unitas ſubmiſſo dicendi genere pertractanda eſt. 333.
Tropologia ad mores formandos

dos pertinet. 190.
—— eius ab allegoria distinctio. ibid.
Tropus quid sit. 244.
Tropi plurimum ornatus orationi conciliant. 252.
—— a topicis originem ducunt. ibid. seq.
—— ad omnem usum, cui topica, deserviunt. 253.
—— & ad intelligenda prophetarum scripta. ibid.
—— in prophetis frequentissimi. 242. seq.
—— eorum exempla. 243.
Tubero. 137. 245.
Turnus. 132. 251.
Tyrus. 118. eius casus & ruina. 138.
Tysias rhetoricae inventor. 3.

V

VAriandae orationis modi & exempla. 350. seqq.
Varietas orationis non vulgaris est virtus. 350.
—— qua ratione paretur. ibid. seq.
Varro. 76.
Vcalegon. 248.
Venatorum disciplina. 446.
Verbum vitiosum quodnam. 359.
Verbi eiusdem assiduitas vitanda. 313.
Verba inusitata fugienda. 431.
—— obscena, sordida & humilia vitanda. 237.
—— ea rebus accommodare, difficillimum. 425.
Verborum varia genera, & eorum exempla. 242.
—— eorum quisnam delectus habendus. 239. 242.
—— inanium turba notatur. 238. 278.
—— nimia & affectata cura notatur. 325. 333. seqq. 430.
—— traiectio vitanda. 313.
—— copia & electio cum iudicio paranda. 427. seq.
—— legendo & audiendo paratur. 428.
—— in quid paretur. 430. seq.
—— eius utilitas. 429. seq.
—— rectus usus multa lectione & auditione comparandus est. 428.
—— singularium pronuntiatio. 384. seq.
Veritas, sermonis simplicitate gaudet. 314.
Verres. 264. 296.
—— eius vitia. 130. seq. 136.
Victoris (S.) exemplum nobis utile. 83. seq.
Vidas, (Hieronymus) poeta clarissimus, sordidas gentilium poetarum Musas expurgavit. 4.
Vincentii martyris (S.) alacritas. 216.
—— constantia. 107.
Vincentius Ferrerius (S.) qua ratione infinitam hominum multitudinem ad poenitentiam

tiam traxerit. 174.
Vir perfectus nihil perdere potest. 213.
—— nisi fortis sit animo, nec viri nomine censetur. 301.
Virgilius. 248.
Virgines qualiter se gerere debeant. 340.
—— Mariam V. imitari debent. 341.
—— immodico ornatu utentes, acriter corripiuntur. 90.
—— quae conviviis nuptialibus interfunt, obiurgantur. 141.
—— & quae balneas adeunt. ibid. seq.
Virginum sapientum exemplum concionatoribus documento est. 419.
Virginitatis laus. 340.
Virtus sola sub hominis potestate est. 100.
—— divitiis praeferenda. 264.
—— sine doctrina comparari nequit. 304.
—— perfecta quae. 93.
Virtutis suadendae ratio. 204.
ad Virtutem adhortatio qualiter instituenda. 208.
Virtute orbatus eo vehementius irridetur, quo in sublimiore loco positus est. 305.
Virtutes qua ratione commendentur. 60.
—— prae ceteris laudandae quae. 206.
Virtutum quaenam praestantissimae. 98.
—— officia quo modo amplificanda. 118.
—— tractationum de virtutibus ratio. 229.
Vita aeterna commendatur. 294.
Vitae principium a fletu ducimus. 124.
Vitae humanae miseria elegantissime describitur. 124. seq.
—— contemplativae felicitas describitur. 140. seq.
Vitium omne error in intellectu antecedit. 438.
Vlysses. 284.
Vocalium concursiones vitandae. 313.
Voluntas nihil velle potest, nisi bonum. 205.
Voluptatis pernicioси effectus. 58.
Voluptate nulla capitalior pestis, magisve detestanda. ibid.
Vox qualis esse debeat. 372. 375.
—— eadem sit quum concionamur, & quum loquimur. 370.
—— ultra vires urgenda non est. 375. seq.
—— in principio sedata sit. 376.
—— in extrema oratione continens. 377.
—— ita sonat, ut feritur. 378.
—— tot recipit mutationes, quot ipsa mens. ibid.
—— pro affectibus varianda est. 377. seq. 383. seq.

Vo-

Vocis ſuavitas virilis & naturalis commendatur. 375.
—— ad eius ſuavitatem quae conducant. 379.
—— varietas commendatur. 377. 390.
—— rerum naturae accommodanda. ibid.
—— acrimonia quando utendum. 449.
—— varia vitia. 389. ſeq. 449.
—— volubilitas nimia, vitioſa. 374.
—— affectatio fugienda. 385.
—— aequalitas, vitium eſt. 389.
—— & inaequalitas. ibid.
—— & aequalitas cum inaequalitate coniuncta. ibid. ſeq.
Voces paſsionum animae notae ſunt. 429.
Vultus citra motum plura ſignificat. 387.
—— eius pronuntiatio. 386. ſeq.

Z

Zabulus. 60. 269. 290.
Zelus terminum non habet, ac ſine fine peccatum eſt. 59.
—— eius multiplex & fecunda pernicies. 123. ſeq. 262.
Zeno. 165.
—— vir maximus, & Stoicorum ſectae conditor. 46.
—— a Seneca reprehenditur. 47.
Zeuma quid ſit. 274.
—— eius tres ſpecies. ibid.
Zoilus. 303.

EXPLICIT INDEX IV.

ERRATA SCRIPTVRAE MACHINARIAE potiora.

Pag.	*lin.*	*errata*	*legenda.*
25.....	3.....	falice.....	facile.
43.....	32.....	maioris.....	maiori.
86.....	6.....	Crambebis.....	Crambe bis.
161.....	35.....	extimiſceres.....	extimeſceres.
186.....	30.....	antequum.....	antequam.
212.....	23.....	hominum.....	hominem.
216.....	8.....	mobilis.....	nobilis.
260.....	17.....	gavitatis.....	gravitatis.
271.....	26.....	presbyter.....	presbyteri.
368.....	18.....	AEchines.....	AEſchines.
400.....	4.....	faciam.....	faciem.